
DOMI NUS ILLU
MINA TIO MEA
Taylor Institution.

EPHEMERIS EPIGRAPHICA

CORPORIS INSCRIPTIONVM LATINARVM SVPPLEMENTVM

EDITA IVSSV

INSTITVTI ARCHAEOLOGICI ROMANI

VOL. III

VENIT
ROMAE APVD INSTITVTVM
BEROLINI APVD GEORGIVM REIMERVM
1877

INSVNT

ELOGIVM M. MESSALLAE COS. A. DCXCIII.

(ad vol. I p. 277).

Mensola di travertino lunga m. 1. 52, alta m. 0. 44. Rep. m. Sept. a. 1875 *costruendosi la nuova chiavica in Via del tempio della Pace dietro la basilica di Costantino* GORI.

M · N — M · VALERIVS · M · F · M*n*
INVS · — MESSALLA · PONTIFE*x*
TR · MIL · II · Q · PR · VRB · CO*s*
V · VIR · A · D · A · I · INTERRE*x*
III · CENSOR

Misit Dressel. F. Gori *archivio storico archeologico e letterario* (Romae 1875) I p. 63.

Ad elogia virorum clarorum aetatis liberae rei publicae sub imperatoribus publice exposita nuper accessit quod supra dedimus nobile fragmentum spectans ad domum Messallarum. Ubi olim prostiterit, ignoratur; *marmora* enim *Messallae,* de quibus cecinit Martialis (10, 2. 8, 3), ubinam fuerint cum praeterea ignoretur, temerarium foret hasce nostras bases ex iis superesse coniectare. Henzenus in litteris admonuit domus Valeriae gentis ab antiquissima inde aetate in Velia sitae (vide vol. I p. 285); potueruntque sane eo ipso loco monumenta Valeriae gentis condi aetate Augusti, quamquam aliquantum distat Velia ab eo loco, unde elogium nuper prodiit. Utut est, subscriptiones tenemus statuarum duarum iuxta aliquando positarum fortasse aliis praeterea adiunctis, easque perscriptas primo casu, ut conscribi solebant elogia. Earum alteram constat pertinere ad M. Messallam Nigrum consulem a. u. c. 693 patrem Messallae Corvini oratoris. Alterius cum exigua vestigia supersint avi no-

men, quod est Marcus, et cognominis pars extrema *inus*, nihil impedit quominus eam referamus ad ipsum M. Valerium M. f. M. n. Messallam Corvinum oratorem. Nam si qui opponat filium ita collocari ante patrem, respondebimus patrem esse potuisse medium, ut ad sinistram uxorem haberet, a dextra filium, ut Augustus in arcu Papiensi medius stabat inter Tiberium et Liviam.

M. Valerius M. f. M'. n. Messalla similiter plane nuncupatur in cippis, quos censor posuit cum P. Servilio Isaurico (vol. I n. 608—614); agnomina igitur magis quam legitima nomina fuerunt quae praeterea ei tribuuntur non solum Menogenis (Val. Max. 9, 14, 5 et inde Plinius h. n. 7, 12, 55), sed etiam Nigri, quamquam id et Asconius in Scaur. p. 20 adscripsit et fasti tam Idatiani quam Dionis (vol. I p. 540. 541); omnino ut distinguerent eum ab altero eiusdem nominis viro aequali consule a. 701. Natus sit necesse est c. a. 650, quoniam Cicero natus anni 648 initio se minorem eum fuisse ait (Brut. 70, 246), consul autem Messalla factus a. 693 quadragesimum secundum aetatis annum excesserat, id est natus erat aut anno 650 aut ante eum. Inter Messallas hos consules a. 693 et 701 et M. Valerium M. f. M. n. Messallam consulem a. 593, censorem a. 600 fasti eius stirpis nullos recensent, neque in aetatis proxime praecedentis rerum memoria invenitur nisi unus Valerius Messalla, quem bello civili legatum Rutilii Lupi cos. a. 664 ad urbem pugnasse scribit Appianus b. c. 1, 40, adlatus a Borghesio opp. 1, 408, quem alterius utrius consulum illorum patrem fuisse probabile est. Desiderantur praeter patres etiam avi vel avus; nam quamquam consules illi fratres certe non fuerunt, tam fratrum filii esse potuerunt quam ex fratribus natorum filiorum filii. Avus autem is avorumve alter potest fuisse Valerius Messalla is, quem Q. Metellus Numidicus consul a. 645 adulescens opinor repetundarum accusavit (Gell. 15, 14, 1). Proavus communis fuit sine dubio is de quo diximus consul a. 593.

Messallae honores cum in elogio recenseantur uno tenore tam ordinarii quam extraordinarii, probabile est collocatos esse ordine temporis, quam coniecturam quae de singulis dicenda sunt plane confirmabunt.

Pontificium cum locum habeat ante tribunatum militarem, Messalla id nactus sit necesse est prima aetate. Similiter consobrinus aequalis ad auguratum, quem per annos quinque et quinquaginta tenuit, et ipse adulescens pervenit, neque desunt exempla maxime hominum patriciorum mature sacerdotiis exornatorum, cum patriciorum locorum competitores in tanta patriciorum paucitate non abundarent. Nominatur autem praeterea M. Messalla inter pontifices qui a. 697 de Ciceronis domo iudicaverunt (Cicero de harusp. resp. 6, 12), quo hunc significari, non cognominem augurem dudum viri docti intellexerunt (Bardt *die Priester der vier grossen Collegien* p. 15).

Sequitur tribunatus militaris, scilicet a populo datus, quem elogia huius aetatis numquam omissum esse ostendunt (*Staatsrecht* 1, 418), Messalla adeo iteravit.

Deinde foro Messalla se dedit. Cicero a. 674 Sex. Roscium defendens ait (51, 149) pro eo fori iudiciique rationem suscepisse M. Messallam; eum si iam satis aetatis haberet, Roscium ipsum defensurum fuisse, nunc ad dicendum impeditum aetate et pudore causam sibi tradidisse. Idem post mortem locum ei dedit in libro de claris oratoribus 70, 246 his verbis: *M. Messalla minor natu quam nos nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere verborum: prudens acutus minime incautus patronus, in causis cognoscendis componendisque diligens, magni laboris, multae operae multarumque causarum.* Orationes num ediderit, dubitari potest; nam quod scholiasta ad Roscianae Ciceronis c. 2, 5 p. 426 Orell. adnotat Messallae eius multas extare orationes, non magnam auctoritatem habet, cum is de Corvino cogitare potuerit, nec posteriores Messallae huius meminisse videntur. Quamquam quod scribit Quintilianus (10, 1, 22 cf. 4, 2, 106. 6, 1, 20 et Festus p. 153) in causa Aufidiae simul dixisse Messallam et Sulpicium Rufum, cum hic sit notissimus orator defunctus a. 711 neque Corvinum credibile sit causas egisse ante eum annum, confudit fortasse Quintilianus patris filiique orationes. Sed haec relinquenda sunt filii vitam enarraturis.

Quaesturam cum Messallam appareat pariter atque Ciceronem anno suo ipso proximove obtinuisse, incidit ea in a. c. 686.

Ab aedilitate Messalla abstinuit exemplo multorum.

Praetura propter eandem causam probabiliter adiudicabitur a. 690; ut satis appareat M. Messallam eum, qui a. 691 praeturam petebat (Cicero pro Sulla 14, 42), non hunc esse, sed alterum consulem a. 701 (Wehrmann fasti praetorii p. 57). Urbanos fasces hunc nostrum Messallam consecutum esse ex elogio apparet.

Consul deinde factus est a. 693 cum M. Pupio Pisone. Eo tempore laudat eum Cicero tamquam partium bonarum studiosum (ad Att. 1, 13, 2) suumque et laudatorem et imitatorem (l. c. 1, 14, 6).

Quinque virum deinde creatus est agris dandis adsignandis iudicandis, scilicet ex lege Iulia agraria lata a. 695. Nam cum ex ea viginti viri fierent ad agros dividendos Campanos (ita enim dicuntur a Varrone de r. r. 1, 2, 10; cf. *Staatsrecht* 2, 587), item quinque viri inveniuntur (Cicero de prov. cons. 17, 41: *me ille* — Caesar consul — *ut quinqueviratum acciperem rogavit, me in tribus sibi coniunctissimis consularibus esse voluit;* ad Att. 2, 7, 4: *iacis obscure etiam ex ipsis quinque viris loqui quosdam*). Quos ad eandem legem pertinere et praecipuum inter viginti illos locum obtinuisse dudum intellectum est, ut adeo tres eorum ex consularibus legendi essent. Iam ex elogio constat his magistratibus iudicationem pariter datam esse atque triumviris ex lege Sempronia creatis creandisque ex lege Servilia decemviris creatis, neque improbabile est iudicationem solis quinque viris datam esse, reliquis in ipsa adsignatione occupatis. Messalla cum in tribus illis consularibus fuerit pariter atque Pompeius (Drumann 3, 206), intellegitur eum non optimatium sectam secutum esse, sed Caesari eique eo tempore coniunctissimo Pompeio sese dedisse (cf. ad Att. 4, 1, 6).

Interrex ter Messalla factus est. Interregna autem fuerunt et principio a. 699 (Dio 39, 27. 31) et septem mensium primorum a. 701 et per duos primos menses a. 702, quorum primo Messallam interregem factum esse temporis ordo postulat. Confirmatur id eo quod cum consulatum in a. 699 extra ordinem peterent Pompeius et Crassus, consulibus diffidentes effecerunt, ut res ad interregnum rediret; recte igitur convenit Messallam Pompeio deditum hominem eo officio tum functum esse. Iterum tertiumque interregem eum creatum esse a. 701 vel a. 702 consentaneum est.

Censor Messalla factus est, ut supra vidimus, eodem a. 699 Pompeio et Crasso consulibus una cum P. Servilio Isaurico (de Boor fasti censor. p. 28). Eo tempore cum sine dubio non crearentur nisi asseclae et quodammodo clientes hominum potentissimorum eorum, qui Lucae sese consociaverant, hinc denuo confirmatur Messallam non optimatium partes secutum esse, sed contrarias; pariter atque collega in censura pater fuit Isaurici collegae ipsius Caesaris in consulatu a. 706 et ex amicis eius devotissimis fidissimisque. — Censores hi ad lustrum non pervenerunt, sed non propter alterius utrius eorum obitum; id enim si accidisset, non ignoraremus. Quare exeunte censurae tempore autumno a. 700 Messalla in vivis fuit, confirmaturque id eo, quod eo anno die Sept. 2 pro Scauro dixit (Asconius in Scaur. p. 20).

Postea Messalla non commemoratur defunctumque esse antequam bellum civile oreretur initio a. 705 inde colligitur, quod Cicero ei locum dedit in Bruto inter claros oratores ad ea usque tempora defunctos.

Patrem eum fuisse fratrum duorum M. Valerii Messallae Potiti cos. 722 potius quam 725 et M. Valerii Messallae Publicolae Corvini cos. 723 clarissimi oratoris Borghesius (opp. 1, 407) inde potissimum collegit, quod cum Messalla alter augur ille cos. a. 701 diutissime vixerit, eius filius Corvinus vix fuisse potest, cum tam rerum scriptores quam poetae de eo multi sint nec tamen quisquam eorum ad patrem et senecta venerabilem et in litteris conspicuum respiciat. Quod si recte posuit, ut videtur, uxor Messallae huius ea fuit, quae corrupto vocabulo apud Dionem 47, 24 Πάλλα dicitur: in quo utrum Polla lateat an aliud nomen quodpiam, parum constat.

TH. MOMMSEN.

ADDITAMENTA
AD FASTOS ANNI IVLIANI
(ad vol. I p. 293—412; eph. 1, 33—41).

I. HEMEROLOGIVM CAERETANVM.

Ex suburbano Caeretano, unde prodiit titulus Vespasiano dedicatus a senatu populoque Caerite editus in actis instituti archaeologici minoribus a. 1874 p. 139, nuper qui eas effossiones instituerunt fratres Boccanera protraxerunt fastorum annalium insignia fragmenta, quae iam prostant Romae in museo civico empta nuper a curatoribus eius. Reperta sunt in opus privatum translata, scilicet in cubiculo villae illius in pavimento collocata latente parte scripta; sed ipsa res indicat tam fastos hos quam statuam Vespasiani olim prostitisse in oppidi foro aliquo. Supersunt fragmenta quinque marmoris Graeci, minora tria, quae cum crassa sint m. 0. 05, ex superiore tabula supersint necesse est, maiora duo coniuncta lata m. 0. 68, alta m. 0. 30, crassa descrescente inferius marmore in summa parte m. 0. 05, in ima m. 0. 03. Margo adest similiter formatus cum in fragmenti unius minoris parte superiore tum tam inferius quam in latere intuenti sinistro in maioribus duobus. Ex fragmentis minoribus unum non habet nisi vestigia versuum quinque antiquitus erasorum, alterum ' hastae partem superiorem; tertium hoc est:

SICO
ES
I·F
P
F

quae remansisse apparet ex indice praefationeque componenda omnino cum indice fastorum tam annalium quam magistratuum Venusinorum (vol. I p. 471): [be]*lla facta a bello Marsico.* Caerites enim cum civitatem Romanam pridem adepti essent, postea ad praefecturae formam administrabantur (Festus p. 233) nec videntur suos magistratus creare coepisse ante bellum Marsicum. — Maiora fragmenta duo coniuncta quinque priorum anni mensium partem inferiorem servarunt in hunc modum. —

Ianuarius:

14 F EINV[illegible]OSVS · EX · S · C
15 G CAR · NP
16 H C
17 A C
18 B C
19 C C
20 D C
21 E C
22 F C
23 G C
24 H C
25 A C
26 B C
27 C C
28 D C
29 E F
30 F F FER · EX · S · C · Q · E D · ARA · PAC AVG · D
31 G C XXXI

Ian. 14 Sic legit Henzen. Gamurrinius sic: FEI VI[illegible]IVO[illegible]VS · EX · S · C Mihi extremae quattuor litterae EX · S · C certae visae sunt, quattuor quae praecedunt OSVS probabiles. DIES spatio excluditur.

Februarius:

14 E N
15 F LVP · NP
16 G E N
17 H QVIR · NP
18 A C QVIRINO · INCOLLE
19 B C
20 C C
21 D FER · F · P
22 E C
23 F TER · NP
24 G REG · N
25 H C
26 A EN
27 B EQ · NP
28 C C XXIIX

Martius:

16 C F[illegible]
17 D LIB · AG · NP LIBERO · LIB
18 E C FER · QVOD · E · D · C · CAES · VIC IN · HISP · VLT
19 F QVIN · NP
20 G C
21 H C
22 A N
23 B TVBIL · NP
24 C Q · R · C · F
25 D C
26 E C
27 F F FER · QVOD · EO · DIE · C · CAES VICIT · ALEXAND
28 G C
29 H C
30 A C
31 B C XXXI LVNAE

Mart. 16 litteras minores dedi ut excepit Gamurrinius; nam neque adsunt in exemplari Helbigiano nec cernuntur in ectypo. Henzenus quoque, qui cum Mauio lapidem inspexit, post F litteram maiorem duas soles minores apparere ait IL, reliquarum a Gamurrinio exceptarum reliquias tam exiles superesse, ut determinari nequeant.

Aprilis:				Maius:			
14	H	N	LOEDI · C	16	H	I	MAIAE · AD CIRC A
15	A	FORD · NP	LOEDI · C	17	A	C	
16	B	N	LOEDI · C	18	B	C	
17	C	N	LOEDI · C	19	C	C	
18	D	N	LOEDI · C	20	D	C	
19	E	CER · NP	LOED · CER · INC	21	E	AGO · NP	
20	F	N		22	F	N	
21	G	PAR · NP	ROMA · COND	23	G	TVBIL · NP	
22	H	N	FER · CORONATIS · OM	24	H	Q · R · C · F	
23	A	VEIN · F · P	VENERI	25	A	C	FORTVNAE · P · P · R · Q · IN
24	B	C		26	B	C	COLLE · QVIRIN
25	C	ROB · NP		27	C	C	
26	D	F		28	D	C	
27	E	C		29	E	C	
28	F	C	LOEDI · FLOR · FER · Q · E · D · SIG	30	F	C	
29	G	C	LOED · F VEST · IN DOMO · P	31	G	C	XXXI
30	H	C	LOED · F XXX DEDIC				

Mai. 16 H NLAIAE · AD CIRCA Gamurr., IAIAD (D? B?) AD (B?) CIRC/V Helbig; ex ectypo mihi satis constabat post H cerni litterae F, non C, partem infimam.

Accepi tabulam accurate descriptam plumboque praeterea expressam beneficio Wolfgangi Helbigii ab actis instituti nostri, cuius indefessae oculataeque industriae praeter archaeologiam quantum epigraphia debeat, grato animo recordor. Litterarum dimidiatarum cum iusta ectypa nullo modo perfici possent, Gamurrinius vir clarissimus mea causa accuratissime eas excepit.

Exemplar hoc cum antea notis ut recte conferatur, primum videndum est, cuius aetatis sit; esse autem ex antiquissimis huius generis quae habeamus, vel orthographica ostendunt, *loedi* Apr. 14—19. 28—30 et *Vein(alia)* Apr. 23. Et publicatum quidem esse post a. 745 colligitur ex adnotatione ad Ian. 30; ante quem annum scriptum sit certa ratione determinari non potest, cum neque ex silentio argumentandum sit neque ex dierum notis propter rationem earum in hoc exemplo singularem, de qua statim dicetur.

Dierum notae a Maffeiano huic ex plenioribus tempore proximo differunt septem hae, ut non numeremus Ian. 15, ubi NP est in Caeretano ut in aliis casu omissum in Maffeiano.

1. Ian. 30 hic *f(astus)* est, ut diem fuisse inde collegeramus, quod est inter decem a Caesare ad annum additos fastos omnes; sed feriis institutis a. 745 nota substituta est NP, quam habent et Maffeiani (licet corruptam in N) et Praenestini. Caeretani antiquam notam retinent, ferias tamen adscribunt; quod cum redeat infra Mart. 27 et Apr. 28, fasti hi perpetuo eam legem videntur secuti esse, ut antiquae dierum notae quamquam postea mutatae feriis adiectis, nihilominus retinerentur. Itaque si pleni essent fasti hi, ex diebus duodecim, quorum pristina condicio adhuc ignorabatur (p. 366), non duos tantum explevissent, sed omnes.

2. Febr. 21 Feralium dies hic notatur F · P, cum N sit in Maffeiano. Illa nota F · P item adscripta est in fastis his ad diem Vinalium Apr. 23, qui in Maffeianis notam habet NP, in Praenestinis F. Denique Vinalia altera Aug. 19 in Maffeianis Amiterninisque notantur F · P, in Antiatinis F, in Vallensibus NP. Quod olim de ea nota dixi (vol. I p. 367) significationem incertam esse, videri autem pertinere ad coniunctionem diei fasti et feriarum laetitiae, ei quod addam ne nunc quidem habeo.

3. Mart. 19 Quinquatruum dies hic notatur NP, ut est in Vaticano (N Praen.); N est in Maffeiano, mero errore opinor.

4. Mart. 27 antiquam notam F nunc demum recuperavimus; nam quae est in Maffeianis NP, eam patet descendere ex feriis Alexandrea a Caesare dictatore recepta institutis a. 707. Adscriptae autem sunt in fastis his hic quoque feriae novae retenta nota diei antiqua (v. ad Ian. 30).

5. Apr. 19 dies Cerialium N notatus errore opinor in Maffeianis hic est NP.

6. Apr. 23 vide quae dixi ad Febr. 21.

7. Apr. 28 antiqua nota C hic remansit ex reliquis fastis (Maff. Praen.) expulsa propter ferias a. 742 institutas signo Vestae in domo Caesaris dedicato. Et eae tamen feriae in hisce fastis perscriptae sunt.

Feriae antiquissimae maioribus litteris perscriptae quae diebus nomina dederunt in fastis his plane dantur ut in Maffeianis, nisi quod dies Mart. 17 dicitur, ut in Vaticanis, *Lib(eralia) Ag(onia)*, cum hoc vocabulum a Maffeianis absit.

Feriae recentiores aliaeque adscriptiones minoribus litteris exaratae et ipsae pauca tantum habent in aliis non relata relatave diverse; ex quibus haec adnotabuntur.

Mart. 16 quid adscriptum fuerit litteris hodie dimidiatis frustra explicare studui. Ovidius fast. 3, 791 ad hunc diem sequentemque adnotat iri solere ad Argeos; sed id in tabula vix perscriptum fuit.

Mart. 17 Liberalibus sacrum fieri *Libero Lib(erae)* fasti hi scribunt, cum in Farnesianis adscriptum sit *Libero in Ca[pitolio]*. — Item eodem die quod est in Farnesianis *Caesar Hi[spaniam vicit]* pertinens ad pugnam Mundensem accuratius in his enuntiatur sic: *fer(iae) quod e(o) d(ie) C. Caes(ar) vic(it) in Hisp(ania) ult(eriore)*.

Mart. 27 ut in Maffeianis est *hoc die Caesar Alexand(ream) recepit,* ita hic legitur: *fer(iae) quod eo die C. Caes(ar) vicit Alexand(reae)*.

Apr. [12]—18 *loedi C(ereri)*; Apr. 19 *loed(i) Cer(eri) in c(irco)* adnotantur more solito.

Apr. 21 Parilibus adscriptum est *Roma cond(ita)*; *fer(iae) coronatis om(nibus)*, quod alibi sic non legitur. Similiter in fastis Praenestinis ad Mart. 6 adnotatur: *IIviri ob [eam rem immolant; p]opulus coronatus feriatus [agit]*; unde intellegitur populum hic intellegi non Romanum, sed Caeritum. Ipsa res nota est (cf. *Staatsrecht* 1, 343 n. 3).

Apr. 23 Vinalibus sacrificari *Veneri* notum ex Varrone de l. L. 6, 17 et Ovidio fast. 4, 865 seq. in fastis nondum inventum fuit.

Apr. 28 adnotationem ad a. 742 pertinentem similiter exhibent fasti Praenestini.

Mai. 15 (nam ad eum diem adnotatio referenda est) scriptum fuit: *[Mercurio et] Maiae ad circ(um) m(aximum)*, de quo sacro Mercurii dixi vol. I p. 393.

Mai. 25 quod legitur adscriptum *Fortunae p(ublicae) p(opuli) R(omani) Q(uiritium) in colle Quirin(ali)* ideo notabile est, quod dea haec in fastis modo appellatur *publica populi* (Ovid. fast. 5, 729), modo *primigenia* (PRIM fast. Venus. vol. I p. 301 ad Mart. 25, item fasti Arvalium huius eph. vol. I p. 41 ad Nov. 14), ut quod est in Esquilinis vol. I p. 310 ad Mart. 25 FORTVN · PVBLIC · PR ambiguum sit utrum solvas *publicae primigeniae* an, quod iam praetulerim, *publicae populi Romani.*

II.
HEMEROLOGIVM VRBANVM VIAE AMADEI.

Romae rep. in via principis Amadei *alle case inferiori della villa Massimi,* extat in museo municipali.

	Febr.			*Mart.*		
10	*a*		G	C		12
11	*b*		H	EN		13
12	*c*		A	E	*quirr*	14
13	*d eid n'*	FAVNO IN INSVL	B	E	*id*	15
14	*e*		C			16

Henzen *Bullett.* 1875 p. 139 = C. I. L. VI, 2302.

Sacrum Fauno in insula factum cum commemoret Ovidius fast. 2, 193: *idibus agrestis fumant altaria Fauni hic, ubi discretas insula rumpit aquas* (cf. Becker topogr. p. 652), fasti marmorei adhuc eruderati id non habuerunt.

TH. MOMMSEN.

ADDITAMENTVM
AD FASTOS CONSVLARES CAPITOLINOS
(ad vol. I p. 442).

Fragmentum marmoreum altum m. 0. 59, latum m. 0. 77, effossum mense Februario anni 1876 in foro Romano eruderando ante aedes divorum Antonini et Faustinae. Ipsa inscriptio lata est m. 0. 345; vacat spatium a dextra eius latum m. 0. 11, a sinistra latum m. 0. 315, cuius pars maior lata m. 0. 265 rudis relicta est. Litterae altae sunt m. 0. 012.

c. caesar aug. f. diui n. l. aemilius l. f. l. n. PAVLLVS — a. 754 = a. p. C. 1
EX·K·IVL·M·HERENNIVS M·F·M·N·PICENS
IMP·CAESAR·DIVI·F·AVGVSTVS·PONTIF·MAX·TR POTEST·XXIIII — 755
P·VINICIVS·M·F·P·N· P·ALFENVS·P·F·P·N·VARVS
EX·K·IVL P·CORNELIVS·CN·F·CN·N·SCIPIO
T·QVINCTIVS·T·F·T·N·*crispi*NVS
VAL*erianus*
IMP·CAESAR·DIVI·F·AVGVSTVS·PONTIF·*Max. tr. pot*EST·XXV — 756
L·AELIVS·L·F·L·N·LAMIA M·SERVILIV*s .. f. .. n. nonianus*
EX·K·IVL P·SILIVS·P·F·P·*n*
L·VOLVSIVS·L·F·Q·*n saturni*N
IMP·CAESAR·DIVI·F·AVGVSTVS·PONTIF·*max. tr. potest x*XVI — 757
SEX·AELIVS·Q·F·L·N·CATVS·C·SENTIV*s. c. f. c. n. sa*TVRN
EX·K·IVL CN·SENTIVS·C·F·C·N·SATVRNIN
C·CLODIVS·C·F·C·N·LICINVS
IMP·CAESAR·DIVI·F·AVGVSTVS·PONTIF·MAX·TR·POT·XXVII — 758
TI·CAESAR·AVGVSTI·F·DIVI·N·TRIBVN·POTEST·VI
L·VALERIVS·POTITI·F·M·N·CN·CORNELIVS·L·F·MAGNI
MESSALLA VOLESVS POMPEI·N·CINNA MAG
EX·K·IVL C·VIBIVS·C·F·C·N·POSTIMVS *sic*
C·ATEIVS·L·F·L·N·CAPITO
IMP·CAESAR·DIVI·F·AVGVSTVS·PONTIF·MAX·TR·POTEST·XXIIX — 759
TI·CAESAR·AVGVSTI·F·DIVI·N·TRIBVN·POTEST·VII
M·AEMILIV·PAVLLI·F·L·N·L·ARRVNTIVS·L·F·L·N *sic*
LEPIDVS
EX·K·IVL·L·NONIVS·L·F·L·N·ASPRENAS
IMP·CAESAR·DIVI·F·AVGVSTVS·PONTIF·MAX·TR·POT·XXIX — 760
TI·CAESAR·AVGVSTI·F·DIVI·N·TRIBVN·POTEST·VIII
Q·CAECILIVS·Q·F·M·N·A·LICINIVS·A·F·A·N·NERVA
METELLVS·CRETICVS·SILAN SILIANVS
ex. k. iul. . . lucilius . . . . longus

Descripsi.

Fragmentum inserendum est ante fr. XXXVII, eoque continuatur ita, ut possit tamen inter ea excidisse versus: margo enim summus fragmenti antiqui vetustate exesus tectorioque oblitus certum de ea re iudicium non permittit. Litterarum forma in utroque plane eadem, nec quin uno tempore in marmore exaratae sint dubitari potest.

754. De *L. Aemilio Paullo* progenero Caesaris Augusti (Sueton. Aug. 19) cf. Eckhel d. n. 5 p. 129, et Borghesius *op.* 4, 70; 5, 289. — Idem minus recte hoc anno suffectos fuisse negavit in opp. 8 p. 27 et fastis ineditis; immo suffectus est kalendis Iuliis *M. Herennius Picens* is, quem patronum municipii Augusti Veientis dicit titulus Or. 110. Asiam rexit pro consule, ut docemur titulo Ephesino (*Hermes* 4 p. 195: Μάρκος Ἑρέννιος Πίκης ἀνθύπατος), quem ad M. Herennium cos. suf. a. 720 (fast. Venus. C. I. L. 1 p. 471), patrem, ut videtur, Herennii Picentis, rettulit Waddingtonius (*fastes* p. 84). Nomen consulis a 1 (M HER PICEN) legi in inscriptionibus amphorarum Aquileiensium (Cortenovis ms. p. 14) et Foroiuliensium (d' Orlando *discorso funebre*) monuit Mommsenus.

755. *P. Vinicius M. f. P. n.: P. Vinucius* est in fastis Anagninis (*C. I. L.* 1 p. 473, XI): nomen excidit in Gabinis (l. c. XII). Tribunus militum sub eo factus est Velleius (2, 101). Ἀνθύπατον dicit titulus in Andro insula repertus, eamque ab causam inter proconsules Asiae recenset Waddingtonius (l. c. p. 106). [Avi nomine, quod iam accedit, confirmatur filium eum fuisse consulis a. 735 M. Vinicii P. f.] — *P. Alfenus P. f. P. n. Varus* dicitur *P. Varus* in fastis Anagninis (l. c.), *L. Alfenius* perperam in Gabinis (l. c.). Confirmat novum fragmentum ea, quae de praenomine patris olim proposui (*C. I. L.* 1 p. 467). [Avus qui accedit est opinor consul a. 715]. — *Suffecti P. Cornelius Cn. f. Cn. n. Scipio, T. Quinctius T. f. T. n. Crispinus Valerianus,* iidem ex s. c. faciundum curaverunt arcum, qui fuit ad Tiberim iuxta S. Mariam in Cosmedin (*C. I. L.* 6, 1385). Ibi Scipio plenius dicitur *P. Lentulus Cn. f. Scipio*; *P. Lentulum* dicunt fasti Gabini (C. I. L. 1 p. 473, XII). Waddingtonius (*fastes* p. 108) refert ad eum inscriptionem Smyrnaeam (*C. I. Gr.* 3186), quae nominat Πόπλιον Λέντλον Σκιπίωνα τὸν ἀνθύπατον proconsulemque Asiae eum fuisse statuit. [Mutandum esse iam apparet stemma Lentulorum, quale proposui Borghesium secutus vol. 1 p. 14. Hic enim consul a. 755 cum fuerit Cn. f. Cn. n., patrem habuit non Cn. Lentulum L. f. cos. a. 736, sed Cn. Lentulum Cn. f. augurem consulem a. 740]. — Quinctius errore, ut videtur, quadratarii *Publius* appellatur in fastis Gabinis (l. c.). Fuit postea *curator locorum publicorum iudicandorum* (*C. I. L.* 6, 1266, cf. p. 276 et Mommsen *Staatsrecht* 2 p. 930, 2). Inter Arvales commemoratur annis 14.21.27, magister collegii factus est a. 21 (cf. *acta fratr. Arv.* p. 195). [Avus cum et ipse Titus fuerit, firmatur, de quo antea dubitari poterat, patrem consulis a. 755 esse T. Quinctium T. f. Crispinum cos. a. 745; nec mirum est filium, adoptivus qui videatur, decennio post patrem ad summam curulem pervenisse].

756. *L. Aelius L. f. L. n. Lamia: L. Lamiam* dicunt fasti Gabini (l. c.) et fratrum Arvalium. De vita eius cf. *act. fratr. Arv.* p. 174. [Avi nomen antea latebat]. — Collega, cuius in fastis his non remanent nisi *M. Servilius*, et in fastis Gabinis et in fastis Arvalium et in tessera quae est apud Garruccium (*dissertaz.* 1 p. 56) item dicitur *M. Servilius*: Nonianus videtur nominari in fastis Hispanis (cf. *C. I. L.* 1 p. 548). Dixi de eo in actis fr. Arv. p. 198. — *Suffecti P. Silius P. f. P. n., L. Volusius L. f. Q. n. Saturninus.* Commemorantur in fastis Gabinis Arvaliumque, de iisque cf. *act. fratr. Arv.* p. 198 et 202. [P. Silius P. f. P. n. cos. 756 filius fuit consulis a. 734 P. Silii P. f., pater consulis a. 766 C. Silii P. f. P. n. — L. Volusius L. f. Q. n. Saturninus filius fuit consulis a. 742 L. Volusii Q. f. Saturnini].

757. *Sex Aelius Q. f. L. n. Catus; C. Sentius C. f. C. n. Saturninus:* cf. Or. 643. Nomina breviter indicantur in fastis Gabinis et fastis Arvalium; de Saturnino cf. *act. fratr. Arv.* p. 197. [Cati avus nondum innotuerat. Saturnini pater fuit C. Sentius C. f. Saturninus cos. a. 735]. — *Suffecti Cn. Sentius C. f. C. n. Saturninus, C. Clodius C. f. C. n. Licinus* commemorantur in fastis Gabinis (*C. Clodius*, *Cn. Sentius*) et fastis Arvalium (*C. Clodius Licin., Cn. Sentius*); cf. *act. fratr. Arv.* p. 182 et 198. Terminarunt locum publicum ab privato *C. I. L.* 6, 1263. 1264. [Prior frater fuit C. Sentii modo memorati. Licini adhuc ignorabamus maiores].

758. Inde ab hoc anno in fragmento nostro adnotatur tribunicia potestas Tiberii Caesaris, quae cum anno 748 primum ei data esset in quinquennium nec renovaretur nisi anno p. C. 4 (Dio 55, 13 cf. Mommsen *res gestae Divi Augusti* p. 17; *Staatsrecht* 2 p. 754. 1057), annis p. C. 1—4 in fastos referri non poterat. — *L. Valerius Potiti f. M. n. Messalla Volesus* omnibus nominibus hucusque non nominabatur nisi in indice libri Dionis 55: cf. Waddington *fastes* p. 108, qui proconsulem Asiae eum censet fuisse anno p. C. 11 aut 12 (Seneca *de ira* 2, 5; Tac. *ann.* 3, 68). Una cum collega commemoratur *C. I. L.* 6, 851 et Grut. 883, 15 (*I. N.* 6914). [Pater fuit opinor aut M. Valerius cos. a. 722 aut Valerius Potitus cos. a. 725, nisi iidem sunt errore in altero utro anno commisso]. — *Cn. Cornelius L. f. Magni Pompei n. Cinna Mag(nus)*: dicitur a Dione (55, 14) Γναῖος Κορνήλιος θυγατριδοῦς τοῦ Μεγάλου Πομπηΐου. De eo cf. Drumann 2 p. 592. [Notabile est in ipsis publicis fastis avum maternum pro paterno nuncupari]. — *Suffecti C. Vibius C. f. C. n. Postimus, C. Ateius L. f. L. n. Capito:* cf. fasti Praenestini *C. I. L.* 1 p. 474, XIII; tesserae l. c. 750. 751; 6, 813. — Postumum Delmatiae praepositum ornamenta triumphalia meruisse narrat Velleius (2, 116). [Maiores antea ignorabantur]. — Capito avo centurione Sullano, patre praetorio (Tac. *ann.* 3, 75) coercendo flumini praepositus est a. 15 (l. c. 1, 76, cf. 79). Tiberio adversatus in senatu (l. c. 3, 70) obiit a. 22 (l. c. 3, 75). [Iam intellegitur Capitonem hunc notum iuris auctorem filium fuisse L. Atei L. f. An. Capitonis senatoris nominati apud Ciceronem ad fam. 8, 8, 5. 6, non tribuni plebis C. Atei Capitonis inimici Crassi].

759. *M. Aemilius Paulli f. L. n. Lepidus, L. Arruntius L. f. L. n.:* cf. fasti Gabini et Praenestini *C. I. L.* 1 p. 473, XII et 474, XIII quaeque

ad fastos Gabinos adnotavi l. c. p. 474. — De Lepido cf. Borghesius *opp.* 5 p. 287—293; Waddington *fastes* p. 112 sq. Ut *vir nominis ac fortunae Caesarum proximus* (Vell. 2, 114) per annum integrum fasces tenuit (cf. Ephem. epigr. 1 p. 187), ut ostendunt etiam tesserae *C. I. L.* 1, 754. 755. [Filius fuit Pauli Aemilii L. f. L. n. Lepidi cos. a. 720]. — Collega L. Arruntius cum Capitone flumini coercendo praepositus a. 15 (Tac. *ann.* 1, 76. 79), postea legatus absens Hispaniam citeriorem rexit (l. c. 6, 27; cf. *hist.* 2, 65). Anno 37 accusatus se ipsum occidit (Tac. *ann.* 6, 47. 48). Cf. etiam Tac. *ann.* 1, 13; 6, 7; 11, 6. 7. Incertum, utrum ad eum an ad consulem a. 732 pertineat inscriptio *I. N.* 4545. [Pater eius fuit L. Arruntius L. f. L. n. consul a. 732]. — De suffecto *L. Nonio L. f. L. n. Asprenate* dixi *C. I. L.* 1 p. 474. Legatus Vari in Germania duas legiones ex clade eius servavit (Vell. 2, 120; Dio 56, 22). Anno 767 pro consule Africam rexit (Tac. *ann.* 1, 53). Commemoratur a Tacito *ann.* 3, 18. [Avus est opinor Asprenas is qui militavit a. 708 pro consule in exercitu Caesaris (bell. Afric. 80. Hisp. 10) magis notus ex carmine Catulliano 52 in strumam Nonium. Patris meminit Plinius h. n. 37, 6, 81: *propter (gemmam) ab Antonio proscriptus est Nonius senator filius strumae Noni eius quem Q. Catullus poeta in sella curuli visum indigne tulit avusque Servili Noniani quem consulem* (p. C. 35) *vidimus.*

760. *Q. Caecilius Q. f. M. n. Metellus Creticus Silanus:* cf. *fasti Praenestini* et Tac. *ann.* 2, 43. Fuit legatus Syriae a. 16 (l. c. 2, 4). De eo egit Borghesius *opp.* 5 p. 211, ubi verum vidit Mommsenus (not. 2). [Maiores nunc tandem innotescunt neque uno nomine ex notis priori adscriptis emendatur stemma tam Caeciliorum quam Iuniorum. Equidem cum egi de hoc consule in Hermae vol. 2 p. 126 (cf. huius eph. 1 p. 65), ei tribui titulum Caralitanum hunc, quem ibi anno 6 p. Chr. anteriorem esse demonstravi:

q. c|AECILIVS · M · F · M|*etellus creticus*
PR · VRB · PRO|*cos*
... *e*|T · AMBVLATIONES · SVO[1])|*inpendio fecit*

At iam intellegitur patris magis esse, qui in fastis consularibus non invenitur. Avus potest fuisse M. Metellus is qui a. 694 gladiatores dedit (Cicero ad Att. 2, 1; Drumann 2, 57), filius fortasse minor natu Q. Caecilii Metelli consulis a. 685 qui primus Creticus dictus est. — Quod l. c. statui propter nomen filiae sponsae Neronis Germanici f., quod est *Iunia Silani f.*, hunc Creticum a Caeciliis Metellis transiisse ad Iunios Silanos aetate provectiorem, id iam refutatur, ut de Iuniae nomine pariter iudicandum sit atque de Octavia Claudii filia similibusque, scilicet plene puellam dictam esse Caeciliam Iuniam et hoc nomen pro cognomine ei fuisse. Ipse autem consul a. 760 a Silano aliquo in adoptionem datus sit necesse est Q. Caecilio Metello Cretico nepoti opinor eius qui Cretenses vicit procon-

[1]) Sic est in lapide.

sulique Sardiniae prioribus Augusti temporibus] — *A. Licinius A. f. A. n. Nerva Silianus:* cf. Vell. 2, 116, 4: *P. Sili filius (quem virum ne qui intellexit quidem abunde miratus est, ut nihil non optimo civi, simplicissimo duci perisset) praereptus immature et fructu amplissimae principis amicitiae et consummatione evectae in altissimum paternumque fastigium magnitudinis defectus est.* [Maiorum ex adoptione nomina nunc demum cognoscimus]. — Licinio Nervae hoc anno suffectum esse Lucilium Longum, Creticum per totum annum fasces gessisse ostendunt fasti Amiternini (Aug. 10), in quibus est *Cretico et Longo cos:* cf. Marinius *Arv.* p. 15; Borghesius opp. 5, 308; Mommsenus *C. I. L.* 1 p. 399.

Adolfus Kiessling cum in libris Horatianis observasset carmini poetae, quod quartum est libri primi, praescribi solere *ad Sestium Quirinum*, cum in ipso carmine non sit nisi Sestii nomen neque alterum ullo alio loco a poeta enuntietur, per litteras me interrogavit, in fastorum a. 731 reliquiis a me editis sic

l. sestius p. F VIBI *n*

litterae illae quinque dimidiatae annon QVIRI potius fuerint. Re vera ego lapide accurate inspecto superesse repperi QVIRI. Neque igitur iam dubitari debet de lectione:

l. sestius p. f. l. n. QVIRI*nus*

De hoc suo invento postquam ipse Kiesslingius exposuit (de Horatianorum carminum inscriptionibus commentatiuncula. Gryphisvaldiae 1876), ego quoque ne id eos fugiat qui fastis utuntur curare debui.

G. Henzen.[1])

---

[1]) Quae leguntur intra unios quadratos, adiecit Mommsenus.

ADDITAMENTVM

AD TABVLAS TRIVMPHALES CAPITOLINAS

(vol. I p. 457).

Fragmentum tabulae marmoreae effossum die X Martii a. 1876 in eruderando foro Romano ante aedem Divorum Antonini et Faustinae. Coniurgendum est cum fragmento Capitolino XIII.

a. Varo 482

TARENTINeis QVE · NON*is* . . . . . .
L·PAPIRIVS·L·F· sp. n CVRSOR · I*i* · *an. cdxxii*
COS · II · DE · TArenT INEIS · *Lucaneis. samnitibusque?*
BRVTTIEISque I . . . .

Dedit Iosephus Fiorelli curator antiquitatum, contuli ipse.
Inclinatis maioribus signavi litteras in fragmento Capitolino servatas.

DE HISPANO ANTIQVO.

Antiqui quem dixit Huebnerus inscriptionum Hispanarum auctoris novum exemplum nuper in lucem prolatum est, codex scilicet saec. XVI ineuntis, qui fuit olim familiae Filonardi in oppido Bauco prope Frusinonem, anno 1873 Romae a Constantino Corvisieri emptionis iure comparatus et illatus in bibliothecam regiam Berolinensem (pict. A 61 p). Habuit Huebnerus quo tempore Hispanica edidit, eius codicis notitiam aliquam specimine ab Henzeno sibi transmisso (v. apud eundem p. VI), sed quae ad exemplaris huius utilitatem intellegendam non sufficeret. In hoc Antiqui collectio integra exstat intermixta syllogis Italis eius aetatis vulgaribus. Quo exemplo cum nonnullis in rebus eis, quae adhuc de auctore isto nota nobis erant, supplementa non levia accrescant, poterimus iam eo accedere, ut archetypi deperditi imaginem restituamus ratione non omni ex parte certa, in plerisque tamen satis firma.

Exempla autem, quibus usus sum, haec sunt:

I. Codex Mutinensis bibl. Pal. VI F 28 scriptus a. 1503 iussu Martini de Sieder, de quo dixit Huebnerus *C. I.* II p. VI: eius libri apographum ab Henzeno Huebneri in usum confectum praesto mihi fuit. Hispana leguntur f. 83′—93′; quorum ordo archetypi puto foliis transpositis perturbatus est, quem restituemus f. 88′—93′ collocatis ante f. 85. Continet autem liber Siederi Tarraconensem totius collectionis partem solam: quam exhibet et plenissime et optime. Cetera vero exempla ex communi eoque deteriore fonte proficisci multis locis ostenditur, ubi vitia, quae in illis omnibus redeunt, a solo Siederi libro absunt. Excipio Apianum, cuius in collectionis initio (p.1 —24) Hispanarum Antiqui inscriptionum series posita est: quod exemplum manifestum est eodem e fonte, unde pendet Siederus, proficisci. Nam praeter Baeticos titulos paucissimos, qui in fine additi sunt, nihil continet nisi titulos Tarraconenses, et quae dixi de ordine apud Siederum perturbato, eadem etiam in Apianum cadunt. Ceterum Apianus, quamquam eum non ex ipso Siederi codice sua habuisse constat, plane abici posse mihi visus est.

2

II. Codex PEUTINGERI Augustanus n. 527 (cf. *C. I.* II p. VI). Antiquum (f. 51—54'. 58'—59) excipiunt (f. 59. 59') tituli tredecim sine dubio aliunde accepti (vide *C. I.* II p. 23. 53) Cordubenses Astigitani Olisiponenses Emeritenses.

III. Codex SANUTI Veronensis (*C. I.* II p. VI).

IV. Codex FILONARDIANUS modo commemoratus chartaceus formae duodecimae, scriptus omnino in Italia. Aetas eius definitur cum epitaphio Ferdinandi II Aragoniae regis, qui decessit a. 1516, quod legitur f. 18', tum duobus epitaphiis (f. 115'. 124') Anonii Casinatis et Anaximandri Casinatis, quorum illud a. 1512 a vivo, ut videtur, libri domino et ex parte auctore scriptum, a. 1531 mortuo ipso correctum est, hoc a patre filio positum refertur ad a. 1511. Hic liber Tarraconensium titulorum seriem continet f. 31—44: interpositis Italis sequuntur Baetici cum quibusdam Lusitanis f. 78'—87. Quod exemplum in his quae ponit non minus quam in eis quae omittit accuratissime cum libro Sanuti congruit. Correctus autem est Filonardianus ad fidem codicis alicuius, qui recensionem a Siedero repraesentatam exhibuit, titulique a Filonardiano et Sanuto consentientibus omissi fol. 18'—20, 22'—26 sunt relati[1]). Quae pars codicis cum suppleat collectionem f. 31—44, 78'—87 positam, statuendum est, priorem hanc partem post illam posteriorem scriptam esse. Cui coniecturae foliorum illius codicis ratio locum certe dat, nam partes eius f. 1 — 30' et rursus f. 31—128' — incipit autem f. 31 nova foliorum complicatio — quasi duobus pro codicibus haberi posse indicio est, quod in utriusque partis fine videmus manum secundam, qua adscripti sunt tituli diversis Italiae Galliaeque locis in ora plerumque maris mediterranei collecti, de qua sylloge plura hic dicenda nobis non sunt.

Adduntur autem in libro Filonardiano Hispanis ex Antiquo petitis variis locis (f. 22—22'. 26'—28'. 86'. 88—90) alia, quae iam externa specie ab illis differunt; scripti enim sunt hi tituli plerique literis uncialibus observatisque fere elementorum concatenationibus, quas Antiquus etiamsi non constanter neglexit, rarissime tamen exhibet. Communem originem ut his tribuamus, iam regionum, ad quas pertinent, suadet vicinitas; nam sunt inscriptiones repertae Valentiae locisque vicinis Liriae et Vilar, deinde Sa-

---

[1]) Praeterea locis haud paucis emendata sunt vitia omnibus Antiqui exemplaribus communia, quas correctiones ad alium fontem nobis ignotum redire statuendum est. Exempla pauca appono. In titulo n. 4080 (f. 31. 31') verba ultima *Sempron. Lichnis aula* adscripta sunt, quae desunt non minus apud Siederum quam in ceteris exemplis; n. 3820, ubi Sanutus et Filonardianus soli exemplum Antiqui servaverunt, qui v. 2 tradunt sic *vaggamo urma* (*vesma* San.) *abram torcam*, correctum est *vaccam ovem suam forbam*, quam patet non esse alteram eiusdem exempli recensionem, sed exemplum diversum. — In Saguntinis Valentinisque haud raro locorum indicationes accuratiores inter corrigendum adscriptae sunt, quarum origo haud scio an coniuncta sit cum collectione titulorum statim commemoranda, quam idem codex exhibet, in qua Saguntinae Valentinaeque inscriptiones principem locum tenent.

gunti et Saetabi; quibus titulis interpositi sunt pauci aliunde oriundi, Malacitanus n. 4691, Accitani 4943. 3393. 3397, Oscenses 3003—3005. E Saguntinis huius seriei titulis nonnulli redeunt apud Antiquum, sed ita ut neutrum exemplum ab altero pendere manifestum sit.

Ortam esse hanc collectionem non multum post initium saec. XVI, iam eo ipso, quod in libro Filonardiano legitur, satis probatur; praeterea observandum est, haud raro eam similem esse collectaneis Iohannis Bembi a. 1505 his in regionibus iter facientis; velut n. 3760 et 3899, quarum inscriptionum illius pars dimidia, haec tota a solo Bembo adhuc nobis servata erat, qui aliunde eas se accipisse dicit, hic redeunt[1]); item n. 3937 a Bembo e lapide descripta, ubi aeque desunt alii auctores; n. 3851 initium tituli auctor noster vidit, ut dederunt Bembus et is unde pendent schedae Bouhieri, integrius quam Strada Mameranus reliqui.

Commemoravi iam, Antiqui exempla in libris Peutingeri Sanuti Filonardiano tradita ad eundem fontem a Siedero diversum redire; horum rursus Filonardianus et Sanutus idem exemplum Peutingerano plerumque praeferendum repraesentant ille optime hic pessime[2]). Mirum vero est, quod locis nonnullis omnem dubitationem excludentibus demonstratur, in Baetica parte collectionis interdum codices Peutingeranum et Filonardianum eadem vitia exhibere, quibus Sanutus vacat[3]); unde aestimare licet aetatis illius his in studiis industriam in syllogarum exemplis his illis conferendis propagandisque hinc inde non minus erroribus quam vero.

V. Liber Parmensis. In fine editionis Mazochii, quae antea fuit Paciaudii, nunc servatur in bibl. reg. Parmensi (n. 22763), inserta sunt folia manu scripta 16, quae continent intermixta et recentioribus et antiquioribus — nam etiam Antiquissimi quem vocat Huebnerus quaedam hic redeunt — multa ex Antiquo derivata (f. 1′—3′. 10. 13′. 15—16′). Quae hic illic commemoravi, perpetuo non adhibui, cum brevis tantum eorum foliorum descriptio a Bormanno confecta praesto mihi esset, quam comiter Huebnerus mecum communicavit. —

---

1) Adscribo hic tituli 3899 exemplum Filonardianum, ut cum Bembo ab Huebnero ad h. t. allato comparari possit: *p. cornelius zosimus emilia pusid. n. ux. s. et s.* Item 3861 (Bembus: *datum mihi fuit Sagunti*): *c. lucili. fui. ii. vir. iurriset. refic.* Etiam n. 3926 integer, qualem adhuc ex solo Bembo noveramus, hic redit (v. 2 *pompeia asie. roe* ut apud Bembum).

2) Non nisi ex communi archetypo explicari potest v. c. series titulorum Saguntinorum. Vitiorum, quae Fil. et San. communia exhibent, exempla sufficiant pauca. In fine n. 3835 apud utrumque auctorem nescio unde adhaeserunt verba *Corsyani. nai. herus. h. r.* (*corsiam nalverus. h. c.* San.). — 1172, 2 *Potito* omitt. Fil. San. — 2040, 2 *proc. n;* 4 *Rassus* Fil. San. — 2549, 1 *d. m. s.* omitt. Fil. San.

3) Verba quae sunt *municipium Albense Urcaonense* a San. recte collocantur in fine tituli n. 2111, a Peut. et Fil. praeponuntur n. 2109. — 2105, 2 *Aug.* om. Fil. Peut., habet San. — 3372, 1 *d. m. s.* om. Fil. Peut., habet San. 5 *xxxxxviii* Fil. Peut., *xxxxviii* recte San. — 1398 Peut. et Fil. prorsus consentiunt, melius ut videtur titulum exhibet San.

His praemissis de auctoribus dicendum iam est de singulis deinceps partibus collectionis ab Antiquo confectae: de quibus cum disputaverimus, dabimus tabulas totum opus quantum fieri potest repraesentantes. Tota collectio in duas partes dividitur, quarum fines in exemplis nobis traditis satis clare cernuntur: altera complectitur titulos provinciae Tarraconensis, altera Baeticos cum paucis e Lusitania et Gallaecia oriundis. Prior pars exstat apud Peutingerum f. 50′—54′; Sanut. f. 295—303; in libro Filonardiano f. 31—44 ita ut finem eius altera pars non statim sequatur, sed interpositis alienis demum f. 78′ seqq.: Siederi deinde codex cum Apiano omninò hanc partem solam recepit. Quominus autem Tarraconensem vocemus hanc inscriptionum seriem, tituli pauci qui interponuntur extra fines Tarraconensis Hispaniae oriundi pontis Alcantarensis (n. 759. 760. 761) Malacitani (1969. 1966. 1968) Cartimitanus (1956) eo minus obstant, quia auctor Antiquus eos non de lapide descripsit, sed ex collectione Antiquissimi transtulit. Atque primum locum in hac priore collectionis parte tenent ipsius Tarraconis tituli plurimi, sequuntur orti Sagunto Ilerda Dertosa Valentia Murcia Ilici Saetabi quique dicuntur orti esse Dianio[1]). Tarraconensium autem inscriptionum praeter amplam seriem modo commemoratam altera collectio minor, quamquam haud exigua, tradita nobis est apud Siederum f. 86′—88 (= Apian. 11, 3—13, 2), i. e. foliorum perperam positorum ratione habita in fine operis; eadem redit in libro Filonardiano f. 23—25 et quaedam inde afferuntur in cod. Parmensi f. 15—15′; ignorant eam et Peutinger et Sanutus. Hos titulos noli quia in aliis exemplaribus desunt, in aliis a ceteris Tarraconensibus separantur, ab Antiquo auctore abiudicare: cui sententiae vel hoc obstat, quod in tanto inscriptionum numero nulla in utraque Tarraconensium serie redit. Quae ratio inter utramque intercedat, inde nisi fallor collegitur, quod maior series fere tota composita est ex titulis sacris, imperatorum, magistratuum sacerdotumque publicorum vel municipalium, vel in quibus aliqua accedat causa peculiaris, cur lectione digniores visi sint[2]); in minore serie vix ullae inveniuntur maioris dignitatis inscriptiones, sed sunt omnes sepulcrales. Itaque puto, auctorem collectionis has a ceteris Tarraconensibus separatas in finem fortasse operis relegasse; unde transierunt in librum Siederi et supplementa Filonardiani, non receptae sunt in illud exemplum, ex quo pendent collectiones Peutingeri Sanuti Filonardiana. Aesonenses inscriptiones quatuor (vide *C. I.* II pag. 594) quas habent Sieder et Apianus, omittunt Peutinger Sanutus Filonardianus, quamquam traduntur loco alieno — interpositae euim sunt

---

[1]) Dianium Antiquus refert titulos ex Antiquissimo petitos, qui ab illo inter Malacitanos proferuntur n. 1965. 164*. 363*, 1433 (*in villa Zolosa* Ferr. Reg. f. 170′), deinde falsum 364* et Tarraconenses 4315. 4388.

[2]) Ordo etiam, quo dispositi sunt hi tituli, magna ex parte pendet ex argumento ipsorum: praecedunt tituli deis dedicati (Filon. f. 31), sequuntur tituli imperatorum (31′—33′) civiumque summis honoribus insignium; alio loco componuntur seviri magistri Larum (f. 35′), flamines provinciae omnibus honoribus in rep. sua functi (f. 37′—38′) *etc.*

Tarraconensibus —, nolim tamen revocare ad fontem diversum; redeunt enim eaedem in libro Parmensi (f. 16′) coniunctae cum titulis qui sine dubio sunt Antiqui.

Putaverim autem, proficisci haec collectanea a viatore, qui ex Gallia terrestri itinere adveniens primum attigit Aesonem, Ilerdam, Tarraconem, Dertosam, deinde meridiem versus perrexit: quocum congruit fere ordo in disponendis inscriptionibus observatus, nisi quod Tarraco et Saguntum propter ampliorem numerum opinor titulorum inde adlatorum praeposita sunt; item cur Barcinonensia omnino absint, hac ratione explicatur. Sequitur post fictos titulos 410*. 149*. 382*. 383*, qui ex vulgatis eius aetatis corporibus huic collectioni adhaeserunt, series inscriptionum Lusitanarum et Baeticarum, quae in solis exemplaribus Peutingeri Filonardiani Sanuti exstat. Et de Lusitanis quidem (Fil. f. 78′—81. 84′—85′, San. f. 303′—305′) anceps est quaestio, pertineantne re vera ad Antiquum an sint auctarium aliunde acceptum: desunt enim apud Peutingerum. Qua de re varium fuit Huebneri iudicium (p. 101. 620), neque ego quicquam certi statuere audeo: quamquam magis est ut credam in archetypo, ex quo tria nostra exempla fluxerunt, haec non fuisse: neque enim tales series maiores in libro Peutingeri omitti solent, nec quod numerus Lusitanorum integer deest ne uno quidem titulo inde relicto, eiusmodi est, quod librario facile tribui possit. Neque tamen propter aetatis rationem huius additamenti origo ad collectiones Zuritae Stradaeve, quod coniecit Huebnerus, referri poterit.

Ceterum Lusitani hi tituli collecti videntur ab homine Salamantica Emeritam iter faciente; incipiunt enim a miliario n. 4676, qui Mamerano teste positus erat prope pagum Calzada, et a miliario Neronis, cui adscriptum est apud Sanutum: *a Salamantica urbe totum illud iter iis notis refertum per columnas marmoreas;* sequuntur tituli Caperenses et sincerus n. 834 et ficti, quibus vix ullus locus magis abundat quam Capera, noti plerique, quibus accedunt ex Filonardiano nonnulli hucusque ignoti; finem facit miliarius Hadriani, ad quem adnotatur: *ad Emeritam in innumeris marmoribus.*

Iam quae sequitur Baeticorum titulorum collectio tribus auctoribus communis (Peut. f. 54′. 58′—59. Filon. f. 81—83. 83′. 85′—86′. Sanut. f. 306—308′) inscriptiones comprehendit repertas Granatae Mentesae Antiquariae Ursone Marcenae Hispali Arucci[1]), quas aut omnes aut plerasque ab uno viatore collectas esse facile credideris, etsi itinerarium eius certa ratione restituere non audeo. Is an Cordubae titulos collegerit, dubitari potest; certe Antiquus Cordubenses non plures habuisse videtur quam unam inscriptionem n. 2300 et titulum fictum n. 198*; nam quos praeterea liber

---

[1]) Arucci (Mora) repertus traditur unus titulus 963, eodemque falso referuntur 2548. 2549, qui Compostellam pertinent. Etiam in loci indicationem ad n. 963 (*in villa Morae. In templo S. Iacobi in quodam angulo* Filon.) templum S. Iacobi ex Compostellensibus irrepsisse crediderim.

Peutingeranus titulos inde profert n. 2225. 2246 (horum uterque ab Antiquissimo translatus esse potest). 4707, ab Antiquo certe abiudicandi sunt (vide supra p. 18). Inter Granatenses liber Filonardianus solus duo fragmenta inedita indidemque titulum Ser. Persii saepius descriptum (n. 2083) et Antiquariensem P. Magnii Rufi (n. 2029) omnes literis uncialibus et cum imitatione quadam veteris literarum formae profert; qui tituli ob hanc ipsam insolitam speciem, pars etiam quia non integri servati erant, in Peutingeri Sanutique exemplis omissi videntur. Neque enim alienis e fontibus haec in librum Filonardianum pervenisse cum inde veri simile est, quod ea seriem titulorum ab Antiquo collectorum, qui secundum loca dispositi sunt, non turbant, tum ea re demonstratur, quod loci indicatio quam liber Filonardianus titulo P. Magnii Rufi (2029) recte tribuit (*in s. Sebastiano Antichere*) eadem apud Sanutum, qui has indicationes hic ut saepe turbavit falso redit ad n. 2051[1]).

Iam quae fuisse videatur series titulorum Antiqui, tabulis illustrabimus citatis auctoribus Siedero Filonardiano Sanuto Peutingero adscriptisque numeris indicantibus, quotus sit quisque titulus in singulis exemplis. In libro Filonardiano numeri 1 sqq. pertinent ad fol. 31 sqq., numeri 1′ sqq. ad fol. 1—30′ (vide supra p. 18). In titulis qui extra seriem Hispanorum dispersi traduntur pro his numeris folia codicum adnotavi. In fine Tarraconensium posui seriem inscriptionum Tarracone repertarum, quae apud solum Siederum et inter Filonardiani supplementa exstat (supra p. 20), deinde Aesonenses, quae leguntur apud Siederum. In fine totius collectionis posui cum ea, quibus certum locum adsignare non audebam, tum Lusitanos titulos Filonardiani et Sanuti (supra p. 21), denique quae aliunde ad exempla Filonardianum et Peutingeranum accesserunt.

Ad ordinem quod attinet, quo singuli tituli collocati sunt, imprimis monendum est, in Baeticis multa esse incerta: ex numeris autem unicuique inscriptioni appositis lector ipse, quid constet, quid minus constet, dignoscere poterit.

---

1) Non inutile erit Antiquarienses titulos ut exemplum eiusmodi Sanuti errorum componere. Quorum series haec est:

Sanutus	Filonardianus
In foro Antiquariae	In platea Antichere
imp. caes.	imp. caes.
Ibid. in aede s. Sebast.	In s. Sebast. Antich.
m. sempronius	p. magnio q. f.
Ibid. in domo privata	Ibid. in domo priv.
p. quintio	m. sempronius
Ibid in turri oppidi	Ibid. in turre quadam
divi aug. n.	p. quintio p. f.
Ibid. in aede d. Ysidori	In templo s. Isidori
quentini	divi aug. n.
	In quadam turri
	quintini.

Veras autem esse libri Filonardiani indicationes ex eis quae aliunde de horum titulorum situ tradita sunt satis constat.

			Sieder	Filon.	Sanut.	Peut.
4092	Tarraco	deo tutelae	1	1	1	2
4072	„	genio convent.	2	2	2	3
4071	„	genio col.	3	3	3	—
4089	„	silvano aug.	4	4	4	4
4080	„	isidi aug.	5	5	5	5
4107	„	pio atque inclito	6	6	6	6
4105	„	devictori omnium gentium	—	7	7	8
387*a	„	imp. titus caesar	—	8	8	7
385*	„	ti. caesar	—	9	9	9
4102	„	fortissimo et clementissimo	11	10	10	10
4103	„	victoriosissimo principi iuventutis	12	11	11	11
4103	„	victoriosissimo principi iuventutis	13	11*a*	—	—
4104	„	maximiano p. f.	—	12	12	13
4108	„	pio atque inclito	—	13	13	12
4108	„	pio atque inclito	—	14	—	—
4106	„	piissimo fortissimo	14	15	—	14
4098	„	imp. caesari m. aurelio	—	15′	—	—
4099	„	l. aelio imp. antonini filio	—	16′	—	48
4097	„	faustinae imp. antonini filiae	—	17′	—	46
4304	„	m. raecio montano	—	18′	—	—
4269	„	m. fabio m. f.	—	16	14	15
4426	„	aspice quam subito	15	18	16	17
4135	„	aurel. ianuario	16	—	—	—
4114	„	m. porcio catoni	17	19	17	18
4111	„	q. atrio clonio	18	20	18	19
4126	„	l. ovinio l. f.	19	21	19	20
4266	„	l. cornelio c. f. gal. celso	20	19′	—	45
4226	„	q. licinio silvano	20	22	20	21
4278	„	l. val. tempestivo	21	23	21	22
4238	„	m. porcio m. f. aniens.	22	24	22	47
4293	„	m. fabio asiatico	23	25	23	23
4297	„	l. flavio chrysogono	24	26	24	50
4192	„	c. annio l. f. quir. flavo	25	28	26	25
4242	„	postumiae nepotianae	26	29	27	26
4246	„	semproniae lusci f.	27	30	28	27
4224	„	p. licinio l. f. gal. laevino	28	31	29	28
4180	„	m. laelio sabiniano	29	32	30	29
4194	„	l. amenio l. f. gal. saturnino	30	27	25	24
4248	„	c. val. arabino	31	33	31	30
4115	„	l. domitio gallicano	32	34	32	31
4212	„	c. egnatule. c. fil.	33	36	34	33
4219	„	l. gavio romano	34	37	35	34
4139	„	q. caecilio l. f. gal. frontoni	35	38	36	36
4118	„	t. titiano leg. aug.	36	39	37	35
4172	„	l. vallerio severo	37	40	38	37
4418	„	memoriae ulpi bonici	38	41	39	38

			Sieder	Filon.	Sanut.	Peut.
4345	Tarraco	c. camilio paterno	39	35	33	32
4231	"	l. numisio l. fil. pal. montano	40	42	40	39
4229	"	c. mario c. fil. pal. vero	41	43	41	40
4237	"	q. iontio q. f. quir. severo	42	44	42	41
4257	"	m. ulpio reburro	43	45	43	49
4121	"	q. edioleo pol. ruffo	44	—	—	—
4157	"	c. iulio reburro	45	—	—	—
4271	"	l. furio l. f. faventino	46	—	—	—
4191	"	l. annio l. f. gal. cantabro	48	46	44	42
4195	"	c. atilio c. f. quir. crasso	49	47	45	43
4227	"	tito mamilio silonis fil.	50	48	46	51
4197	"	l. aufidio q. f. velina	51	49	47	—
4147	"	m. aur. m. f. pab. lucilio	52	50	48	—
4332	"	antoniae clementinae	53	51	49	52
4174	"	d. m. bene sit tibi	47	52	50	44
4397	"	porciae proculae	—	20′	—	—
3833	Saguntum	senatus et populus	} 54	53	51	—
3833	"	claudio invicto		54	52	58
3835	"	imp. m. aur. carino	55	55	53	60
3820	"	dianae maximae	—	56	54	—
3865	"	c. voconio c. f. gal. placido	56	57	55	53
3866	"	popillae l. f. rectinae	57	58	56	54
3865*a*	"	voconius romanus	58	58*a*	—	—
3921	"	iuliae nereidi	—	54′	—	—
3913	"	q. granius q. l. plutargus	59	55′	—	—
3892	"	p. calfurnio armonico	—	56′	—	—
3873	"	q. licinius primus	—	57′	—	59
3896	"	corn. m. f. maxim.	60	59. 58′	57	63
3848 } 3843 } 3844 }	"	sergiae m. f. peregrinae	61—63	59′—61′	—	—
3847 } 3846 } 3842 }	"	antoniae l. f. sergillae	64—66	62′—64′	—	—
3877	"	m. aemilio m. f.	67	65′	—	55
3876	"	l. valerius muntanus	68	66′	—	61
3916	"	q. grathius xanthius	69	67′	—	62
3914	"	g. grattius halis	70	—	—	—
3912	"	dis man. l. gemin. myrines	71	68′	—	56
3856	"	p. baebio l. f. gal. maximo	72	69′	—	—
3850	"	l. antonio l. f. gal. numidae	73	70′	—	—
3926	"	h. s. e. pompeia	—	71′	—	—
3839	"	q. le. gal. hispano	—	72′	—	—
3837	"	paulo aemilio pauli f.	74	60	58	57
3841	"	pompeius balonius	—	62	60	—
3010	Ilerda	c. licinio c. f. gal. saturnino	—	63	61	67
4457	"	atinae spuri f. lucillae	—	64	62	68
4056	Dertosa	t. aug. sacrum	75	65	63	69

			Sieder	Filon.	Sanut.	Peut.
4056	Dertosa	tutelae aug. sacrum	76	66	63	70
3744	Valentia	q. sertorius q. lib. abascantus	77	67	64	72
3735	„	q. herennio etrusco	78	69	66	74
3736	„	c. valenti hostiliano	79	68	65	73
3734	„	g. n. a. eal seiae	80	70	67	75
3771	„	virie acte	81	71	68	76
759	Alcanter	imp. caesari divi nervae f.	84	72	69	77
760	„	municipia provinciae lusitaniae	85	17	15	16
761	„	imp. caesari divi nervae f.	86	73	70	78
1969	Malaca	imp. caesaris l. septimi severi	88	74	71	79
1966	„	l. servilius superatus	87	75	72	80
1968	„	l. granius seio	—	76	73	81
1956	Cartima	iunia d. f. rustica	89	77	74	82
356*	Murgi	castori et polluci	90	78	75	83
3555	Ager Illicitanus	augusto divi f.	91	79	76	84. 87
3567	„	varro an. xviii	92	80	77	85. 88
3626	Setabis	c. clodio c. f. flavo	93	81	78	86
1965	Dianium	iovi m. lucretius curus	—	82	79	89
164*	„	palladi victrici sacrum	94	83	80	90
1433	„	turri genio	95	84	—	91
4383	„	dis manibus m. iuvalio liciniano	96	—	—	—
363*	„	vale coniux valete nati	97	85	81	92
364*	„	c. terent. t. terent f.	98	86	82	93
4315	„	d. m. factionis venetae	99	87	83	—

			Sieder	Filon.
4151	Tarraco	d. m. t. cassio flavino	100	21′
4161	„	d. m. q. moneio verecundo	101	22′
4400	„	d. m. n. pub. lilio theopompo	102	23′
4335	„	d. m. atilius calventianus	103	25′
4184	„	d. m. felici aug lib.	104	24′
4381	„	d. m. iuliae t. f. tertulinae	—	26′
4383	„	d. m. m. iuliano liciniano	—	27′
4339	„	d. m. s. baene helice	105	28′
4413	„	d. m. vario hippodamae	106	29′
4406	„	d. m. trocinae sirvando	107	30′
4261	„	d. m. aemilio valerio	108	35′
4365	„	d. m. hic iacet fremidonius	109	36′

			Sieder	Filon.
4445	Tarraco	d. m. aphrodine aria	110	37′
4390	„	d. m. mascliae auguste	111	38′
4392	„	d. m. l. numisio symphor.	112	39′
4389	„	d. m. manliae quintae	113	—
4385	„	d. m. l. licinio severo	114	40′
4167	„	d. m. val. attico	115	31′
4287	„	d. m. m. aehe ataeo	116	32′
4380	„	d. m. iuliae quintia	117	33′
4142	„	d. m. il. aqu. m. f.	118	34′
4370	„	d. m. fulloniae l. f.	119	41′
4379	„	d. m. c. iulolyap.	120	46′
4168	„	m. valerio flavos. f.	121	44′
4156	„	d. m. iulio flavino	122	43′
4324	„	memoriae saturnini	123	45′
4311	„	d. m. l. hilario aruspici	124	47′
4150	„	d. m. cecili maturi	125	48′
4300	„	d. m. m. lucretio nicephoro	126	49′
—		et martialis	—	50′
4220	„	l. grattio c. f. gal. glauco	127	51′
4144	„	d. m. l. anteio flavino	128	52′
4414	„	d. m. variae iucundae	129	53′
4458	Exona	lunae augustae sacrum	7	—
4473	„	ful. l. fulvi restituti	8	—
4468	„	l. val l. fil. gal. faventino	9	—
4465	„	p. mar. maron. filio	10	—

			Filon.	Sanut.	Peut.
2081	Granata	l. galirio l. f.	101	—	94
—	„	. . . l. f. patricia	102	—	—
—	„	. . ter relligioss . . .	103	—	—
2083	„	sirpirsius orii	109	—	—
1165	Hispalis	l. licinius adamatus	—	109	—
1172	„	d. cutio balbino	104	110	109
1173	„	cutio romulo	105	111	95
1223	„	d. m. s. fabia sympherus	106	112	96
1224	„	d. m. s. m. fabius fortunatus	107	113	97
1169	„	m. aurelio vero	7′	114. 115	110
1175	„	m. messio m. f.	—	116	—

			Filon.	Sanut.	Peut.
4694	Antiquaria	imp. caes. divi traiani	108. 161	117	117
2040	„	divi aug. n.	2'	120	118
2048	„	quintini p. f. gallia	3'	121	119
2046	„	p. quintio p. f.	112	119	120
2029	„	p. magnio q. f. quir. rufo	110. 160	—	—
2051	„	m. sempronius catne	111. 162	118	121
1416	Assuna	optatus calpurniae	114	—	98
1404	„	l. vettius c. f.	115	—	99
2300	Corduba	l. in fr. p. xv	117	127	100
198*	„	h. m. m. h. m. s.	113	128	71
3361	Mentesa	c. sempronius c. f. sempronianus	122	101	101
2111	„	imp. caesari divi traiani	123. 124	102	102. 103
2109	„	l. caesari augusti f.	124	103	103
2105	„	libero patri sacrum	125	104	104
3367	„	cl. cornelio suviano	126	106	105
3377	„	deo tutelae	127	107	106
3372	„	ap. aureliae aur. filiae	128	105	107
3370	„	deo man. calpurnia l. f. scantirae	—	108	—
—	Mairenum	leontius famulus dei	129	122	108
1395	Marcena	calpurnia c. f. tusculina	130	125	—
1398	„	t. fannius t. f. pap. proculus	9'	124	111
1391	„	ara sal.	8'	126	112
1396	„	t. domitius t. f. pap. clemens	116	123	113
963	Mora	iuliae agrippinae	4'	132	114
2549	„	numerius vitalioni	5'	133	116
2548	„	aquilia modiesta	6'	134	115
2541	ad XIIII lap. ab aede d. Iacobi	d. m. s. f. tertulia	—	129	—
2559	Clunium nunc Lacrugna	marti aug. sacrum	—	130	—

TITVLI QVI IN ORDINEM CERTO LOCO RECIPI NON POTVERVNT.

			Sieder	Filon.	Sanut.	Peut.
3052 / 278*	Aguisandos	longinus prisco (*tituli taurorum*)	—	1′	100	f. 1′. 32′
410*	Barcino	bello sertoriano	82	f. 67	135	f. 45
382*	Iberium (F.) Aragonia (P.)	quo vadam nescio	—	f. 67′	—[1]	f. 45. 63
383*	Aragonia	clodius rabia	—	f. 72	85	1
149*	Gades	heliodorus insanus	—	f. 68′	84	f. 48. 48′
223*	Callecia	ego isis sum	—	132, f. 86′	—	64
150*	Gades	c. caesar pius	—	133, f. 87 142, f. 88′	—	65
—	Carthago nova	a. lumnesius a. f.	—	134, f. 87 140, f. 88′	—	66
3461	„	cn. clodio c. grathonis f.	—	135, f. 87 141, f. 88′	—	—

[1]) Huebnerus inter auctores huius tituli adscripsit Sanutum f. 303, sed in apographo Sanuti, quod mihi praesto fuit, is non exstat.

TITVLI LVSITANI.

			Filon.	Sanut.
4676		imp. caesaris divi septimi severi	88	—
4683?	iter a Salamantica urbe	nero claudius caesar aug. germanicus	89	86
834	Cappara	bolosea filio	90. 118	87
—	„	d. m. c. vocuntiae	91	89. 93
231*		neroni claudio caesari aug.	92	90
80*		fabio metello	119. 120	88
81*	Cappara	l. marcellina ocella l.	121	91
83*	opp. S. Bartholomei	quam varia hominum fata	122	92
—	„	d. m. ant. luxius sabinus	93	93
—		m. aurelius ant. pius aug.	94	94
232*		imp. caesari nervae traiano	95	95
—	pone pagum Margusae	imp. caesari m. aurelio aug.	96	96
85*		t. victurio et c. sempronio coss.	97	97
4667?	ad v. lapidem a. S. Barthol.	imp. caessar divi nervae filius	98	98
4656?	Emerita	imp. caesar divi traiani partici f.	99	99
—	„	. . ivi . . rth . . rvae . . .	100	—

ADDITAMENTA FILONARDIANI.

			Filonard.	
3729	Valentia	l. antonius l. f. gal. sabinus	f. 22	10′
3745	»	homuncio vel . . .	»	11′
3763	»	q. iunio crati c.	f. 22′	12′
4025	Vilar	d. m. victorinae fil.	»	13′
3797	Liria	m. baebius quietus	»	14′
3760	Valentia	d. m. domiti victor.	f. 26′	73′
3926	Valentia (n. 74′) Sagunt. (n. 95′)	c. p. claudus an. lxxxx	» f. 27′	74′ 95′
4691	Malaca	imp. caes. p. licinius valerianus	f. 26′	75′
3937	Saguntum	trophimus para	» f. 26′	76′ 77′
3936	»	et verinae xxxx	f. 27′ »	87′ 89′
3820	»	diane maxime	f. 27	78′
3840	»	macilio meo	» f. 28	79′ 102′
3899	»	p. cornelius zosimus	f. 27	80′
—	»	(*titulus Ibericus*)	»	81′
3751	Valentia	abascanto faunia rustica	»	82′
3798	Liria	q. caeclius modestus	»	83′
3805	»	lic. ursinae ann. xxx	»	84′
3784	Valentia	cratilae c. filiae	»	85′
3822	Saguntum	dianae cultorum	f. 27′	86′
3838	»	silanus . . . iusto	»	88′
—	»	quintus fabius monisius	»	90′
—	»	licinus luctatius utilius	»	91′
3922?	»	quintus liginius	»	92′
3940	»	m. valerius m. f. vicistius	»	93′
3913	»	q. granicus politraucus	f. 24 f. 27′	42′ 94′
3905	»	q. fabio ro. fecernt	»	96′
3912	»	dis man. l. gemin. myrines	f. 28 f. 28′	97′ 104′
3914	»	g. grattius halys	f. 28	98′
3861	»	c. lucili fui	»	99′
3845	»	l. antonio . . . al. numidae	»	100′
3841	»	. . . pompilius . . . balbinus	»	101′
3869?	»	. . fra . . . an . .	»	103′
3862	»	l. aemilius c. f.	f. 28′	105′
3858	»	m. calpurnio m. f.	»	106′
3837	»	paullo aemilio paull. f.	»	107′
3834	»	claudio invicto pio fel.	»	108′
3851	»	. . . o q. f. cal. restituto	»	109′
3835	»	imp. m. aur. cae. aug.	»	110′

			Filonard.	
3639	Sciativa	manliae m. f.	f. 86'	131
3619	olim Setabis	imp. caes. m. aur.	f. 88'	139
4943	Guadiscum	imp. caes. m. cassiandus	f. 88	136
3393	"	iuliae mammeae aureliae fil.	"	137
3397	"	proculo . . . ci avis	"	138
3005	Osca	d. m. s. manlia l. f.	f. 88'	143
3003	"	d. m. s. p. atellius serg.	"	144
3004	"	d. m. s. . . . leo l. f.	f. 89	145
—	Oppid. Fontis fici	d. m. ss. . . . l. mallio	"	146
3635	Sciativa	corneliae p. f. propinquae	"	147
3619	"	imp. caesar m. aure.	"	148
3639	"	manliae m. f.	f. 89'	149
—	"	caelia q. f. gemella	"	150
3623	"	m. fulvio l. f. gal.	"	151
3648	"	. . c . . . soror . . et sibi	"	152
3632	"	g. cornelio g. f. gal.	"	153
—	"	l. corn. german. aug.	f. 90	154
3772	Valentia	viriae acte	"	155
3727	"	fatis q. fabius nysus	"	156
3754	"	m. aquilio a. quirino	"	157
3773		. . . vires censet	"	158
3768	"	d. m. l. vario proclo	"	159

ADDITAMENTA PEVTINGERI.

			Peutingeri	
4707	Corduba	imp. caesar divi f. augustus	f. 59	122
242[1])	Ulixbona	q. pompeius q. f. tiphus	"	123
231[1])	"	d. m. s. m. licinio materno	"	124
182[1])	"	divo augusto arrius optatus	"	125
1473	Astigi	p. numerius marcialis	"	126
1474	"	caecilia trophime	"	127
254	Ulixpona	l. valerius cal. severus	"	128
2246	Corduba	d. m. s. m. lucretius	"	129
2225	"	l. manlio a. f. a. n.	"	130
487	Ulixpona [Emerita]	d. m. s. aeliae agrippinae	"	131
518	Ulixp. [Emer.]	d. m. s. l. licinius lundananus	f. 59'	132
589	"	d. m. s. p. pomponius diophanes	"	133
506	"	d. m. s. l. iuventius urbicius	"	134

[1]) In *C. I.* II Peutingerus inter auctores huius tituli omissus est.

H. Oldenberg.

ADDITAMENTA

AD CORPORIS VOLVMEN II.

De variis exemplis syllogae titulorum Hispanorum vetustae, quam Antiqui dixi cuiusque nuper duo in lucem protracta sunt, supra Oldenbergius egit; non inutile enim visum est, quae ex ipso volumine difficile tantum erueris initia quasi syllogae Hispanae epigraphicae denuo accuratius inlustrare, quamvis ad titulos ipsos vel augendos vel melius legendos frugis inde paene nihil appareat redundare. Quae ex sylloge Filonardiana nova accesserunt frustula quaedam non prorsus inania inserenda curavi additamentis hisce; ego enim quae novae per hos annos ab amicis plerumque mecum communicatae sunt inscriptiones Hispanae memorabiliores numero plus minus quinquaginta, eas locorum ordine dispositas infra recensebo.

1 (ins. post n. 225). Parmae in bibliotheca regia Bormannus in exemplo epigrammatum urbis Romae a Mazochio inpressorum (n. 22763), quod olim Paciaudii erat, praeter Antiqui syllogen fasciculum invenit foliorum quattuor ita inscriptum '*trovate in Portogallo, nel 1768 mandate per ordine del Sig. Co. d' Oejra al P. Paciaudi*'. Comes ille *d' Oeyras* (ita enim nomen eius scribitur) is est, qui inde ab a. 1770 marchio *de Pombal* factus nominis sui memoriam reliquit in patria et extra fines eius claram. Tituli duodecim cum cura depicti noti sunt omnes uno excepto hoc

Q · IVLIO · Q · F GAL
SALVIANO

Tituli reliqui, qui sunt n. 178 180 190 192 194 195 198 199 227 240 245, descripti sunt accurate omnes.

2 (ins. post n. 468). Emeritae rep. a. 1875.

M · D · S
VAL · AVITA
ARAM · TAVRIBOL
SVI · NATALICI · RED
DITI · D · D · SACERDO
TE · DOCVIRICO · VALE
RIANO · ARCIGALLO
PVBLICIO · MISTICO

Misit Guerra, qui ab amicis acceperat.

M(atri) d(eum) s(acrum). Val(eria) Avita aram tauriboli sui natalici redditi d(onum) d(at) sacerdote Docuirico Valeriano, arc[h]igallo Publicio M[y]stico

Ut v. 8 MYSTICO ita v. 7 ARCIGALLO puto in lapide esse. — V. 2 Valeria Avita quaedam tituli item Lusitani II 149 ab hac omnino diversa est; videtur enim titulus ille hoc plus saeculo vetustior esse. — V. 3 *Aram tauribolii natalicii sui redditi* intellege aram positam propter taurobolium deae redditum die natali Avitae, quod breviter dictum est taurobolium natalicium. *Tauribolium* pro eo quod esse solet *taurobolium* secundum analogiam conpositorum frequentium (veluti *armilustrium veriloquium*) recte formatum infra redit in titulo n. 5. [Cum notum sit taurobolium eodem die iterari, mihi est ara, qua dedicata redditur natalicium taurobolii ante annum vel, si magis placet, ante viginti annos ab Avita suscepti TH. M.] — V. 6 *Docuirici* vel *Doquirici* nomen Lusitanum non infrequens est, ut docet index voluminis II. — V. 7 De Publiciis dixi ephem. II p. 89.

---

3 (ins. post n. 470). Emeritae, nuper (a. 1875) reperta.

. . . . · AVO
SACRVM
IN HONOREM
M · ARRI · REBVRRI
LANC · TRANSC ·
FILII · OPTIMI
M · ARRIVS · LAVRVS · ET
PACCIA · FLACCILLA
POSVERVNT

Guerrae miserunt amici.

V. 1 Dei deaeve nomen, veluti [*Saluti*] *Aug(ustae)*, periit. Dedicationes enim certis dis deabusve factae in honorem defunctorum non rarae sunt potissimum in Hispania. Cf. vol. II p. 774 col. 3 et ephem. I n. 295. — V. 5 Lancienses Transcudani ubi in Lusitania oppidum habuerint ignoratur; memorantur autem inter municipia, quae ad opus pontis Alcantarensis contulerant vol. II 760.

4—7 (ins. post. n. 650). Inter *Montanches* et *Torremocha* iuxta parietinas oppidi antiqui ignoti, quae dicuntur *Villas viejas grandes* et *chicas* (*término de Botija, partido judicial de Montanches, provincia de Cáceres, Extremadura, al extremo sudeste de la dehesa llamada Palacios de Golondrina, y en la orilla derecha del rio Tamuja, ya en termino de Torremocha*) repertae nuper dicuntur esse arae quattuor ita inscriptae:

a IOVI · SOLVTO · ARAM · P · C*or*N · ALITVS · Q · L

b Q[s] . . . MR . . VL . . AN . IOVI SOS(*piti*)

c LAORRA MXS . VMVS · IOVI · AR · P · AL (C supra VMVS)

d NORBABITVS · IOVI · AR · P AL (C supra S)

Misit Guerra textum ab amicis secum communicatum; ectypa aut certe meliora exempla idem a me saepius rogatus frustra conatus est ab hominum eius regionis desidia extorquere. Adparet versus in exemplis esse continuatos; restitui possunt ita fere:

a	*b*	*c*	*d*
IOVI	Q · [*au*]R*el*(*ius*)	*lunula*	*lunula*
SOLVTO*rio*	*t*VL*li*AN*us*	L·*n*OR*b*A*nus*	*l.* NORBA*nus*
ARAM · P	IOVI	MAXSVMVS	A *v* I T V S
C*or*N · A*v*ITVS	S O *l*	IOVI · AR	IOVI · AR
a · L	*utorio*	P · A · L	P · A · L

Iuppiter solutorius in regionibus illis frequenter cultus est (cf. n. 661); in AR titulorum *c d* tam *aram* vocabulum potest indicari quam cognomen aliquod Iovis nondum notum. Norbanos in eisdem regionibus frequentes esse dixi vol. II p. 81.

---

8 (ins. post. n. 985). *Burguillos*, reperta nuper (a. 1873) intra parietinas aedificii alicuius antiqui, quae sunt *junto al mayor de los manantiales que surten la villa.*

IN HON DM DVNAE
G AVF G F GL VEGTVS
II VIR · II CRAT BALNEV
AEDIFI ET G AVF · G F GM
AVITVS F II VIR · DSIG
caput Sileni
D · S P · D
ET EDITIS CIRCENS *d*

Guerrae amici miserunt, is mihi.

In hon(orem) dom(us) divinae G. Auf(idius) G. f. Gal(eria) Vegetus duovir II (iterum) curat(or) balineu(m) aedifi(cavit) et G. Auf(idius) G. f. G[al(eria)] Avitus f(ilius) duovir desig(natus) d(e) s(uo) p(ecuniam) d(edit) et editis circiens(ibus) [d(edicavit)]

Formula praeposita, quam inde a Domitiani fere temporibus frequentiorem fieri novimus, scripturae conpendia ex parte insolentia, litterae minores maioribus iunctae, ipsa denique litterarum forma tenuis et alta titulum alterius fere saeculi parti posteriori tribuendum esse indicat. V. 4 in fine pro GM in lapide est necessario aut GAL aut G · N; hoc probabilius propter additum in fine *f(ilius)*. *Sileni* vel *Silani* potius caput notum est fontem indicare, cf. H. Jordan *nuove memorie dell' instituto* (1865) p. 218 et C. I. L. vol. III 3580. *Circiensis* forma pro *circensis* infra redit n. 16.

Ceterum cuinam inter municipia eius regionis titulus hic et vol. II 985 attribuendi sint ignotum est. Baeturiae enim Celticae quae dicebatur universae fines et oppida, inter quae ignotum quoque illud numerandum est, nequaquam ea qua par est cura explorata esse saepius conquestus sum; idem infra adparebit ex adnotatione ad n. 18—24.

---

9 (ins. post. n. 1342). A *Grazalema* kilom. 4, ante pontem *de la Terrona* in dextra *Guadalete* fluvii ripa circa kilom. 5 ab eius fonte, in ultimo provinciae Gaditanae quae nunc est angulo, qua Malacitanam provinciam attingit, rep. est a. 1875 basis ingens ex marmore rubro (*jaspe encarnado*) earum regionum; alta est m. 1. 37, lata 0. 62, crassa 0. 68. Litterae dicuntur esse quadratae et optimae.

MEMMIAE ·///////F ·
AELI/////////AS//////
HVIC · ORDO · LACIDVL///N
DECREVIT · LAVDATION
IMPENSAM · FVNERIS
LOCVM · SEPVLTVRAE
MONVMENT · STATVM
AELIA · M · F · BASSINA
MATER
HONORE · ACCEPTO
IMPENS · REMIS ·

Franc. Matth. Gago presbyter Hispalensis misit ediditque in ephemeride *el comercio de Cadiz* d. 17 m. Sept. a. 1875.

Idem adfirmat legi in lapide *ordo Lacidulen(sis)*, non ut in titulo eius oppidi adhuc unico vol. II n. 1342 ego cum aliis legi *Lacilbulensis*. Cum hic quoque nomen male habitum esse adpareat in lapide, ectypum expectandum.

Quo modo cognomina defunctae supplenda sint non satis certum est; potuit appellari matrem secuta *Memmia M. f. Aelia Bassina*.

10. 11 (ins. post. n. 1609). Rep. nuper in *las Bobadillas*, qui est collis situs inter Baënam, Tucci (*Martos*) et Alcaudete (1½ *legua al Norte y en jurisdiccion de Alcaudete, junto al arroyo del Carchal*). Extant ibi parietinae monumenti sepulcralis, longi circiter m. 5, lati 3. Ibi prope reperti sunt lapides hi duo.

a

L · MARIVS · MARVLLI
NVS · OELVNENSIS · PIVS
IN · SVIS
AN · LXXX · H · S · E · S · T · T · L

b

L · CINCIVS · SATVRNINVS · AN · L
H · S · E · S · T · T · L

Guerra *discurso de Rada**) p. 120 cui descripsit misitque *ex Alcaudete* Amandus Rodrigues y Merino.

Comparat Guerra titulum C. I. L. II 1646 misere corruptum; ibi enim v. 6 qui extant LVNENSES putat fuisse [*Oe*]*lunenses*. Atque Oelunum Oelunamve oppidum aliunde prorsus ignotum ibi prope quaerendum esse constat; quo loco fuerit, certo demonstrari non potest.

---

12 (ins. post n. 2061). Rep. nuper *en el cortijo del Rio, tres leguas al occidente de Loja, un cuarto hacia el ocaso tambien de Villanueva del Trabuco, y à igual distancia para el Oriente del Saucedo ó Villanueva del Rosario, jurisdiccion de Archidona*. Lapis altus m. 0. 21, latus 0. 27. Litterae visae sunt Guerrae esse saeculi tertii fere medii.

D · M · S ·
Q · FABIVS · CARPVS VLISITANVS
ANNORVM · LXXXII
PIVS · IN SVIS · HIC ·
5 SITVS · EST · S · T · T · LEVIS ·

Guerra *discurso de Rada* p. 134.

Guerra Ulisi oppidum aliunde ignotum (Ulisia 'Οδύσσεια? — id enim nominis illius veriloquium esse sibi perfaasit) in *Ujijar* ponit propter nominis similitudinem. Atque quaerendum sane est in vicinia (solet enim in Hispania in titulis sepulcralibus patria defunctorum indicari eis fere locis ipsis, quibus vixerant); sed nominis hodierni similitudo sola non sufficit ad situm oppidi vetusti definiendum.

*) *Antigüedades del cerro de los Santos en término de Montealegre. Discursos leidos ante la Real Academia de la Historia en la recepcion publica del S. D. Juan de Dios de la Rada y Delgado el dia 27 de Junio de 1875.* Madriti (Fortanet) 1875 pp. 180 fol. cum tabulis lithographis XX et geographicis duabus. Repetita est commentatio nuper in *museo Español* 6, 1875 p. 251 ss. Titulos a Rada editos, qui scripti sunt litteris linguaque peregrinis, donec ipse videro, fictos esse credam omnes.

13 (ins. post n. 2086). Ibidem (scil. in Granata) in quodam marmore trito in Sco. Michaeli.

L · F · PATRICIA
*ob hon*OREM SACER
doti epulo POPVLO DATO
D · D

Filon. f. 81.
2 traditur MOREM.

---

14 (ins. post n. 2089). Ibidem (Granatae) in Sco. Ioseph in uno frusto magnae pilae marmoreae.

TER · RELLIGIOSS

Filon. f. 81.

---

15 *Cordubae* rep. a. 1872, *à poco mas de tres metros de profundidad abriendo las zanjas para una casa que hace esquina à la calle del Conde de Gondomar y paseo del Gran Capitán.* Ara marmorea grandis.

caput arietis — *patera*

EX IVSSV MATRIS DEVM
PRO SALVTE IMPERII
TAVRIBOLIVM FECIT PVBLICIVS
VALERIVS FORTVNATVS THALAM^{s}
SVSCEPIT CRION IS PORCIA BASSEMA
SACERDOTE AVRELIO STEPHANO
DEDICATA VIII KAL APRIL
PIO ET PROCVLO COS — p. C. 238

F. Fita *Museo Español de Antiguedades* 4 (1875) p. 635 cui ectypum misit Victorianus Rivera Romero.

Ex iussu matris deum pro salute imperii tauribolium fecit Publicius Thalamus, Valerius Fortunatus suscepit crion is(tante?) Porcia Bass[en]ia, sacerdote Aurelio Stephano. Dedicata VIII kal(endas) April(es) Pio et Proculo co(n)s(ulibus)

V. 3. Potest etiam ita iungi: *tauribolium fecit Valerius Fortunatus. Publicius Thalamus suscepit crion.* Aut *Publicius* nomen aut cognomen *Thalamus* omissum antea postea videtur interpositum esse. Utrum eligendum lapis ipse docebit. — V. 5 Formula quae est *suscepit crion* pro frequenti quae est *criobolium fecit* nova videtur esse; etiam *accipere* et *percipere* de tauroboliis usurpantur. — V. 15 si recte lectum est quid sit non adsequor; dubitanter proposui *instante illa*; ut solent in titulis tauroboliorum nominari praeeuntes sacerdotes, praesentes et tradentes tam sacerdotes quam privati. Sed sacra illa matris deum nondum explicata sunt singillatim (cf. Prelleri mythol. Rom. p. 738).

Tauribolium pro taurobolio habuimus supra n. 3. [Mihi creduntur hybrida sacrificii vocabula hic ita efferri, ut fiant *tauri* et *crionis bolium* le-

gendumque sit: *tauri bolium fecit Publicius Thalamus, Valerius Fortunatus suscepit; crionis Porcia Bassemia* (?). Nam *crionis* pro κριοῦ dedisse hominem latinum non offendit, cum *bolium* ipsum non multo melius formatum sit. TH. M.]

---

16 *Cordubae* rep. una cum praecedente. Tabula marmorea, quae videtur olim in basim statuae inmissa fuisse.

COLONIA · PATRIC
L · IVNIVS · P · F · PAVLINVS · PONTIF · FLAMEN · PERPET · IIVIR · C · C · P · FLAM · PROVIN
BAET · EDITO · OB · HONOREM · FLAMINATVS · MVNERE · GLADIATORIO · ET · DVABVS · LVSSIONIB
STATVAS · QVAS · OB · HONORES · CONIVNCTOS · PROMISERAT · EX · HS CCCC · POSVIT · ET · FACTIS · CIRCIENS · DED

F. Fita *Museo Español de Antiguedades* 4 (1875) p. 636, cui ectypum miserat Victorianus Rivera Romero.

Colonia Patric(ia). L. Iunius P. f. Paulinus pontif(ex), flam(en) perpet(uus), IIvir c(olonorum) c(oloniae) P(atriciae), flamen provin(ciae) Baet(icae), edito ob honorem flaminatus munere gladiatorio et duabus lussionib(us) statuas, quas ob honores coniunctos promiserat ex IIS (sestertium) CCCC (milibus), posuit et factis circiensibus ded(icavit)

V. 1 Statuae, quas promiserat Paulinus, cum coloniae ipsius, ad quam hic titulus pertinet, tum possunt fuisse aliorum numinum atque imperatorum. — V. 2 De sacerdotiis municipalibus provincialibusque videnda nunc quae Marquardtius congessit in hac ephemeride a. 1872 p. 200 ss. (cf. eiusdem *römische Staatsverwaltung* 1 p. 108) ea quae ego antea aliique commentati eramus conprehendens dilucide, augens, emendans. Probat hic quoque titulus perpetuum tantum fuisse flamonium muncipale (hic *flaminatus* dicitur, cf. Mommsenus ephem. a. 1872 p. 221), annuum provinciale. — V. 3 *Lussiones duae* videntur intellegendae de ludis scaenicis; *s* geminatum, si modo est in lapide, conparandum cum *divissiones*, quod Ciceroni Vergilioque placuisse testatur Quintilianus I 7, 20 — V. 4 *Circiensis* formam supra iam notavi ad n. 8.

17 *Cordubae* rep. *cerca de la ciudad, haciendo un desmonte para la via férrea de Belmez.* Extat apud Emmanuelem Tena.

Q · ANNEDIVS · Q · L · SVRILLIO ·
H · S · E · S · T · T · L ·
LVCLENIA · ƆƆ · L · GRATA · PIA · FRVGI
H · S · E · S · T · T · L

F. Fita *Museo Español de Antiguedades* 4 (1875) p. 637 cui ectypum misit Victorianus Rivera Romero.

Adposui propter nomina et formulas, quae hunc titulum ut alios similes Cordubenses probant ad Augusti aetatem aut certe ad saeculum primum esse referendum.

Ad n. **2339** ss. Azuagae in oppido Baeturiae devio extare adhuc excepto uno n. 2338 titulos a me conpositos inter Baeticae inscriptiones cap. XXI (p. 321) quattuor (n. 2339—2342) Guerrae nuper testati sunt amici miseruntque praeterea exempla duorum nondum notorum (n. 20. 23) et adfirmaverunt Azuagae item extare neque unquam fuisse Llerenae, ubi Mameranus posuerat unicus eius auctor adhuc notus titulum n. 1028. Existit inde series titulorum ad Traiani domum pertinentium (cum coaevo fortasse uno magistratus municipalis n. 24) haec plus uno nomine memorabilis, quam integram puto repetendam esse, quanquam dolendum est nequivisse Guerram ectypa eorum sibi procurare. Unde exemplis scriptis standum est.

18 (vol. II 2339) Azuagae.

DIVO
NERVAE
D·D·M·I·V
P·I·E·D

Textus non variat ab a me edito.

Divo Nervae d(ecreto) d(ecurionum) m(unicipium) i. u. p. i. e. d(at)

---

19 (vol. II n. 1028) Azuagae, Llerenae collocatus secundum Mameranum, ubi videtur nunquam fuisse.

IMP · CAESARI
DIVI · NERVAE · F
NERVAE · TRAIANO
OPTIMO · AVG · GER
PARTHICO
DACICO · PONTIF
MAXIM · TRIBVN
POTEST · XVIIII · IMP · XI p. C. 115
COS · VI · P · P
D · D · M · F · V ·
P · P · F · D

V. 5 PATRICO Mamerani exemplum scriptum, quod Occo correxit in PARTHICO fortasse meliore eius schedarum exemplo usus. 8 POTEST · XVIIII Mam., XIIII Guerrae amicus, II P · P · D Mam.

Cum adclamatione imperatoria undecima coniungi omnino nequit tribunicia potestas quarta decima. Unde patet verum servasse Mameranum; eidem numeri, *trib. pot. XIX imp. XI cos. VI,* coniunguntur in titulo pontis supra Metaurum Fabr. 398, 289. Traianus autem iam a. 115, non a. 116 demum (ut statuerat Eckhelius VI p. 438. 461) Parthici nomine appellatus est in hoc titulo; Borghesii enim emendatio (in epistula ad Henzenum *bull. dell' inst.* a. 1859 p. 120), qui GER*man*ICO · DACICO scribi iussit etiam propter Dacici titulum postpositum, novo hoc exemplo redarguitur. Scilicet turbavit ordinem nominum quadratarius provincialis; Parthicae autem victoriae nuntius potuit iam eodem, quo partà est, anno in Hispaniam propagari.

---

20 Azuagae, nondum notus.

D I V
TRAIA
PAR//////
//////////

Div[*o*] | *Traia*[*no*] | *Par*[*thico* | *m. i. u. p. p. f. d*]

---

21 (vol. II n. 2340) Azuagae.

MARCIA*na*E · AVGVSTAE · IMP
CAES · DIVI · NERVAE · F · NER
VAE · TRAIANI · OPTIMI · AVG
GERM · DACICI · PARTHICI
SORORI

V. 1 videtur male habitus esse initio, nam etiam Moralis exemplum adhuc notum solum prave exhibet MARCIAE · IMP · CAES (omisso AVGVSTAE vocabulo), ut hoc ex illo hausisse putandum sit. Tamen Moralis exemplum vv. aliter dividit et desinit v. 3 in AVG vocabulo additis duobus versibus, qui lineolis tantum indicantur. Quae novum hoc in fine addit ad supplendum proclivia ego suppleveram.

---

22 (vol. II n. 2341) Azuagae.

MATIDIAE · AVGVSTAE
IMP · CAES · DIVI · NAERVAE *sic*
F · NAERVAE · TRAIANI *sic*
OPTIMI · AVG · GERM · DACICI *sic*
PARTHICI · SORORI*s f*

V. 5 SORORIS, '*lo demas no se puede bien leer*' Morales, qui solus antea tradidit, SORORI nulla lacunae indicio addito Guerrae amicus.

Diserte diversus esse traditur a titulo novo qui sequitur; neque mirum duabus statuis honoratam fuisse in municipio illo Matidiam Augustam. Hic autem gemellus videtur fuisse praecedentis. *Naervae*, quod bis in lapide esse testatur qui descripsit, fortasse antiquissimum est confusionis eius postea frequentissimae exemplum, quod ex Hispania prodire non mirabuntur qui quot ibi sermonis Latini pronuntiatio mutationes videatur subiisse reputaverint.

---

23 Azuagae, nondum notus.

MATIDIAE
AVGVSTAE
IMP · CAES · DIVI
NERVAE · F · NERVAE
TRAIANI · OPTIMI
AVG · GERM · DACICI
SORORIS *f. d. d.*
M · I · V
P · P · F · D

V. 7 SORORIS ID//// traditur; fuit in lapide SORORIS · F · D · D.

Titulus videtur gemellus fuisse eius, qui Traiano ibi positus est a. 115 (n. 19); nam de Matidia iuniore cogitare vetat Augustae nomen, ut ad n. 22 iam observaverat Mommsenus.

---

24 (vol. II n. 2342) Azuagae.

M · HERENNIO
M · F · GALERIA
LAETINO
AẸD · II VIR · III
PONT · AVG *sic*
HEREDES
EX TESTAMENTO · EIVS

Morales, qui vv. aliter disposuit, v. 5 habet PONTIF · AVGG. Videtur autem potius solvendum *pontifex, augur*.

Azuagae igitur vel in vicinia quaerendum est municipium aliquod vetustum Baeturiae Celticae, de cuius oppidis etiam post alteram Detlefseni curam (in Philologo 30, 1870 p. 299 s.) ex Plinio incerta tantum testimonia eruuntur. Nomina eius inesse patet litteris singularibus hisce:

in n. 18	D · D · M · I · V · P · I · E · D
in n. 19	D · D · M · F . V · P · P · F · D
in n. 23	D · D · M · I · V · P · P · F · D

Certum est, Ugultuniacum non posse Llerenae conlocari; inter reliqua oppida elenchi Pliniani *Nertobriga Concordia Iulia* (cf. vol. II p. 125), *Curiga* (p. 134), *Lacimurga Constantia Iulia* (vol. II n. 5068) cum probabilitate ubi sita fuerint potuit demonstrari. Restant igitur quae in censum vocari possint haec tantum *Seria Fama Iulia*, *Segida Restituta Iulia**), *Tereses Fortunales, Callenses Aeneanici;* eorum nullum in litteras traditas quadrat. Videntur autem litterae illae in n. 23 optime traditae esse; in n. 19 F male lectum esse potest pro I, quanquam de Flavii cognomine cogitari omnino non posse minime mihi videtur demonstravisse Detlefsenus (l. s. s. p. 273 s.); in n. 18 I · E in fine facile a descriptoribus potuerant poni pro P · F. Possunt P · P · F · D litterae formulam aliquam indicare minus solitam veluti *pecunia publica factam dat;* initio certum est legendum esse *decreto decurionum.* Restat *m(unicipium) I(ulium) V......* De *Ugultuniaco* non cogitaverim, propterea quod Plinii eiusve auctoris aetate mihi visum est Contributae Iuliae cognomina gessisse. *Vama* a solo Ptolemaeo in Baetica Celtica conlocata (2, 4, 15) et in titulo Salvatierrae reperto (vol. II n. 989) nominata num municipium Iulium fuerit ignoramus. Itaque quale fuerit municipium illud Iulium V..... adhuc incertum est.

---

25 (ins. post n. 2628). Rep. *en el sitio que llaman Alqueria de Val Mimbre, à una legua de San Zóles* propre Zamoram.

ASTVRIAE
CAPITONIS
F · MATERNAE
L · LVCRETIVS
OV........
N.........
....

F. Fita *Museo Español de Antiguedades* 4 (1875) p. 629, cui descripsit Franciscus Butiña.

Adscripsi propter nomen mulieris, quae Asturia dicta est a regione.

---

*) Addo occasione data titulum vol. II n. 988, qui mulierem aliquam *Segedensem* exhibet, nunc mihi esse quam maxime suspectum; sola enim Cari fide stat, quae nulla est, et nomina continet mirabilia *Quaterni* et *Cincinati* (sic).

26 Legione prodiit nuper ex parte moenium urbis occidentali prope basilicam S. Isidori. Servatur in museo archaeologico, quod ibi institutum nuper est in collegio S. Marci.

in parte anteriore:

D E V A C
O C A B V
R I O

in parte postica:

. . . .
. . . .
. . . .
. . . . . N I
. . . . . I T
. . . .
. . . .

F. Fita *Museo Español de Antiquedades* 4 (1875) p. 633 cui misit Ricardus Velasquez Bosco.

De(o) Vacocaburio . . . . *ni* . . . . [*posu*]*it*

Textus enim videtur per utramque arae faciem continuatus fuisse. Conpara deum Vagodonnaegum vol. II n. 2636.

Prodierunt praeterea Legione ex moenibus tituli sepulcrales conplures, quos hoc loco omitto.

---

27 (ins. post n. 2691). In *el Villar de los Barrios* (*reyno de Leon*) rep. a. 1731 per Iosephum de Haro parochum. In *el Villar* prope Plasenciam posuit *Viu* male. In latere sinistro scriptus est titulus novicius aerae MCCLXIII.

MERCVRI*o*
SACRVM
FEE^{X}V · P

Yañez *eras y fechas* I p. 113 (inde Velazquez ms. vol. 33; Masdeu 10, 345, 15; Viu *Estremadura* 1 p. 190) qui habuit etiam ex epistula fratris Mauri Valcarcel ad patrem abbatem *de Irache* data.

1 MERCVRI traditur. 3 F · E · EX · V · P Yañez, F · F · ExV · P · Valcarcel. Latet fortasse *Felix v*(*otum*) *p*(*osuit*), nisi desunt plura. Quanquam in fine mutilam esse non adnotatum est. Excidit scheda tituli huius nescio quo casu, dum volumen II inprimitur; retinui diu, proptera quod scripserant amici extare adhuc titulum, ut exhiberem emendatum. Spes autem illa cum videatur fefellisse, edere nunc satius visum.

28 (ins. post n. 2691). Prope *Sorribam* (novem leugis a Legione) ante sacellum S. Mariae *de la Vega* extat cippus rudis altus m. 0. 50, latus 0. 32.

D · M
BODERO
BODIVES
DOIDERIE
Λ · XXV
FILIO SVO
M P H
E · S · T

F. Fita *Museo Español de Antiguedades* 4 (1875) p. 627, cui misit Ricardus Velasquez Bosco.

D(is) M(anibus). Bodero Bodives Doiderie a(nnorum) XXV filio suo m(onumentum) p(osuit). H(ic) [s(itus)] e(st), s(it) t(ibi) [t(erra) l(evis)].

Si Bodero dativus est, pater qui titulum posuit nomen tacuisse putandus est; sin nominativus, offendit aetas patris addita; nam filioli etiam fortasse anniculi aut minoris aetas non desideratur. *Doiderie* fortasse gentilitatis nomen est, id est patriae.

---

29 (ins. post n. 2692). *Ujo*, ad radices montium *sierra de Pajares* dictorum, in itinere a Legione ad oram maris Cantabrici, in ecclesia parochiali extabat; extat nunc Ovieti in museo provinciali, quo detulit comes *de Canalejas*. Cippus est parvus litteris rudibus.

LVCIVS
CORONΛS
EVERVS M
ILES LEG VII ·
GEMΛE · ⟩ VE
TER ET OCTΛ
VIΛ PROCVLΛ
V S L L M

Descripsi ex ectypo quod misit Saavedra, qui edidit in *el eco de Asturias* d. 22 m. Sept. a. 1874.

V. 5—8 Saavedra ita legit 7 VE | TER E · RO · C · F · A | NIA PROCVLA | V S F E M et interpretatur: *centurio veteranorum, eques Romanus, centurio frumentarius, Ania Procula viva sibi fecit et marito.*

Legendum potius videtur:

... *Lucius Corona Severus, miles leg(ionis) VII Gem[in]ae* ɔ*(centuria) Veter(is), et Octavia Procula v(otum) s(olverunt) l(ibentes) l(aeti) m(erito)*

Nam qui miles est, certo non est veteranus, multo minus centurio veteranorum. Initio dei nomen aut casu deest (poterat enim scriptum esse in fastigio arulae) aut omittitur propter locum signumve, quod adparebat.

30 (in post n. 2715). Pallantiae rep., servatus Matriti in museo Archaeologico.

NVMINI
SACR
VM
V · C

Rada *museo Español* 6, 1875 p. 510.

---

31 (ins. post. n. 3014). Celsae (*Vililla del Ebro*) rep., basis lapidea alta m. 0. 36, lata 0. 25.

I · D · O
CLAVDI*o ascle*
PODOT*o ann.*
XXXX FA*bricia*
DIO N*ysia*
MARIT*o*
PIISI*mo et*
SIBI F*ecit*

Rada *museo Español* 6, 1875 p. 504.

Adparet sepulcralem esse; unde v. 1 necessario quaerenda est formala eius generis, ut II 2684 D · O · M · S et 2833 D · O · M (D ⋄ M?). V. 3 ÞODOT puto in lapide esse.

---

32 (ins. post n. 3409). In Carthagine nova rep. est m. Sept. a. 1875 in fundamentis domus privatae, quam ad plateam dictam *Puertas de Murcia* aedificat *Pedreño* civis Carthaginiensis, columna marmorea diametri m. 0, 40 plus minus. Dono eius qui invenit in curiam inlata ibi nunc servatur. Litterae sunt formae satis vetustae, i. e. aevi fere Augusti.

C · LAETILIO · M · F · A*palo?*
II VIR · QVINQ
LARES · AVGVSTALES · ET
MERCVRIVM · PISCATORES
ET · PROPOLAE · DE · PECVN · SVA
F · C · I · Q · P

Ectypum misit Saavedra, unde ipse edidit in ephemeride *el cronista* d. 5. m. Oct. a. 1875.

C. Laetilium hunc non diversum esse a C. Laetilio Apalo (i. e. Hapalo), quem una cum rege Ptolemaeo regis Iubae filio duovirum et quinquennalem in ipsa Carthagine fuisse testatur nummus Augusti ibi, ut admodum probabile est, cusus (Florez 2 tab. 56, 8; Eckhel 4 p. 160; cf. vol. II n. 3417), veri similis est Saavedrae observatio; quanquam patet etiam aliud cognomen ab A littera incipiens suppleri posse eodem iure. Laetilii duo liberti eiusdem gentis (Marci alicuius liberti sunt) in titulis Carthagiensibus n. 3473 3474 memorantur. *Piscatores propolae* similiter uno corpore coniuncti videntur fuisse Ostiae (Henzen 4210), quorum recte meminit Saavedra. Eos

Lares Augustales in honorem Augusti et Mercurium lucri repertorem sua pecunia fecisse consentaneum est; mirum, quod ipsi dicuntur probasse opus, non magistri eorum. Sed fortasse nondum in iustam formam conlegii tum redacti erant.

---

33 (ins. post n. 3411). In Carthagine nova rep. in parietinis castelli *de la Concepcion*, servatur Matriti in museo archaeologicò; basis marmorea litteris optimis.

TI · CLAVDIO · TI · *f*

NERONI

PATRONO · COLONi

Rada *museo Español* 6, 1875 p. 488.

Tiberii nondum Caesaris tituli Hispani iam innotuerant II 476 1113 1529 eph. II 325.

---

34 (ins. post. n. 3411). In Carthagine nova rep. cum praecedente; fragmentum basis marmoreae litteris optimis altum m. 0. 55, latum 0. 53. Servatur Matriti in museo archaeologico.

. . . .

. . . . . . CAESARIS

. . . . O DESIGN

. . . . ACCENSVS

. . . . T · PAVIMENT

F · C

Rada *museo Español* 6, 1875 p. 490.

Caesaris alicuius ex gente Iulia accensus pavimentum aliasque aedificii nescio cuius partes facienda curavit; desidero vero accuratiorem lapidis imaginem, ante quam certiora proferam.

---

35 (ad n. 3423). Caravacae extabat *en la hermita de la Soledad,* ubi limen superius erat portae quae ad occidentem spectat. Nunc servatur Matriti in museo archaeologico. Lapis ingens est longus m. 3. 08, altus 0. 37; scriptus litteris pulcherrimis.

L · AEMIL · M · F · M · NEP · QVIRINA · RECTVS · DOMO · ROMA · QVI · ET · KARTH ·

· ET · SICELLITANVS · ET · ASSOTANVS · ET · LACEDAEMONIVS · ET · BASTETANVS ·

· ET · ARGIVS · SCRIBA · QVAESTORIVS · SCRIBA · AEDILICIVS · DONATVS · EQVO · PVBL ·

· AB · IMP · CAESARE · TRAIANO · HADRIANO · AVG · AEDILIS · COLONIAE · KARTHAGI ·

PATRONVS · REI · PVBLICAE · ASSOTANOR · TESTAMENTO · SVO

REI · PVB · ASSOTAN · FIERI · IVSSIT · EPVLO · ANNVO · ADIECTO

Antiquissimus quem dico servavit; Guerra *discurso de Rada* p. 129 cui descripserunt Alphonsus Chico de Guzman senator regni Hispanici etc. etc. aliique homines eius regionis primarii. Rada *museo Español* 6, 1875 p. 491.

Exemplum Antiquissimi probum omnino, ut nunc patet (nisi quod v. 6 ante FIERI insertum habet HANC, quod non est in lapide), pro interpolato habuimus Mommsenus et ego propter varias quas exposuimus rationes ad eiusdem hominis titulum Carthaginiensem vol. II n. 3423 (qui nunc Matriti servatur in museo archaeologico publico) paullo aliter conceptum. Itaque nunc constat de tituli antiquitate.

Guerra Asso putat conlocandam esse in loco *las Cuevas* a Caravaca leugam unam versus meridiem, Argos in *Cehegin* (cuius flumen hodie *Argos* nomen habere adnotat), Sicelli in *el Villar del monte Siceli* sive *Sigelli*, leugas duas S. O. a Dianio, Lacedaemonem in castello de *Luchena* (urbs Lacaena?) sive *de Puentes*, al N. O. *de Lorca*. Sed nulla omnino causa est, cur non etiam Argis et Lacedaemone in Graecia patriam habuisse credamus hominem hunc multorum oppidorum incolam; ubi vero in Hispania Sicelli et Asso fuerint nondum demonstratum est.

---

36 (ins. post n. 3479). Pinillae, $1\frac{1}{2}$ *legua al poniente de Fuente Alamo*, prope Carthaginem novam, fragmentum extat una cum titulo n. 3479.

... ETAS · CREDO · HOC · TRIBVIT · PRO · TEMPORE M ...
... ONA · NON · MEMINIT · SEIC · MALA · NE · TIMEAT

Misit Guerra, qui putabat clausulam fortasse pertinere ad epigramma illud iuvenis a latronibus caesi, quod Hauptius ita restituit:

moll]em robusteis nondum formata iuvent[us
ae]tatem Lusi vi[r]ibus induerat,
cum] carae exoptans complexum saepe soror[is,
mul]ta viae dum volt milia conficere,
caeditu]r infesto concur[s]u forte latronum.

Atque potuit sane vel interposito pentametro uno ita terminari carmen, ut quasi excusaretur iuvenis inprudentia:

illa a]etas credo hoc tribuit pro tempore m[ortis],
ut b]ona non meminit, seic mala ne timeat.

---

37 (ins. post n. 3480). In Carthagine nova FIL. S. l. PEVT.

A · LVMNESIVS · A · F · MAEC ....
ET · LVMNESIA · A · F · MAXVMA · SOROR

Filon. bis f. 87. 88′, Peut. f. 53′.

Vv. divisio incerta. Lacunam ante MAEC indicat Filon. f. 88′.

2 A · F om. Peut.

Nomen aut barbarum est aut corruptum, solent autem Carthagine homines uti nominibus Romanis notissimis planisque; corruptum item videtur *et* v. 2 in.

38 (ins. post n. 3513). In Carthagine nova rep.; servatur Matriti in museo archaeologico.

VERGILIAE
CAESIAE
MARIA · L · DESVO
*fa*CIVNDVM · CVRAVIT

Rada *museo Español* 6, 1875 p. 499.

Vetustatem, i. e. aevum Augusti, ut in reliquis fere sepulcralibus, quae Carthagine proveniunt, praeter alia Caesiae cognomen antiquum indicat.

---

39 (ins. post n. 3523). Rep. nuper in *Villaricos*, quae sunt parietinae in dextra ripa iuxtaque ostium fluvii Almanzora, *junto á la fabrica llamada Carmelita.* Lapis altus est m. 0. 98, latus 9. 55, crassus 0. 45. Guerra eo putat delatum ex vicina Vera (*Bera, que dista como legua y media hacia ocaso*).

IMP · CAES
M · IVLIO · PHI
LIPPO · PIO · FEL
AVGVSTO · PONT
MAX · TRIB · POT
II · COS · P · P · p. C. 248
RES · PVBLICA
BARIENSIVM
DEVOTA · NVMI
NI · MAIESTATI
QVE · EIVS

Guerra *discurso de Rada* p. 155.

Baria in titulis nondum conparuit; *oppida orae proxima Urci adscriptumque Baeticae Barea* apud Plinium (III § 19) coniuncta in citerioris Hispaniae descriptione situm oppidorum in confiniis citerioris et ulterioris provinciae quaerendum esse iam demonstrant. A Ptolemaeo Bastulorum oppidum Βαρεία bis memoratur (2, 4, 8 et 9), a Ravennate in itinere Carthagine Abderam *Baria* (V 4 p. 343, 9; IV 42 p. 305, 2 *Barria*; apud Guidonem p. 515, 15 *Varia*). *Baria*, non *Barea* scripturam Romanis acceptam fuisse probat titulus. Collocatur consensu virorum doctorum in *Vera* hodierna, cui nomen situsque conveniunt..

---

40 (ins. post n. 3531). Rep. *en el cortijo de Masegoso nuevo, a 4 kilometros de la villa de Fonton de Abajo, margen izquierda y à dos kilometros del rio Segura.* Litteris saeculi primi, supra et infra integra.

M · POSTV
PONT · AED

Misit Guerra.

Regiones illas omnino nondum esse exploratas saepe questus sum; unde cuinam municipio titulus hic attribuendus sit definiri omnino nequit.

41 (ins. post n. 3553). In Hispania in oppido Fontis fici inter Caudettas et Muscennas in agro noviter reperta columna mutilata et corrosa iuxta viam portarum.

D · M · *s*
. . L · MALLIO . . . .
. . SEMPRONIANO . .
. . SEMPRONIO . .

Filon. f. 89.

Quod v. 1 traditur D · M · SS vix defenditur titulo vol. II 80; erat fortasse D · M · S · Φ.

Fuente de la Higuera haec, ut Kiepertus a me interrogatus respondit sine mora, provinciae Alicantensis hodiernae est, sita inter *Caudete* oppidum provinciae Albacetensis maxime versus orientem iacens et *Mojente*, quod ad Valentinam provinciam pertinet (hoc videtur indicari *Muscennas* vocabulo); in mappa vol. II media conlocanda est inter *Yecla* et *Canals* oppida.

---

42 (ins. post n. 3600). Prope Gandiam *en la huerta* iuxta vicum *Almoynes* a. 1868 repertus est cippus altus m. 1. 12, latus 0. 62 scriptus litteris bonis. Servatur Matriti in museo archaeologico.

M · ACILIVS
EROS · H · S · E
PISTOR LIB LIBE
RTAEQVE FAC CVRA
QVISQVIS IN HAS
PARTES QVISQVIS PERCV
RRIS IN HAC
PRECOR VTI DICAS S T T L

Rada *museo Español* 6, 1875 p. 502.

M. Acilius Eros h(ic) s(itus) e(st) pistor. Lib(erti) libertaeque fac(iundum) cura(verunt). Quisquis in has partes quisquis percurris in ha(n)c precor uti dicas s(it) t(ibi) t(erra) l(evis).

Agnoscuntur lacerae distichi reliquiae.

---

43 (ins. post n. 3629). Saetabi. Ibidem (in Sciatiua) in hospitio.

CAELIA · Q · F
GEMELLA
AN · XXX
H · S · E

Filon. f. 89′.

Versuum divisio incerta est.

44 (ins. post n. 3633). Ibidem (in Sciatiua) in la moraria.

L · CORN · GERMAN
AVG · AN · LVII
SE
BAE

Filon. f. 90.
Versuum divisio incerta est. AVG est *Augustalis.*

---

45 (ins. post. n. 3668). In Insula Euicae in orto Demia de Castillia (sic).

D · M
COR · VERNACLÆ
VIX · ANN · XVIIII · M · VIII

Filon. f. 96′ vv. non divisis.

---

46 Ibidem (in ins. Euicae).

D · M
M · PVBLI · PVBLILIVS · PLACIDVS
N · V · XII

Filon. f. 96′ vv. non div.
Videtur fuisse: *D. M. M. Publilius Placidus ann. xii.*

---

47 Ibidem (in ins. Euicae) in orto Antonii Raimundi.

L · TITIO · INGENVO
MARITO · bEnE · MERIT

Filon. f. 96′ vv. non divisis.
2 traditur LELLIE · MERIT.

Ad n. **3833. 3834.** Ex iterata auctorum huius tituli vetustiorum conparatione Oldenbergius, cum codicem Filonardianum excuteret, observasse sibi visus est unum omnino fuisse titulum Claudii ita fere conceptum, ut dedi sub n. 3834. Hoc per se quidem probabile est neque me fugit, cum titulum ederem; sed obstare visae sunt tum atque etiam hodie videntur loci indicationes, secundum quas altera columna fuit supra oppidi portam Valentinam, altera in arce iuxta turrim armorum. Atque duas extare potuisse eiusdem imperatoris bases non prorsus aequabiliter inscriptas nemo facile negabit. Sed debueram Peutingeri testimonium coniungere cum Sanuti Siederi Apiani reliquorumque, qui Antiqui syllogen exhibent plus minus plenam quibusque accedit nunc cod. Filonardianus; deinde etiam reliqua testimonia fortasse hic illic aliter distribuenda erant. Ceterum in n. 3834 pro COS · II fortasse emendandum COS · P · P.

48 Tarracone rep. intra reliquias sepulcri non procul a muris oppidi siti. Litterae dicuntur esse malae scripturaque plena contignationibus litterarum. Num supra integra sit non dicitur.

. . . . . ΤΙΦѠCΛΙΤΟΡΙΟΥ
*aur. fa*VSTINO · AVGVSTO
*rum liber*TO · COMMENTAR*i*EN
SI · XXXX · GALL · ITEM · VRBIS · ALBEI
TIBERIS · ITEM · PROVINCIAE · BAE
TICE ·· ITEM · ALPIVM · COTTI · VI
XIT · ANNIS · XXXXII · DIEBVS · XXXXI
STATIA · FELICIS*s*IMA · CON
IVGI · INCOMPARABILI · CVM QVO
VIXIT · ANNOS · XXI · M · VI · D · XXXII

B. Hernandez *memoria acerca de los descubrimientos epigráficos hechos ultimamente en Tarragona . . . dirigida al gobierno* in ephemeride *gaceta de Madrid* d. 22 et 23. m. Oct. a. 1873.

. . . . . *Aur(elio) Fa]ustino Augusto[rum liber]to, commentar[i]ensi (quadragesimae) Gall(iarum), item urbis al[v]ei Tiberis, item provincie Baetice, item Alpium Cotti(arum). Vixit annis XLII diebus XLI. Statia Felicis[s]ima coniugi incomparabili cum quo vixit annos XXI m(enses) VI d(ies) XXXII*

V. 1 formulam Graecam ibi fuisse perspexit editor; qualis fuerit non adsequor. *Litorius* nomen christianum est. — 2 in. RVM litterarum vestigia adhuc supersunt, item R litterae ante TO. COMMENTAREN traditur; ꝁ erit in lapide. — 4 ALBEI traditur; sed cavendum ne errori tantum aut descriptoris aut typothetae debeatur: Hispani enim homines *v* et *b* litteras paene non distinguere solent. — 8 FELICISIMA traditur.

Officium urbanum apud curatorem alvei Tiberis breviter neque vero eleganter ita indicatur *commentariensis urbis alvei Tiberis.* In fine observa dies XXXII numerari praeter menses VI; nisi forte XXII in lapide est.

Praeterea nuper denuo prodierunt tituli Tarraconenses iam noti vol. II n. 4184 et 4243.

---

49 Tarracone, rep. a. 1873 in vinea quadam.

D · M
AEM · ASSARACT
PLVMBARIO
CLOD · CA*m*ILLA
MARIT · B · M · F

B. Hernandez *memoria* in *gaceta de Madrid* d. 22 m. Oct. a. 1873.

V. 2 pro *Assaract(o)* fortasse legendum *Assaraco.* — 4 CANILLA traditur.

Plumbarii officium non necessario ad aquas publicas referendum, ut putavit Hernandez.

50 (ins. post n. 4656). Ibidem (ad Emeritam).

imp. caesar
d IVI *traiani*
pa RTH *ici f. diui*
ne RVAE *nepos tra-*
ia *n* VS *h adria-*
nus a V *g. pontif.*
max. TRIB *potest. v*
c OS III RE *stituit*

Filon. f. 81. Lacunae non indicantur. — 5 KLVS · TR, — 6 VC traditur.

---

51 (ins. post n. 4656). In agro ad quintum lapidem a S. Bartholomeo in marmore detrito.

IMP · CAE*s*AR
IMP · NERVAE · FILIVS
NERVA · TRAIANVS
AVGVSTVS · GERMA
NICVS · PONTIFEX MA
XIMVS · TRIBVNI*c*IA
POTESTATE · CONSVL
ITERVM · RESTITVIT p. C. 98–99

Filon. f. 80′—81; San. f. 305′ vv. non divisis.
1 CAESAR — 6 TRIBVNITIA traditur.
Ex adhuc notis simillima n. 4667. Fortasse tamen diversa est.

---

52 (ins. post n. 4696). Prope *Doña Mencía,* versus occidentem, iuxta locum oppidi veteris dicti *la mesa de Laderon* (quod Vesci fuisse putat Guerra), vidit GVERRA. Servatur inde ab a. 1835 Baënae apud Didacum *de Padilla,* rectorem vici *Hinojosa.* Fragmentum miliarii est, in quo haec tantum discernebantur

XVIII
ITIA

Guerra *discurso de Rada* p. 117.
Particulam esse posse miliarii alicuius Traiani a. 114 (trib. pot. XVIII optimi principis) observat Saavedra apud Guerram. Certi nihil statui posse patet.

Dum haec inprimuntur, adferuntur nobis Matrito volumina duo nova quintum et sextum musei Hispani antiquitatum, quod Iohannes de Deo *de la Rada y Delgado* cum sociis edere pergit. Titulos non paucos ex Carthagine nova aliisque Tarraconensis potissimum quae fuit provinciae locis Matritum delatos esse inde didici in museum novum archaeologicum. Eos enarravit Rada (vol. 6, 1875 p. 477); qui novi accesserant his additamentis inseri potuerunt (supra n. 30 31 33 34 38 42). Sepulcrales aliquot nullius fere pretii omisi; hic autem addere placet Matriti nunc servari titulos a me editos C. I. L. II 888 (ubi v. 1. 2 legendum videtur L · VIBIVS CRESTVS) 2675 2685 2716 2717 2719 2721 2723 2724 3061 (ubi v. 3 in lapide esse LVCI · F, ut expectaveris, testatur Rada) 3062 3071, deinde Carthaginienses hosce 3214 3410 3422 3425 3434 3448 3461 3481 3488 3493 3495 3499 3508 3513; praeterea 4984 (quae una cum n. 3071 reperta est) 5084 et ephem. 2 p. 243 (n. 2707), quem titulum a me recte lectum (praeterquam quod v. 4 pro GEN in lapide dicitur esse GENT) unum tantum scripturae genus tempusque clare monstrare Rada affirmat, quod facile credo. Concedendum igitur Guerrae quod proposuit versus primi supplementum *m(onumentum) p(ositum) d(is) M(anibus)* unicum esse, de quo possit cogitari, neque vero concedendum, quod idem voluit, titulum esse saeculi quinti sextive; sed est sine dubio saeculi alterius tertiive.

AEM. HÜBNER.

GVTENSTENIANA ET METELLIANA.

Mommsenus cum in vol. I p. 67 seqq. de fide Leonhardi Gutenstenii disputaret, requisivit ut accuratius inquireretur in fraudes eius et excerpta potissimum Metelliana diligenter examinarentur. Unde non inutile iudicavi hoc loco componere, si qua in elaborando Corpore inscriptionum Latinarum repperisse mihi visus essem, quibus accuratius perspiceretur indoles hominis et ratio in tradendis inscriptionibus eius.

Et primo quidem agendum erit de Ligorianis per Gutenstenium divulgatis. Insunt in Metelli codice Vaticano 6034 (f. 13—24) folia quaedam, quae a Ligorio profecta esse manifesto ostendunt ut charta et scriptura, ita titulorum indoles locorumque enarratio. In quibus qui leguntur tituli urbani et suburbani, ii in thesaurum Gruterianum recepti sunt cum adscriptionibus his: 'e Metellianis' vel 'e Metelli schedis' Grut. 587, 11. 593, 4. 596, 9. 775, 3 (f. 20'. 23. 19); 'e Panvinio (vel 'Panvinianis') et Metellianis' (vel 'e Metelli manuscripto') Grut. 339, 3. 544, 2. 549, 3. 550, 2. 912, 2 (f. 15'. 20'. 24), 'e Pighianis et Metelli schedis' id. 548, 9 (f. 24); porro Metellum dedisse Grutero subnotatur titulis 805, 9. 975, 8. 975, 10 (f. 21'. 22'. 23); vidisse Smetium et Metellum 521, 4 (f. 24'); Gutenstenium communicasse cum Grutero 'e manuscriptis' vel 'e codice Metelli' 331, 4 410, 8. 636, 7. 643, 2 (f. 16. 16'. 19'. 21'). Similiter desumpsisse se ex Panvinio et Gutenstenio adnotat Gruterus titulum 533, 3 (f. 19), dedisse se ex Panvinio adhibitis item schedis Metelli et Sculteti 521, 2. Non restant in foliis illis Metellianis nisi tituli quattuor, quos Gruterus affert quidem, sed aliunde, scilicet tres 339, 2. 549, 4. 772, 3 (f. 15'. 20'. 22') ex Panvinio, quartum 149, 6, exscriptum a Pighio. Quae cum ita sint, constat hanc certe schedarum Metellianarum partem Gutenstenium ad Gruterum misisse totam, nec titulos in ea perscriptos magnopere interpolavit. Quae enim apud Gruterum aliter leguntur atque in schedis Metelli, levis momenti sunt fere omnia et ita comparata, ut origo diversitatis vel ab emendationibus editoris vel ab erroribus librariorum videatur repeti posse: ut exhibet Grut. 587, 11 v. 9 FECIT, ubi schedae Metelli F · F · C habent; 636, 7 v. 1 IVNIO pro VNIO Metelli; 975, 8 v. 4 PAZVSA pro PAEZVSA. Magis

differt a schedis Metelli titulus 975, 10 a Grutero descriptus sic: *d ✿ m* | *flaviae a. l.* | *gorgiae coniugi* | *bene merenti* | *fecerunt* | *t. flavius acoris* | *turcilius eros* | *et flavia niphe* | *matri dulciss*, cum Metellus haec proferat: *dis* | *manibus* | *flavi* | *a. l. gorgiade* | *coniugi beneme|renti fecerunt* | *t. flavius acoris-*| *tus et turcilius* | *eros et flavia eros;* item 596, 9, in cuius vv. 4. 5 in schedis quidem legitur HADRIANVS · CAESARIS | AVG · TER · HELIANVS · DISPENS, Gruterus autem omissis verbis AVG·TER·HELIANVS scribit sic: CAES·Ñ......| DISPENSATOR. Denique in titulo apud Gruterum 805, 9 loci indicatio haec est *Burgi in Hetruria,* cum in schedis Metellianis legatur '*a Belletre*'. Interpolationes hae non constat utrum a Gutenstenio profectae sint necne.

Examinavi porro quae leguntur in Metelli codice Vaticano 6039 (f. 309—328) excerpta ex cardinalis Carpensis codice, quem syllogen Fratris Iucundi continuisse recte iudicavit Mommsenus (p. 70), exemplum autem fuisse recensionis tertiae ostendunt tituli virginum Vestalium in f. 324 propositi. Et eorum quidem pars prior (f. 309—320), inscripta '*ex libro epigrammatum manuscriptorum recens cardinalis Carpi* M. D. XLV', non complectitur nisi carmina admixtis notissimis quibusdam medii aevi fictionibus: illa cum habeat quidem Gruterus, sed ab auctoribus diversis, non apparet num Gutenstenius ea ei descripserit. Sequuntur f. 321 *epigrammata nonnulla veterum ex recens manuscripto codice cordinalis Carpensis,* e quibus ad urbem non pertinent nisi ea quae f. 321—324 perscripta sunt, cum cetera spectent ad Iustinopolim, Histriam, Arragoniam, Ravennam, Mytilenas, Auximum, Brixiam, civitates alias. Ex his titulis Gutenstenius potiores certe Grutero excerpserit necesse est, cum quosdam eorum auctore Gutenstenio Gruterus afferat. Qua autem ratione in his titulis tradendis Gutenstenius versatus sit, iam videamus.

Adest in excerptis Metellianis notissima inscriptio thermarum Diocletianarum (C. I. L. 6, 1130) ita fere ut legitur apud Mazochium, scilicet sic: *DD. nn. diocletianus et maximilianus invicti seniores Augg. patres impp. et caesar. et d. d. n. n. constantius et maximianus invicti augg. et severus et maximianus nobilissimi caesares thermas felices Diocletiani aug. patris sui nomini consecrarunt ceptis aedificiis pro tanti operis magnitudine omni cultu perfectas Romanis suis dedicarunt.* Eam ipsam Gruterus affert 179, 1 sumptam, ut ait, 'e ms. card. Carpensis ac Metelli' plane diversam ita: *dd. nn. C. Aurel. Val. Diocletianus et M. Aurel. Val. Maximianus invicti seniores Augg. patres impp. et caes. p. p.* . . . . *dd. nn. Fl. Valer. Constantius et Galer. Valer. Maximinus nobilissimi caesares ff* . . . . *thermas felices Diocletiano coeptas aedificiis pro tanti operis magnitudine omni cultu iam perfectas numini eius consecrarunt.* Quod exemplum cum neque alibi usquam neque in ipsis schedis Metellianis a Gutenstenio adhibitis legatur, recte omnino Mommsenus (l. c. p. 71) confictum id esse dixit ad Mazochianum vel Mazochiano simile. Sequitur apud Metellum mutilus et valde corruptus titulus C. I. L. 6, 1196 sic conceptus: *impp. clementiss. feliciss. toto orbe victorib. Arcadio Honorio et Theodosio auggg. ad perenne iudicium triumph. quod Zethar. nationem in omne aevum docere exti arcum simulachris eorum trium-*

phisq. decora totius operis splendore s. p. q. R. Eundem rursus Gruterus 287, 1 protulit sic immutatum: *impp. clementiss. feliciss. toto orbe victorib. Arcadio Honorio et Theodosio Auggg. ad perenne . . . . m. triumf. quod . . . . arum nationem in omne aevum . . . . . . cere . . . . arcum simulachris eorum triumfisq. decor . . . . . . totius operis splendor . . . . . . s. p. q. R.*, addita in fine nota: 'Metellus scribebat ex ms. cod. cardinalis Carpensis', qua cum haud dubie indicetur auctor Gutenstenius, iam eum refutat ipse codex Carpensis plane diversus. Et apparet omnino in Gutensteniana recensione auctoris ratio a Mommseno notata (l. c. p. 53), insertis potissimum hiatibus titulos vitiantis. In titulo C. I. L. 6, 1184 Gruterus (172, 1) Mazochii quidem et Marliani exemplis usus est, magis tamen se secutum esse profitetur schedas Metelli: quae cum omnino conspirent cum Mazochio, ea quae aliter apud Gruterum leguntur, tribuenda sunt Gutenstenio quamquam in hoc monumento minus impudenter versato; scilicet in ipso principio notas D·D·D·N·N·N collocavit ante titulum IMP· CAES, et vocem *hunc* ante verbum *arcum* inseruit v. 3. In describendo titulo 6, 773 ab interpolando etiam magis eum abstinuisse ostendit exempli Metelliani cum Mazochiano (f. 12') et Gruteriano (178, 6) consensus. Titulum C. I. L. 6, 719, quem Gruterus (35, 10) descriptum dicit 'a Metello e ms. cod. card. Carpensis', corruptum esse ex emendatione Metelli adscripta ad Mazochium f. 23 vidit iam Mommsenus (l. c. p. 71). Titulus 6, 885, de quo idem dixit l. c., in excerptis Metellianis neglegenter refertur, sed ut cum Iucundo Veronensi et Mazochio satis conspiret; differt ab eo exemplum Gruterianum (236, 1) descriptum, ut dicitur, a Metello ex fratris Iucundi autographo, concordat autem cum emendationibus ad marginem libri Mazochiani a Metello adscriptis, unde recte collegit Mommsenus has quoque Gutenstenio praesto fuisse. E contrario titulus 6, 234 = Grut. 109, 3 'e Mazochio et ms. Metelli' cum in excerptis Metellianis et libro Mazochii eodem modo referatur, ab eorum autem lectionibus exemplum Gruterianum satis differat (cf. v. 3 ROM · EXPECTAT · ET pro *Romana e k spectationi* Metelli et *Romana ekpectationi* Mazochii), videtur ab ipso Gutenstenio interpolatus esse. — Ex Mazochio et Fauno et Metelli schedis titulus Grut. 83, 15 datur ita, ut plane consentiat cum excerptis Metellianis (f. 323).

Sunt hi tituli urbani Metello tributi, quos adhuc repperi in excerptis Carpensibus sive Metellianis. Reliqui tituli urbani ex parte voluminis VI eo tempore typis impressa a Mommseno allati (l. c. p. 70), ut 6, 89 = Grut. 100, 6. 6, 562 = Grut. 101, 1. Grut. 178, 5 in libro Metelliano desiderantur, item alii non pauci ab eodem auctore profecti, exempli causa Grut. 306, 5 'e Metelli schedis'; 562, 6 'e Metelli schedis Gutenstenius'; 526, 5; 1022, 11; 1030, 4 'Grutero Gutenstenius'; 387, 6 'Horatius a Valle Grutero, describente Gutenstenio'. Hi igitur cum sola auctoritate Gutenstenii nitantur, ab hoc videntur conficti esse. E contrario ad Ligorium videntur redire tituli duo alter 528, 1, qui a Panvinio, Manutio et Metello dicitur provenire, alter 551, 2, quem ex Ursinianis desumpsisse dicitur Gutenstenius;

nam quamquam non inveniuntur in libris ipsius Ligorii, leguntur tamen manu tertia adscripti in codice anonymi Viscontei Ligorianorum pleno (f. 29'. 30'). Titulus porro Grut. 535, 2, quem ex Ursinianis descripsit Gutenstenius, venit a Ligorio (ms. Neap. lib. 39) ita, ut versibus prioribus tribus sinceris is posteriores de suo adiecerit. Item potest esse Ligorianus titulus Grut. 371, 4, quem e ms. Smetii et Ursini Gutenstenius descripsit.

Haec habui addenda iis, quae de fide Gutenstenii observavit Mommsenus. Quae quamvis pauca sint et levioris momenti, ad cognoscendam rationem, qua usus sit schedis sive Metellianis sive Carpensibus aliquid utilitatis videntur habere posse.

W. Henzen.

DE SACRIS OPIS

AEDIBVSQVE OPIS ET SATVRNI

DISPVTATIO ALTERA.

HENRICVS JORDANVS WILHELMO HENZENO s.

Ad Arvalium hemerologii reliquias a te, vir praestantissime, anno 1868 primum editas ut redeam explicandas, causam habeo adlatam ad me mihique dono datam editionem tuam eiusdem monumenti alteram. in eo enim volumine cum videam te calculo tuo comprobavisse observationes quasdam meas nuper de sacris temploque Opis opiferae factas, reliquisse autem intactas aliquot dubitationes, quae ad eiusdem deae aedes sacras sacrariave recte dinoscenda pertineant, nescio an tibi operis tanti tam feliciter a te profligati gratiam pro virili parte relaturus esse videar, si solutionem earum a me temptatam ad te mittam tanquam harum rerum aestimatorem unum omnium et gravissimum et aequissimum.

Sed ut quid rei sit et tu et siquis alius haec mea legerit facile cognoscatis, primum hemerologiorum omnium de Opis sacris memoriam tabula infra ascripta repraesentabo:

Aug.	Pinc.	Allif.	Maff.	Vall.	Pigh.	Arv.	Sept.
23	C VOLC·N VOL- [CANO	—	C VOLC·NP	*cx* VOLCAN·NP VOLCANO [IN CIRCO FLAMINO	—	NP VOLCANO *ny*MPHIS IN CAMP OPI OPI- [FER ‹ QVIR IN COLLE VOLK › COMIT	BNP
24	D C LVNAE IN GRAE- [COST	D IX C	DC	*d viiii* C	—		
25	E	E XX OP*ic(onsivia)* OPICON*siviae?*	E OPIC·NP	*e viii* OPIC·NP OPII IN CA- [PITOLIO	*e nf opic*ONS·	NP FERIAE OPI	CC
26	F OPICID. N	F VII C	FC	*f vii* C	*f* C	IN REGIA	DC
27	GC VOLTVRN	Ꞔ VI VOLT	G VOLT·NP	*g vi* VOLT·NP VOLTVRNO [FLVMINI SACRIFICIVM	G NF VOLTORNO	NP FERIAE VOLTVRNO	EC

cf. Varro de l. l. 6, 20 s. (p. 202 s. Sp.): VOLCANALIA *a Volcano, quod ei tum feriae* ... OPECONSIVIA *dies ab dea Ope consiva, quoius in regia sacrarium, quod ideo † actum, ut eo praeter virgines Vestales et sacerdotem publicum introeat nemo* ... VOLTVRNALIA (*vortunalia* F) *a Volturno* (*vortuno* F), *cuius feriae tum.*

Dec.			Maff.	Amit.			
17			Ꞔ SAT FERIAE SATVRN	Ꞔ XVI SAT·NP FER SATVRNO [SATVRN AD FOR			
18			H	H XV C			
19			A OPAL NP	A XIV OPAL · NP FER OPI OPI AD FORVM			
20			B C	B XIII C			

cf. Varro de l. l. 6, 22 (p. 204 Sp.): SATVRNALIA *dicta ab Saturno, quod eo die feriae eius, ut post diem tertium* OPALIA *Opis.*

Ac primum quidem in hemerologio vetusto Pinciano sive quadratarii sive eius qui descripsit (periit enim lapis) errore Opiconsivia diei 26 Aug. adsignata esse, cum non possent non adsignari antecedenti, animadvertit Mommsenus (C. I. L. 1 p. 298). idem cum dixit corruptam lectionem OPICID N (nam sane *Opicid(ia)* fuere nulla) sic debere restitui

25 E OPIC[ID] N

siquidem litteras seclusas casu inlatas esse putavit, mihi certe rem non probavit satis singularem. immo in hac quoque parte scripturam puto ita pessum datam esse ut etiam periti non agnoscerent quod dederat quadratarius

25 E
26 F OPI · OPIC · N

et difficilem lectu fuisse scripturam monstrat corrupta illa diei Sept. 22 nota, ubi traditum

22 AC MERC HVvADMAR

in ea sacri alioquin ignoti memoriam, qualis est alterius ascripti ad 24 Aug. *Lunae in Graecos(tasi)*, latere apparet. de re prorsus obscura licet opinationes proponere iniquum sit, tamen videndum an talia possint restitui

22 AC MERC· ///AD · MAR*tis*

sed haec utut sunt — neque enim quicquam faciunt ad rem nostram diiudicandam — hoc quaero, primum rectene tu, vir optime, auctore Mommseno (p. 408 s.) statueris Opiconsiviis d. 25 Aug. et Opalibus d. 19 Dec. sacrum factum esse ad aedem Saturni et Opis, eamque aedem in Vallensi hemerologio modo *ad forum* (19 Dec.) modo *in Capitolio* (25 Aug.) sitam esse dici; deinde quid sit quod hemerologium Arvalium bina praeter Opiconsivia sacra mense Augusto Opi videtur attribuere alterum Opiferae die antecedenti, alterum Opiconsiviae die insequenti: nam ita me lapidis imaginem a te olim repraesentatam recte interpretari non dubito quin mox concesseris.

A nomine aedis ut incipiam, non possum non probare eorum sententiam qui aedem in Capitolio factam ab aede ad forum sita prorsus discreverunt. primum enim nego unius eiusdemque hemerologii editorem diversis cognomentis usum esse posse credi. qua de re sane decidi non potest nisi compositis locorum quae in hemerologiis commemorantur nominibus universis: exhibui igitur elenchum eorum plenum itaque dispositum ut a Capitolio foroque orsus Servianam urbem, dein quae extra muros sita sunt persecutus sim.

	loca	sacra		fontes
R. VIII	in Capitolio	Iovi tonanti	Aug. 25	Amit. Arv.
		Opii	Sept. 1	Vall.
		Menti	Iun. 8	Ven. Maff.
		Genio publico, faustae Felicitati, Veneri victrici	Oct. 7	Amit. Arv.
		Fidei	Oct. 1	Amit. Ost. Arv.
	in arce	Concordiae	Feb. 5	Praen.
	inter duos lucos	Vediovi	Mart. 7	Praen.
	ad forum	Saturno	Dec. 17	Amit.
		Opi	Dec. 19	Amit.
		divo Iulio	Aug. 18	Amit.
	in comitio	Volkano	Aug. 23	Arv.
	in curia	Victoriae	Aug. 28	Maff.
	in graecostasi	Lunae	Aug. 24	Pinc.
	in regia	Opi	Aug. 26?	Arv.
	in foro Caesaris	Veneri genetrici	Sept. 25	Pinc. Arv.
*	in vico iugario	Opi et Cereri	Aug. 10	Vall.
R. XI	ad circum maximum	Summano	Mai. 20	Ven.
		Herculi invicto	Aug. 12	Amit.
R. XIII	in Aventino	Dianae	Aug. 13	Amit. Vall. Ant.
		Lunae	Mart. 28	Praen.
		Vortumno (cf. in loreto maiore)	Aug. 13	Amit.
		Conso	Aug. 21 — Dec. 12	Vall. — Amit.
		Iovi Iunoni reginae	Sept. 1	Arv.
	in loreto maiore	Vortumno	Aug. 13	Vall.
R. X	in Palatio	Apollini	Oct. 9	Amit. Arv.
R. V	Exquiliis	Iunoni Lucinae	Mart. 1	Praen.
	in Carinis	Telluri et Cereri	Dec. 13	Praen.
R. IIII	ad compitum Acili	tigillo sororio	Oct. 1	Arv.
R. VI	in colle	Quirino	Feb. 17 — Iun. 29 — Aug. 23	Farn. - Ven. - Arv.
		dio Fidio	Iun. 14	Ven.
		Fortunae pub. cit.	Apr. 5	Praen.
		Fortunae primig.	Mai. 25 — Nov. 14	Ven. Esq. — Arv.
	in colle Quirinale	Saluti	Aug. 25	Vall.
		Soli indigeti	Aug. 8	Vall. Amit.
	extra portam Collinam	Veneri Erucinae	Apr. 23	Arv.
R. IX	ad forum holitorium	Spei	Aug. 1	Vall. Arv.

	loca	sacra		fontes
R. IX	ad theatrum Marcelli	Iano	Aug. 17 — Oct. 18	Vall. — Amit.
		*signum d. Augusti	Apr. 23	Praen.
		Apollini	Sept. 23	Arv.
		Apollini Latonae	inc.	Urb.
	in theatro marmoreo	Veneri victrici, Honori Virtuti, Felicitati	Aug. 12	Amit.
	in porticu Minucia	Laribus permarinis	Dec. 22	Praen.
	in circo Flaminio	Bellonae	Iun. 3	Ven.
		Castori Polluci	Aug. 13	Amit.
		Volcano	Aug. 23	Vall.
		Neptuno, Pietati	Dec. 1	Amit.
	ad circum Flaminium	Iovi statori, Iunoni reginae	inc.	Urb.
	in campo	Marti, Neptuno	Sept. 23	Arv.
		Fortunae huiusque diei	Iul. 30	Allif.
		Nymphis	Aug. 23	Arv.
		Iovi Fulguri, Iunoni Curriti (Quiriti)	Oct. 7	Ost. Arv.
		Feroniae	Nov. 14	Arv.
	in campo Martio	*ara Pacis Aug.	Iul. 4	Praen. Amit.
		Felicitati	inc.	Urb.
XIV?	ad pontem Aemilium	Portuno	Aug. 17	Am. Vall.
XIV	in insula	Vediovi	Ian. 1	Praen.
		Tiberino	Dec. 8	Amit.
	trans Tiberim	Forti Fortunae	Iun. 24	Amit.

hunc elenchum si perlustraveris, Henzene, inveneris cum omnium hemerologiorum in propriis vocabulis adhibendis consensus sit maximus, sicubi dissensus compareat, eum pertinere ad diversas singulorum editorum consuetudines, qui sibi ipsi constare satis habuerint. neque vero aut multa aut gravia omnino discrepantiae exempla extant. sunt autem haec, de quibus statim quid existimem adnotabo:

1. *in Aventino* vides Vortumni sacrum (Aug. 13) poni in Amit., idem *in loreto maiore* in Vall. discrepantia nulla, si quidem loreta maius minusque fuere in Aventino. usus igitur est editor Vall. vici nomine tum maxime usitato sicut editor Arv. nomine *compiti Acilii*, quod si non ignorasset aequalis eius Dionysius 3, 22 (p. 245, 26 Kiess.) vix per ambages situm monumenti significasset ita ἔστι δὲ ἐν τῷ στενωπῷ τῷ φέροντι ἀπὸ Καρίνης κάτω τοῖς ἐπὶ τὸν Κύπριον ἐρχομένοις στενωπὸν cett.

2. constat sermonis proprietatem admittere tam *collem Quirinalem, campum Martium* quam *collem, campum* nomina. at in eis certe quae supersunt de hemerologiis lapide incisis singulorum editores singulos videmus sibi constare in alterutris nominibus usurpandis: itaque campi nomen plenius extat in Praen. Amit. Urb., brevius in Arv. Allif. Ost., collis plenius in Vall. Amit., brevius in Arv. Ven. Praen. Farn. Esq. quamquam non magnam offensionem haberet si in eodem exemplo modo plenius modo brevius perscriptum extaret. *circorum* nomina *maximi* et *Flaminii* cur constanter plena perscripta sint, ubi templa in eis sive ad eos (v. n. 3) posita commemorantur, non est quod exponam. sane mirum est quod in kalendariis (Maff. Amit. Ant. Arv.) ludi plebei Nov. 15 — 17 *in circo* facti esse dicuntur, cum constet Valeri Maximi testimonio 1, 7, 4 eos in Flaminio factos esse. quod unicum ea de re testimonium cum sit debile (v. Becker *Top.* p. 668), de ludis plebeis in Flaminio factis dubitarem, nisi aedificatio circi cum ludorum institutione sane quodammodo coniuncta esse videretur (Mommsen hist. R. 1^4, 822).

3. quaerendum est de formulis *in circo Flaminio, ad circum Flaminium* similibusque. nam ne hae quidem discrepantiae caeco casu reguntur aut nullius sunt ad situm locorum cognoscendum momenti. memineris igitur nomina regionum XIIII, quas constat iussu imp. Augusti operaque M. Agrippae factas esse — quo anno factae sint non constat — post Flaviorum aetatem regionibus Augustis indita esse (v. Preller *Reg.* p. 69 et Top. mea 2, 78). nihilo minus aliquot earum nomina consuetudine sermonis iam diu ita frequentata fuere ut in sollemnitatem formularum abissent. ex earum numero est *circus Flaminius*, cuius nominis notionem praeter aedificium regionem ipsam viciniamque comprehendisse tam Ciceronis quam kalendariorum Ven. Amit. Vall. testimonia comprobant. neque enim contiones et nundinas, quas ille *in circo Flaminio* habitas esse dixit (ad Att. 1, 14, 1), in ipso aedificio habitas esse crediderim neque vero adsentior Beckero Top. p. 620 dubitanti an quaedam templa, quae item *in circo Flaminio* fuisse dicuntur, sacella fuerint ipsius aedificiis inclusa. apparet enim in promiscuo fuisse locutiones illas *ad* sive *apud circum* et *in circo*, ita ut qui illa uterentur circi aedificium, qui hac regionem intellegerent. sic *ad circum F.* Iovis statoris Iunonisque reginae templum positum dicit kal. Urb., idem *in circo F.* Varro apud Macr. Sat. 3, 4, 2; item *apud circum F.* Martis aedem Plinius, *in circo* idem Cornelius Nepos (v. Becker p. 619) et fortasse idem kalendaria. ad horum templorum memoriam alio tempore redeam. sed nota rursus constare sibi in usu formularum kalendaria ita ut Amit. Ven. Vall. alteram, alteram solum Urb. usurpaverint. non mirum igitur quod idem accidit in *circo maximo.* memineris in ipso aedificio circi bina sacella extitisse, aram Consi ad metas primas subterraneam, hoc est in planicie harenae ad caput spinae, Venerisque Murciae inclusum spectaculis in capite circi a parte Aventini factis, qua de re anaglyphi Fulginiensis et nummorum luculentis testimoniis decisum esse ostendi in editione formae Capitolinae p. 20. cetera templa sive sacella in vicinia circi posita fuisse satis

constat. sed rursus modo *ad circum m.* (ita kal. Summani et Herculis invicti), modo *in circo m.* (ita Livius 37, 36 aedem Iuventatis) fuisse dicuntur. eadem discrepantia in templo Spei *ad forum holitorium* posito teste kal. Vall. Arv., *in foro h.* teste Livio 21, 62, denique in templis kalendariorum usu constanti *ad forum* dictis Saturni, Opis, divi Iulii, aliorum *in foro*, ad quae infra redeundum est.

4. Sed ab hac loquendi inconstantia, quam re vera nullam esse concesseris, toto caelo distaret et nominum templi Opis *ad forum* et *in Capitolio* diversitas, qua de agimus, et nominum sacelli Consi *in Aventino* et *in circo*, de quibus nominibus nunc paucis absolvam. Capitolium igitur et forum ipso situ ita discreta sunt ut ad forum non possit fuisse quod fuerit in Capitolio. neque praeter Saturni templum aliud ullum audivi creditum esse utraque hac appellatione potuisse significari. nec verum est, quod excusationis causa dicitur, in declivi montis stare Saturni templum: stat ut infra dicetur sub clivo Capitolino, quem locum nemo unquam pro parte Capitolii venditavit. sed ad Saturni aedem infra redeundum est. de Consi sacris binis olim non dubitatum est. nam Consi aram *in circo sub terra ad primas metas* fuisse Tertulliani verba totiens decantata testantur: hoc est ad caput spinae in ipsa harena eo loco quo etiam in circo Maxentiano aram sub terra conditam fuisse nunc quoque cernimus. quod igitur in planicie harenae fuerit, id *in Aventino* fuisse nullis machinis effeceris a quoquam potuisse dici Latine. itaque cum legimus *Conso in Aventino* d. 21 Aug. (Vall.) et d. 12 Dec. (Amit.) factum esse, Beckerus p. 450 Prellerus Myth. p. 421 alii rectissime hoc Consi templum ab ara Consi solis circensibus ludis conspicua discreverunt. accedit quod ipsius Varronis verba hoc satis clare demonstrant. nam ita loquitur de l. l. 6, 20 (p. 202 Sp.): *Consualia dicta a Conso, quod tum feriae publicae ei deo, et in circo ad aram eius ab sacerdotibus ludi illi quibus virgines Sabinae raptae.* his verbis Mommsenus C. I. L. 1 p. 400 videtur putasse a glossatore inlata esse illa *ab sacerdotibus*; omisit enim: quae si fuit sententia eius, minime ei adsentior. sacrificabant enim teste Tertulliano apud aram Consi *nonis Iuliis sacerdotes publici* (hoc est pontifices, flamines, virgines Vestae), *XII kal. Sept. flamen Quirinalis et virgines.* iam compara illa de Opiconsiviis dicta *Opeconsivia dies ab dea Ope consiva, quoius in regia sacrarium, quod ideo † actum ut eo praeter virgines Vestales et sacerdotem publicum introeat nemo:* in quibus verbis quod corruptum est quocumque modo corrigas (temptavimus *quo de sanctum* Huschkius, *quod ideo artum* ego), tamen liquido apparet contineri memoriam sacri a solis his sacerdotibus facti in regia praeter ferias maiores ad Opis actas. sed de sacro in regia facto infra dicam. similiter igitur Conso factum dixeris a sacerdotibus ad aram in circo positam, ferias actas Consualibus in Aventino ad Consi: Varronis enim verba laborare vitio librariorum satis apparet. puto post *sacerdotibus* enuntiati prioris finem, sequentis initium excidisse. ceterum deae nomen *Opeconsivia* apud Varronem scriptum fertur, item *Opem consiviam* scriptum est in codicibus Macrobii S. 3, 9, 4; dubia lectio est apud Festum p. 186. mihi certum videtur diem *Opeconsivia* vel *Opiconsivia* dictum esse, deam *Opem consivam.*

Comprobasse igitur mihi videor eam esse in his hemerologiis sermonis proprii constantiam qualis monumento ex ipsis pontificiis libris desumpto nec privatorum libidini obnoxio conveniat. quod si recte statui, demonstravi eandem Opis aedem non potuisse in his hemerologiis modo *in Capitolio* (Vall. Aug. 25) modo *ad forum* (Amit. Dec. 19) dici; apparet autem quaestione dignum esse an eiusdem kalendarii editor (Amit.) eandem aedem aut potuerit aut voluerit modo Saturni (17 Dec.) modo Opis (19 Dec.) ad forum dicere. et hoc quidem hic editor ne fecit quidem: nam cum dixit *fer(iae) Saturno, Saturn(o) ad forum — fer(iae) Opi, Opi ad forum*, in ambiguo certe reliquit utrum Saturni et Opis aedes ad forum binae an una utriusque dei fuerit: si fuit una, sane mirum est quod in tot templi commemorationibus nusquam plenum eius nomen perscriptum invenitur. nam quod solum eius testimonium exhibetur, titulus Or. 1506, nullum esse infra apparebit. videamus igitur de Opis aedibus binis Saturnique una quid traditum sit praeter hemerologia.

1. Aedes Opis in Capitolio condita est ante a. 568 quo anno Livius 39, 22 de ea haec testatur: *addita et unum diem supplicatio est ex decreto pontificum, quod aedis Opis in Capitolio de caelo tacta erat.* ita libri. ex Livio Obsequens c. 3: *aedis Iovis in Capitolio fulmine icta est:* proclive erat librariis *iobis* corrigere ubi *opis* traditum fuit; nemo igitur *Iovis* Livio restituerit: et cf. infra.

2. a. 710 Obsequens c. 68: *turbinis vi simulacrum, quod M. Cicero plebis scito ante cellam Minervae pridie quam in exilium iret posuerat, dissipatum membris pronum iacuit, fractis humeris brachiis capite: dirum ipsi Ciceroni portendit. tabulae aeneae ex aede Fidei turbine evulsae. aedis Opis valvae effractae.* vides turbinem monumenta in Capitolio sita et inter se vicina pessum dedisse. non fugit hoc testimonium Nibbyum (*R. ant.* 2, 115): sed erravit cum aliis Capitolinam aedem cum templo Saturni confundendo.

3. a. 704 scripsit Cicero ad Atticum 6, 1, 17: *de statua Africani ... ain tu? Scipio hic Metellus proavum suum nescit censorem non fuisse. atqui habuit nihil aliud inscriptum nisi 'censor' ea statua quae* † AB OPIS PER TE (sic Med.) *posita in excelso est: in illa autem quae est ad* Πολυκλέους (ΠΟΛΑΥΚΛΕΟΥϹ Med.) *Herculem inscriptum est 'consul' ... at me hercule ego, cum in turma inauratarum, quas hic Metellus in Capitolio posuit, animadvertissem in Serapionis subscriptione Africani imaginem, erratum fabrile putavi: nunc video Metelli.* pro corruptis illis *ab opis per te* quae in omnibus fere editionibus inde a Iensoniana vulgantur ac ne a nuperis quidem editoribus Baitero Wesenbergio Bootio spreta sunt: *ab Opis parte*, ea mihi videntur ferri non posse. scilicet idonea exempla non novi quibus comprobetur scriptorem ullum dixisse *a parte* alicuius templi sive aedificii stare positumve esse aliquod monumentum: nam quod videri possit esse idoneum Varronis illud de l. l. 5, 153 (p. 153 Sp.), in libro Florentino sic scriptum *quod* A MVRIS PARTEM *pinnis turribusque carceres olim fuerunt,* in eo neque *a muri parte* neque *a Murcis parte* latere certissimis argumentis evinci potest nec denique loci ubi fuerint carceres commemoratio ibi omnino requiritur, immo id

ipsum quod Muellerus restituit *ad muri speciem*. longe autem diversi generis est illud Plinii 13, 136 *a parte aquilonis*, suntque omnia ea quae cum hoc loco Handius Turs. 1, 48 s. iniuria composuit, quippe quae pleraque omnia a significatu movimenti pendeant. Plinianus autem locus debuit explicari comparatis eiusdem scriptoris illis *in parte Romae* (3, 68 quod item iniuria suspicionem movit quibusdam) *in parte Baiana* (9, 172) *in parte Africae* (36, 76) *in Bononiensi Italiae parte* (36, 161). neque prorsus hebeti sensu fuit Orellius qui cum ante vocabulum quod est *parte* suspicatus sit excidisse sive *dextra* sive *sinistra*, sane substantivum nude positum videtur a Tulliana cousuetudine alienum esse sensisse. neque vero ista indicatio loci accurata, immo putidae paene diligentiae, convenit disputationi suspenso ut ita dicam gradu incedenti ac paene ludenti. itaque cum nuper verba Ciceronis adulescentibus quibusdam, qui his studiis in academia nostra vacant, proposuissem disputanda, me autem non dubitare significassem quin recte *ad Opis* nescioquis primus dedisset, nescire autem quid lateret in litteris *perte*, fuit qui statim memor Pliniani loci 11, 174 a me ope hemerologii Arvalium nuper emendati scribendum esse coniceret *ad Opis* [*opi*]*ferae*, sane librarium suspicatus praeter omissum illud *opi*, quod etiam in Plinianis codicibus praeter unum rescriptum excidit, unam lineolam interpolasse, qua fere sola scriptum PERTE a scriptura FERE distat. sed quoniam huius Opis opiferae aedes an possit esse Capitolina Opis extremo demum commentario nostro quaerendum est, nunc etiam de coniectura ipsa iudicium non feram.

4. eiusdem Ciceronis locis aliquot relatum est *ad Opis* Caesarem septiens milliens deposuisse indeque Antonium abstulisse (ad Att. 14, 14, 5 Phil. 2, 37, 93 cf. 1, 7, 17. 8, 9, 26): *ad aedem Opis* dicit Vell. 2, 60, 4, *aedem Opis* Cicero, ubi de eisdem rebus agit, nominat bis (ad Att. 16, 14, 3 Phil. 5, 6, 15). sed de his testimoniis infra disputabo. cf. Drum. 1, 85.

5. denique a. p. C. 80 d. 7 m. Dec. *in Capitolio in aedem Opis sacerdotes convenerunt ad vota nuncupanda ad restitutionem et dedicationem Capitoli ab imp. T. Caesare Vespasiano Aug.* ita Acta fratrum arvalium p. CVI. hi sacerdotes non possunt non esse sacerdotes publici, non sunt arvales fratres. convenerunt autem in Opis aedem utpote aedi quae dedicanda esset vicinam.

Haec igitur testimonia omnia praeter ea quae n. 4 composui ad Opis aedem in Capitolio positam pertinent conditam ante a. urbis 568; nullo eorum nominibus binis Opis et Saturni appellatur. aedis Opis ad forum sitae praeter hemerologium Amit. nulla extat memoria. iam persequamur Saturni dei cum Ope coniunctissimi templi historiam.

1. Aedem Saturni ad forum annales antiquissimi conditam esse a. u. 257 rettulerunt. Livius 2, 21: *his consulibus aedis Saturni dedicata, Saturnalia institutus festus dies.* similiter Dionysius 6, 1 qui de situ templi quod addit infra disputabimus. in aliis eisque aetate inferioribus lecta sunt ea quae transcripsere idem Dionysius et Macrobius Sat. 1, 8, 1. quamquam hic quod refert Tullum Hostilium fanum ex voto Saturno consecravisse,

non puto ad aedem eam de qua agimus pertinere: si pertinet, est nugatoris qui contra memoriam optimorum annalium aedem sacram Capitolina Iovis antiquiorem confinxit. qua de re alibi dicam. reliquorum annalium discrepantia haec est. scripsit Varro l. VI divinarum *aedem Saturni ad forum faciendam locasse L. Tarquinium regem, Titum vero Larcium dictatorem Saturnalibus eam dedicasse.* haec ex parte conveniunt Dionysianis l. c. is enim postquam a. 257 dixit dedicatam esse aedem (*καθιερωθῆναι*: nam consecratio coniuncta est cum dedicatione ob eamque rem Graeci scriptores dedicationem sollemni more hoc vocabulo significant), aramque olim Saturno constitutam esse ab Hercule eodem loco, ita pergit: *τὴν δὲ ἐπιγραφὴν* (ita Reiskius: *γραφὴν* codices) *τῆς ἱδρύσεως τοῦ ναοῦ τινὲς μὲν ἱστοροῦσι λαβεῖν Τίτον Λάρκιον τὸν ὑπατεύσαντα τῷ πρόσθεν ἐνιαυτῷ, οἱ δὲ καὶ βασιλέα Ταρκύνιον τὸν ἐκπεσόντα τῆς ἀρχῆς· τὴν δὲ καθιέρωσιν τοῦ ναοῦ λαβεῖν Πόστομον Κομίνιον κατὰ ψήφισμα βουλῆς.* haec aut corrupta aut Dionysii culpa ex diversis relationibus male contaminata esse apparet. neque pro eo quod est in libris *γραφὴν* aliud quam *ἐπιγραφὴν* efficere licet. sic enim de tota re aut exposuit Dionysius aut debuit exponere: (1) a. 257 dedicatam esse aedem (*καθιερωθῆναι*), nomen inscripsisse — nimirum qui faciendam locasset — cos. a. 253 T. Larcium (unde discimus scriptorem eius annalis unde haec fluxerunt controversiam de iure inscribendi nomen tetigisse); (2) secundum alios faciendam locasse (neque vero nomen inscripsisse) L. Tarquinium, dedicasse cos. a. 253 alterum Post. Cominium. habemus igitur quibus in annalibus dedicatio aedis Saturni ascripta fuit annos 253. 257. his accedit tertius secundum Gellium (apud Macr.): *senatum decresse ut aedes Saturni fieret eique rei L. Furium tribunum militem praefuisse*, quod potest ascriptum fuisse ad annos 347—363. 373. 384. causa dissensus Gellii in obscuro est, in ceteris annalibus videtur a diversis de primi dictatoris annis opinionibus pendere: itaque primam post reges exactos aedem sacram Iovis Capitolini secundum fastos dedicaverat consul primus, alteram Saturni primus dictator. — nota Varronem dicere *aedem Saturni ad forum.*

2. Aedis Saturni ad forum ante mortem Ciceronis raro annales mentionem faciunt. ita *ad aedem Saturni* immolatum a. 537, prodigium nuntiatum *arcus interdiu sereno caelo super aedem Saturni in foro Romano* a. 580, eodemque anno censores *clivom Capitolinum silice sternendum curaverunt et porticum ab aede Saturni in Capitolium ad senaculum ac super id curiam* (Liv. 22, 1, 19. 41, 21, 12. 17, 7). eadem aetate scito aerarium populi Romani commemorari saepissime, nusquam vero fuisse dici in Saturni Opisve aede: aerarium simpliciter dicitur etiam in legibus aetatis Gracchanae Bantina et repetundarum. at viatorum quaestoriorum nomina perscripta fuisse *ad aedem Saturni in pariete intra caulas* (CAVIAS aes) testatur Sullana lex de xx quaestoribus in ipsis ut traditur templi Saturni parietinis reperta. denique Varro libris de lingua latina scriptis ante annum 711 (5, 183 p. 182 Sp.) *per trutinam* ait *solvi solitum vestigium etiam nunc manet in aede Saturni, quod ea etiam nunc propter pensuram trutinam habet positam. ab aere aerarium.* itaque licet *aerarium Saturni* nomen quantum sciam post Augusti

demum imperatoris aetatem usurpatum sit, tamen certum est aerarium fuisse aut in ipsa aede Saturni aut in aedificio aedi Saturni continenti. accedit quod Lucanus in ipsam aedem Saturni Caesarem tradit irrupisse versibus de quibus infra dicetur, hoc est, ut alii testantur interque eos ipse Tullius *in aerarium sanctius* (v. Drum. 3, 445). quo magis mirandum quod idem Cicero isque solus a. 711 testatur *ad Opis* a C. Caesare servatam fuisse pecuniam publicam.

3. Post mortem Ciceronis a. 712. L. Munatius Plancus *aedem Saturni fecit de manibiis* teste titulo Caietano (I. N. 4089 = Or. 590). basis statuae ab eodem aut in templo aut ante templum dedicatae Pighii tempore prope arcum Severi effossa est (C. I. L. 6, 1316 = Grut. 20, 1). ex eo inde tempore et aerarium Saturni saepius commemoratur et aedem Munatianam aliquotiens incendiis quassatam restitutamque esse constat. Opis ad forum aedis mentio nulla amplius facta est.

4. Templi Saturni esse pronaum octo columnarum inter clivum Capitolinum et basilicam Iuliam nunc superstitem constat argumentis certissimis. templi is est situs ut latus orientale aream fori contingat ibi ubi via sacra in clivi formam Capitolini mutatur. ibique fuit *arcus propter aedem Saturni* Tiberianus (Tac. A. 2, 41), cuius reliquiae nunc noviciis aedificationibus paene occultatae sunt. secundum frontem et latus occidentale clivus ita ascendit ut paulatim stylobatae altitudinem, quae in orientali ingens est, exaequet. opisthodomi vestigia nunc latent sub aedificationibus recentibus. hoc igitur templum rectissime dici *ad forum* situm esse vidimus et in imo clivo, item recte dicitur ANTE *clivum* et SVB *clivo* in scholiis Vergilianis Aen. 2, 116. 8, 319, nimirum a foro eunti versus Capitolium (v. *Hermes* 4, 260). item bene habet quod Lucanus, ubi de effracto a Caesare aerario luculenter disseruit, templi Saturni fores reclusas sonitum dedisse et resonuisse rupem Tarpeiam dixit: *ut videt ingenti Saturni templa revelli mole — ante fores nondum reseratae constitit aedis — —; protinus abducto patuerunt templa Metello: tunc rupes Tarpeia sonat magnoque reclusas testatur stridore fores, tunc conditus imo eruitur templo multis intactus ab annis Romani census populi* cett. (3, 115 s. 153 ss.). quae verba ut ab eis qui Saturni templo columnas tres, quae sunt Vespasiani aedis, tribuerunt prave enarrata sunt (ut a Bunseno *Le forum* 1835 p. 11 aliis), ita postquam de templo octo columnarum accipienda esse constat, nil aliud significare apparet quam rupem saxumve, quam versus aedem Consolationis spectasse nunc satis convenit inter omnes, resonuisse utpote Saturni templo aerarioque vicinum. praeterea aerari nomen in cognomen abisse videtur aliquot ecclesiarum saeculo XV longe antiquiorum, sitarum circa ecclesiam Consolationis eademque regione repertus est titulus hic (Henz. 6455 = C. I. L. 6, 1265): *L. Calpurnius Piso M. Salvius pr. aer. aream ex s. c. a privatis publica redemptam terminaver.* qua de re non repetam quae exposui topographiae volumine altero p. 483—486. hinc efficitur nomen aerarii, quod fuit in templo Saturni, aetate media translatum esse ad regionem totam eam quae pone aerarium fuit sane amplam, cuius generis translationum passim in

libro meo exempla dedi; non sequitur ut ipsum aerarium spatio sat magno ab aede Saturni diremptum fuerit, nec potest sane sequi, quoniam aerarium in ipsa aede fuisse tam Varronis quam Lucani verba testantur. praeterea notum est atque a Klenzio (*Philolog. Abhandl.* p. 18) egregie expositum de eodem valere aedificio quod Appianus narret b. c. 1, 31 *εἰς τὸν τοῦ Κρόνου νεὼν οὗ τοῖς ταμίαις* (ita emendat codd. scripturam *τοὺς ταμίας*) *ἐχρῆν ὀμνύναι* quodque in tabula Bantina scriptum sit v. 22 *i*]*ouranto apud quaestorem ad aerarium*, denique quod Livius referat (29, 39, 12) *cum in leges iurasset C. Claudius et in aerarium escendisset.* his verbis nequis putaverit aerarium in monte situm fuisse adstrui, cautum est Ciceronis Fonteianae fragmento Niebuhriano (3, 4): *accusatio quae* [*f*]*acilius possit A*[*l*]*pis quam pauc*[*o*]*s aerari gradus ascendere*, quo testimonio diligens in conquirendis testimoniis scriptor Nibbyus (*Roma antica* 2, 114) recte usus esset, nisi de aede Saturni ipsa errasset cum aliis. hos gradus esse scalas templi Saturni sane magnas, quarum rudera nunc quoque supersunt apparet nec minus certum est eos licet multi fuerint tamen prae mole ingenti Alpium paucos apte dici potuisse.

Iam eo devenimus ut quaeramus quo iure nunc a plerisque aedes Saturni ad forum sita binis appelletur *Opis et Saturni* nominibus. eius rei constat unicum testem esse aut certe haberi titulum Orellianum 1506: nam de Victore ficticio postmodo videbimus. hic titulus apud Gruterum 26, 3 unde Orellius eum transcripsit, sic editus est:

Romae ad septem lucernas in marmore fracto

LOCVS · ADSIGNATVS · AEDI · OPI · ET · SATVRNI
L · MVNATIO · VERO · ET · C · TERENTIO · FELICE
CVRAT · OPER · PVBLIC

ex Mazochio et ms. Metelli

in Epigrammatis urbis Romae eiusque Addendis impressis apud Mazochium non extat, nec meminit illius syllogae auctor Albertinius in descriptione Urbis, licet pluribus ibi de aerario Saturnique templo disputaverit. non meminerunt astygraphi saeculi XVI. sed praeter mirum hoc testium idoneorum silentium ipsius tituli verba mihi, ex quo primum intellexi nomen aedis Opis et Saturni hoc solo documento esse munitum, suspicionem gravissimam moverunt. neque enim conditae instaurataeque aliquotiens aedi Saturni potuit ea aetate, quam titulus iste ementitur, locus dici adsignari nimirum condendae instaurandaeve; neque vero adsignandi vocabulum ita usurpatur ut possit de attributo in usum aedis dudum conditae loco nescio quo attiguo accipi. sed quoniam nuper Mommseni disputatione (Ephem. 1 p. 67 ss.) edocti sumus Gutenstenii fidem suspectam esse, hunc quoque titulum, quo ad unum omnes tanquam genuino antea usi sunt, damnandum esse facile nunc tibi in Actorum tuorum ultima pagella verbo significanti quam mihi pluribus enarranti periti malint adsentiri. apparet autem duas maxime res falsario fingendi materiam suppeditasse: primum enim eo ipso loco, quo istum lapidem inventum esse dicit, 'ad septem lucernas', reper-

tus est titulus genuinus ille, quem Mazochius fol. XXVI exhibuit, *locus adsignatus a Nigro et Castoniano cur. operum publicorum.* deinde iam tum cum Gruterus Gutenstenii opera usus est Regionum urbis ab homine ignoto interpolatarum exemplaria in manibus omnium erant. iam cum in genuina Notitia regionum (R. VIII) scriptum sit *templum Saturni,* inde ignotus ille scriptor (cod. Vat. 3394) leni manu effecit *aedis Opis et Saturni,* nimirum memor eorum quae de horum numinum religione apud Macrobium Sat. 1, 10 legerat. audacius rem egit Ianus Parrhasius in editione Victoris sui a. 1505 emissa cum scripsit *aedis Opis et Saturni in vico iugario,* quae verba per editiones Victoris posteriores propagata sunt (v. Top. 2, 303 ss.), abusus ille Vallensis kalendarii iam tum omnibus triti nota ad 10 Aug. *feriae arae Opis et Cereris in vico iugario constitutae sunt.* — quae cum ita sint quoniam aedem Saturni binis Saturni et Opis nominibus cognominatam esse nemo testatur, consentaneum est hoc solum relinqui, ut quaeramus an testimonia tam Ciceronis de pecunia publica a Caesare *ad Opis* relicta quam hemerologii Amiternini de Opalibus *ad forum* factis pertineant ad aedem Saturni notam atque ex parte superstitem, cuius plenum nomen miro casu — mirum enim tot testium ipsorumque actorum silentium profecto dicere licet — occultatum fuerit.

Sed pauca praefanda sunt harum quaestionum examini de sociatorum in singulis templis numinum cultu atque nominibus. notum est pontifices negasse licere Honori et Virtuti aedem unam dedicari, *quod negabant unam cellam duobus recte dedicari, quia, si de caelo tacta aut prodigi aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret, quod utri deo res divina fieret sciri non posset: neque enim duobus nisi certis deis rite una hostia fieri. ita addita Virtutis aedis adproperato opere* cett. (Liv. 27, 25). quae verba si recte scripta sunt in codicibus, Honorem et Virtutem apparet non fuisse inter deos certos; certi autem si sint eidem quos Varro hoc nomine insignivit, una hostia fieri potuisse diis binis ex eorum numero quos 'a Iano ad Naeniam' singulis momentis vitae humanae praefuisse notum est, non potuisse ceteris selectis incertisque, nec potuisse his aedes nisi singulis singulas dedicari. Honoris et Virtutis numinibus genere paria sunt *Pavoris et Palloris, Spei et Fortunae:* confirmatur regula pontificia eo quod illis tempore antiquissimo, his tertio quartove p. C. n. saeculo binis bina, non singula templa aedificata sunt. illa commemorat Livius, haec Notitia regionum. iam ceterarum aedium sacrarum ante principatum Augusti conditarum fastos perlustremus: rara sunt sociati deorum binorum ternorumve singulis aedibus cultus exempla. demenda sunt ex numero exemplorum templa Iovis Iunonis Minervae Capitolinum, Cereris Liberi Liberaeque ad circum maximum: huius enim Graecanicam originem non est quod edisseram, de illius triadis origine vel Italica vel Graecanica etsi non convenit inter homines doctos — me scito de Graecanica non dubitare — tamen cellarum divisio nota iuris pontificalis normam supra expositam confirmat. cetera exempla binorum numinum singulis aedibus cultorum aut vera aut quae videantur esse haec sunt.

1. *Lunae in Aventino* aedes postea *Solis et Lunae* dicta. condita dicebatur a Servio Tullio. *Lunae* nomen constanter habent testes hemerol. Praen. 28 Mart. Tac. Ann. 15, 41 Liv. 40, 2 Vitruv. 5, 5, 8 incertus de vir. ill. 85. itaque ad nomen aedis non pertinet fragmentum editum a Mommseno l. c. p. 412 ubi v. 2 [*So*]*lis et Lun*[*ae*]. non est quod demonstrem — constat enim certissimo Tertulliani testimonio — non esse idem templum illud *Solis apud circum* (hoc est in circo) commemoratum a Tacito Ann. 15, 74 aliisque. — Notitia regionum sola r. XI habet *templum Solis et Lunae,* quod esse aedem Aventinensem, non sacrum Solis in circo factum, sensit Prellerus *Reg.* p. 192, licet dubitanter rem extra dubitationem positam tetigerit. alibi monui Notitiam nomina locorum et aedificiorum propria accurate exponere: sed contra illum optimae aetatis testium consensum quid valet usus aetatis imperatoris Constantini? v. n. 2.

2. *Castoris aedes* ad forum vota a. 258 dedicata a. 270 secundum annalium memoriam, *Castoris et Pollucis* nomine an umquam aut inscripta aut proprie dicta sit incertum. idem valet de Castoris aede ad circum Flaminium. Tiberianae aedis inscriptionem commemorat Dio 55, 27, sed ut de deorum nominibus nihil doceat. nec constat mihi quid tribuendum sit Albertinii testimonio (descr. urbis f. XXXIV[v] in sylloga Mazochiana) dicentis Pomponium Laetum effossum in foro vidisse titulum dedicationis: cf. Fea *Prodromo* p. 14. verba tituli non tradita sunt. notum est annales (Liv. 2, 42 Obs. 68 cett.) leges (C. I. L. 1 n. 197, 17. 201 cett.) denique Ciceronem ceterosque scriptores optimae aetatis constanter *Castoris* nomen usurpare, ut etiam inter formulas sollemnes habitum sit illud *pro aede Castoris* (Fest. 246[b]). huic nomini saeculo tertio quartove substitutum est non Castoris et Pollucis, sed *Castorum*, quod obvium in libris illa aetate scriptis, vitis imperatorum (hist. A., Maximin. 16 Valer. 1) chronicis a. 354 et Notitia regionum: cf. Mommsen ad chronogr. p. 652 adn. 43. similiter vulgari consuetudine *Cererum* dictum sacrum Cereris et Proserpinae titulo Africano disputato ab O. Hirschfeldio *Ann.* 1866, 51. iam ut Capuae Corae Tusculi aliis locis fuisse aedes Castori et Polluci dedicatas monumenta publica optimique auctores testantur (C. I. L. 1, 567. 1150. Cic. de div. 1, 43, 98), ita sane res certissima Romae ad forum (nec non ad circum Flaminium) templum utrique numini dedicatum esse. nihilo minus constat alterius id nomine non solum sermone vulgari sed etiam sollemni actorum nuncupatum esse: quam legem cum solus Verrius Flaccus hemerologio ad d. 27 Ian. declinavit scribendo *aedis* [*Castoris et Po*]*llucis dedicat*[*a*], in hac ut in aliis rebus grammaticum se praestitit doctrinae laudem captantem. nam cave ne Amiternini quoque scriptorem aedem in circo Flaminio binis nominibus ornasse putes: nimirum quod ascripsit ad d. 13 Aug. *Castori Polluci in circo Flaminio* non continet aedis sed sacri commemorationem. aedem *Castoris* dicit Vitruvius 4, 8, 4. ceterum nota *aedem Castoris Pollucis* omissa copula dici in titulo Corano s. s. de cella una aedis ad forum sitae postea dicam.

3. *Apollinis* aedem antequam fieret Palatina Romae unam fuisse ante portam Carmentalem constat Asconii testimonio sane mirum in modum a

quibusdam contempto: hanc ipsam aedem esse Apollinem Sosianum Plinii (13, 35. 36, 18) item constat (Becker adnot. 1274). fuit *ad theatrum Marcelli* teste Arv. hemerol. ad d. 23 Sept. et Augusto mon. Anc. 4, 22. quare quod in hemerol. Urb. ad d. inc. ascriptum est *Apollini Laton(ae) ad theat(rum) Marc(elli)* sane pertinet ad aedem eandem: sed neque hoc loco nomen aedis binis nominibus significatur neque usquam alibi.

4. *Telluris* templum (votum a. 486 dedicatum a. inc.) ideo commemoro quod in hemerologio Praen. ad d. 13 Dec. putatur ascriptum fuisse [*Telluri et Cere*]*ri:* quod si fuit (*Tel*[*uri*] est in Amit.), tamen de aedis nomine nihil inde efficitur. *Telluris* aedem nominant testes omnes. non indignum quaestione, an forma Capitolina aetate Severi incisa veterem aedem Telluris binis Telluris et Cereris cessisse doceamur: est ibi *in Tel*[*lure*] nomen plateae, iuxta *aedes* ascriptum binarum aedium ichnographiis. nomina earum ignorantur. sed omisi coniecturam hanc in mea editione estque incerta.

5. *Romae et Veneris* templum ab Hadriano factum non tam templum unum fuit, quam binorum copulatio ne una quidem fronte sociatorum. huius templi geminati nomini saeculo quarto substitutum est brevius *templi Urbis*, qua de re pluribus in editione formae Capitolinae disputavi. res est singularis atque a veterum religionum norma abhorrens.

6. *Divorum imperatorum* templa partim ad leges patriorum sacrorum partim ex institutis Graecanicis erecta sunt. — Domitianus divo Vespasiano templum fecit ad forum cuius nunc supersunt tres columnae. aedi a Severo et Antonino restitutae inscriptum fuit *divo Vespasiano Augusto s. p. q. r* cetera. — at in catalogo operum Domitianorum atque in Notitia dignitatum, libris saeculo quarto scriptis, vocatur *templum Vespasiani et Titi* (solus A Notitiae om. *et Titi*). dubitatur an ad hoc templum pertineant verba legis collegii Aesculapii et Hygiae (Orell. 2417) *in templo divorum in aede divi Titi.* quod si esset, Severus et Antoninus totum templi schema mutasse putandi essent: nam cellam nunc quoque habet unam cum basi simulacri unius. nihilo minus nomen plenius demonstrat illa certe aetate utriusque imperatoris cultum in ea aede exercitatum esse. — aedi divae Faustinae inscriptum est *divo Antonino et* | *divae Faustinae.* periti sciunt versiculum primum postea additum esse. aedes putatur dedicata esse Faustinae Pii consecratae a. 141, eodem templo Pium cultum esse consecratum a. 161.

Consulto omitto templa quae Pompeis extant Mercurii et Maiae, Aesculapii et Hygiae; quorum cognominatio argumentis defenditur incertissimis. possum e municipiorum coloniarumque ceterarum sacris exempla alia afferre quae pertineant ad illam iuris pontificii regulam illustrandam. sed ne nimis a proposito deflectam intra urbanorum fines me continebo. iam primum et pontificum responso et re ipsa satis comprobatum est cellam unam, hoc est domum, non posse deos plures, hoc est domus dominos, continere: at potest domino contubernalis attribui eiusque tutelae commendari quasi cliens patrono. id quod non raro accidit: velut in cella Iunonis in aede Capitolina Iuventatis aedicula dedicata fuit. plures cellae ut aedis unius tecto comprehenderentur fieri non potuit nisi unius e pluribus dei patrocinio et

imperio in tali quoque communione ceteris imposito: id quod praeter Capitolinam Graecamque Cereris Liberae Libri aedem an unquam Romae factum sit dubito. exempla novi nulla. — sociandorum numinum causae cum fuerint complures, praecipuae fuere eorum coniugia atque parentelae. sed hoc non ita accipiendum esse ut in maritorum cellis uxores ubique consecratae fuerint exempla docent. ita ad Lunae factum est Lunae et Soli cuius in Quirinali templum fuit. contra ad Apollinis factum Apollini et Latonae cui templum suum Romae non videtur fuisse; item ad Telluris factum Cereri — quorum numinum coniunctionem doctrina Graecanica male interpretata est. feliciter autem evenit ut templorum duorum Castoris et Vespasiani rudera extent ita comparata ut nunc quoque cognoscamus singulas singula cellas habuisse. nec facile pristinum schema aut huius aedis Severus et Antoninus aut illius Domitianus quique postea aedificarunt mutaverint; immo illius pavimentum factum ante aetatem Domitiani superest sublato eo quod hic ei postea superstruxit. atqui Castoris unius uniusque Vespasiani hae aedes nomina habuere, licet Castoris et Pollucis, Vespasiani Titique numina ibi culta esse constet: apparet igitur Pollucem non pari iure in aede illa antiquissima Castori fuisse, Titum non pari Vespasiano. idem statuendum de Faustina et Antonino. itaque vocabulorum sollemnitatem vides rerum naturae iurisque sacri legibus apprime convenire. sed haec omnia praefanda erant ei quaestioni, in qua solvenda nos nunc versamur, quae est de Saturni Opisque templis ad forum sive in Capitolio sitis.

Ne multa, ex eis quae hucusque disputavi effici arbitror, aedem Saturni eam, cuius porticus octo columnarum superest, nunquam fuisse dictam Opis et Saturni, nunquam aedem Opis in Capitolio, sed omni tempore proprie dictam esse *Saturni ad forum* sive *in foro*, si quidem nulla harum locutionum discrepantia est; in ea autem aede fuisse aerarium populi Romani; diversam ab ea esse aedem extructam ante a. 568 *Opis in Capitolio*, hoc est in monte Capitolino; praeterea *sacrarium Opis in regia* fuisse: haec autem constare usu sollemni nominum in optimis monumentis religiose observato, denique ficticium esse titulum Gutenstenianum quo solo Opis et Saturni aedis nomen continetur. iam quoniam Cereri et Telluri ad Telluris, Soli et Lunae ad Lunae fieri solitum esse vidimus, Pollucemque in fratris germani aede consecratum fuisse, sane apparet cur *Opi ad forum* Opalibus fieri potuerit ad Saturni. quodsi Opiconsiviis factum esse *Opi in Capitolio* scribitur in hemerologio Vallensi, dieque insequenti (*Opi?*) *in regia*, haec sacra nihil pertinent ad aedem Saturni; pertinet illud ad aedem Capitolinam. relinquitur sacrum in solo Arvalium hemerologio Volcanalibus ascriptum *Opi opifer(ae)*. cui sacro cum praecedat illud [*nymp*]*his in campo*, subsequatur *illud Quir(ino) in colle*, Klügmannus autem in addendis Actorum tuorum p. 234 feliciter animadverterit sacrorum in hemerologiis singulis diebus ascriptorum ordinem pendere a locorum nominibus per litteras digestis, liquido apparet Opis opiferae sacrum posse factum esse *in Capitolio* (quod fuerit in lapide), plenum igitur Capitolinae aedis nomen fuisse posse Opis Opiferae in Capitolio idque egregie quadrare ad

Ciceronis verba supra coniectura restituta. hanc autem aedem tibi probavi (*Eph. epigr.* 1872, 230 s.) esse eam ipsam quam inter annos 631 et 640 L. Metellus qui triumphavit de Delmatis a. 637, pontifex maximus dedicaverit teste Plinio 11, 74, cuius verba e rescripto codice restitui. neque ulla est causa cur hanc aedem a solo factam, non restitutam esse credamus, cum praesertim idem ille Metellus restituerit aedem Castoris. scilicet pontificis maximi partes in dedicandis novis instauratisque aedificiis sacris fuere eaedem. at quid facias Opiconsiviis ad Opis opiferae celebratis teste hemerologio Vallensi? quid aerario ad Opis in Capitolio, non in Saturni aede ad forum sito? de illis sic sentio: Opis opiferae aedem novimus Capitolinam, Opis consiviae aedem nullam. quid igitur obstat quominus putemus Opeconsiviis ut in regia et fortasse aliis locis, de quibus hemerologiorum fragmenta tacent ea quae nunc extant, Opi factum esse in Capitolio ad Opiferae? nempe consiviae opiferaeque cognomina sunt bina deae eiusdem sociae uxorisque Saturni. alteram quaestionem sic solvo: quoniam in tot aerarii, quod fuit in aede Saturni, commemorationibus praeter solos eos Ciceronis locos, quibus de Caesaris pecunia ad Opis relicta traditur, nulla Opis aedes commemoratur, hac ipsa re nos edoceri, illam pecuniam non fuisse depositam in aede Saturni. — ultra prodire nunc quidem non datur. quanquam sunt de quibus quaeri amplius et possit et debeat et ut praeter opinationes quaeri aliquando possit factum iri sperem eruderata postica parte aedis Saturni montisque Capitolini declivi in eam parte. nam cum sit inepti hominis credere in ista templi Saturni crypta, in quam tu fere despicis quaeque nunc sub divo sita est, aerarium populi Romani fuisse aut suffecisse ad condendos tantos thesauros, tot tabulas codicesque opisthodomon angustam templi, in eaque quaestores quaestoriosques scribas versatos esse, sane aedificium aedi continens sat amplum adhuc sepultum esse dixeris ab eoque putaveris potuisse ascendi ad Opis aedem in monte positam ipsamque condendis publicae pecuniae quibusdam partibus aptam. sed, ut dixi, de his rebus opinationes effundere antequam solum pertemptatum sit nugatoris est. tu, vir praestantissime, vide an interim eam quaestionem, quae est de nominibus templorum Saturni et Opis, ope litteratorum monumentorum tuique Arvalium hemerologii aut solverim aut aliis rectius tractaverim. vale.

Dat. Regimonti Prussorum m. Febr. a. 1875.

H. Jordan.

DE FASTIS SACERDOTALIBVS QVI VVLGO AVGVRIBVS ATTRIBVVNTVR.

Inter fastorum sacerdotalium lapidibus incisorum reliquias primarium fere locum obtinet tabula lapidea quam 'repertam Romae in aede nova S. Petri in Vaticano 1596 mense Iunio' primus ac nisi fallor unus typis mandatam edidit Gruterus p. 300, 1; septem primi tabulae versus etiam apud Orellium n. 725 ex Grutero desumpti leguntur. Pertinere tabulam ad sacerdotale aliquod Romanorum collegium, manifestum est; cuinam autem collegio sit attribuenda cum ex ipsa tabula non appareat, Borghesius definire temptavit adhibito alio fragmento item fastorum collegii alicuius sacerdotum reperto in foro Romano a. 1811 (editum est post alios ab Henzeno n. 6021 et C. I. L. I, p. 465). Hoc in fragmento L. Sempronium Atratinum a 714 inter sacerdotes esse cooptatum legitur, quem hominem eundem esse Borghesius statuit ac L. Atratinum qui in nummis M. Antonii (Cohen Sempronia 12 — 16) augur vocetur; itaque et hoc fragmentum augurum collegio attribuit, et cum id partem ('pezzo') crederet tabulae illius de qua ante dixi Gruterianae p. 300, 1, hanc quoque tabulam fastorum augurum partem esse iudicavit (oss. num. 7, 7 = oeuvr. 1, 349. 350). Denique tertium quoque sacerdotalium fastorum fragmentum, a Fabretto 494, 188 et a Muratorio p. 350, 2 editum, auguribus adscripsit (mem. dell' inst. 1, 258 = oeuvr. 3, 394). Secuti sunt Borghesium inter alios Marquardt Handbuch 4, p. 182 not. 1079 p. 347 not. 2302 et Henzen ll. cc. Et Henzenianum quidem fragmentum recte exque satis idonea causa a Borghesio auguribus esse attributum omnes facile concedent, sed quibus causis motus Borghesius tabulam Gruterianam partem esse fastorum eiusdem collegii statuerit et hanc quoque tabulam ad augures rettulerit, quibusve causis postea Muratorianam quoque tabulam auguribus attribuerit, neque ipse Borghesius satis demonstravit neque ei qui in sententia eius acquieverunt, neque ego perspicio. Sane intercedit similitudo quaedam inter Henzenianum haud dubie ad augurum fastos pertinens fragmentum et Gruterianam Muratorianamque tabulas: tres illae inscriptiones ita compositae sunt ut, cum cooptatio novi sacerdotis referatur, primum ponatur nomen eius qui cooptetur, tum denique nomina consulum quorum anno cooptatio sit facta ponantur, cum in aliis qui ad nos pervenerunt cooptationum fastis primum nomina consulum poni soleant, cooptationis enarratio subsequatur; ut in fastis sodalium Antoninianorum (Henzen 6053), in fastis sacerdotum in aede Iovis Propugnatoris consistentium (Henzen 6057. 6058), in fastis Saliorum Palatinorum (Marini atti p. 165—167). Sed solos augures illum ordinem in cooptationibus enarrandis observavisse omnesque tabulas in quibus ordo ille occur-

rat, auguribus esse adscribendas, nemo opinor sibi persuadebit. Altera quoque similitudo quae intercedit inter Henzenianum fragmentum Gruterianamque tabulam — nam ad Muratorianam tabulam haec res omnino non spectat — non maioris momenti mihi esse videtur. In decurias fuisse distributa collegia ad quae fragmentum Henzenianum et tabula Gruteriana pertineant ex ipsis marmoribus apparet; sed cur statuamus solum augurum collegium in decurias fuisse distributum, non video[1]). Itaque tabulae Gruteriana p. 300, 1 et Muratoriana p. 350, 2 sine idonea causa 'fasti augurum' vocari mihi videntur. Tabulam autem Gruterianam non solum sine causa, sed etiam falso auguribus attribui, cum ad aliud quoddam collegium pertineat, demonstrari posse puto.

Secundum tabulam Gruterianam quod in locum Neronis imperatoris defuncti a. p. Chr. 68 Rutilius Gallicus cooptatus est, non qui in imperio ei successit Galba, commode expediri non potest nisi ut statuamus, Galbam iam privatum eidem collegio fuisse adscriptum. Acceperat autem Galba, antequam principatum occuparet, teste Suetonio (Galb. 8), 'triplex sacerdotium, inter quindecimviros sodalesque Titios, item Augustales cooptatus'. Non ad augures igitur, sed aut ad quindecimviros sacris faciundis aut ad sodales Titios aut ad sodales Augustales tabula Gruteriana erit referenda.

Ex tribus his sacerdotiis tertium esse sodalium scilicet Augustalium, ad quod pertineat Gruteriana, efficitur ex titulo reperto c. a. 1828 Tarquiniis (Henzen 6048. Wilmanns 1213) posito 'Q. Petronio Meliori, viro co(n)s(ulari), .. sodali Aug(ustali) Claudiali'[2]), quem alium esse ac Q. Petronium Meliorem teste tabula Gruteriana a. 230 inter sacerdotes illos cooptatum veri dissimillimum videtur[3]); neque opinor quisquam eo confugiet

---

[1]) [Puto decuriae vocabulum singulari plane ratione usurpatum et in Henzeniana et in Gruteriana tabula causam fuisse cur omnium consensu adhuc coniungerentur. Nam decuriam cum satis constet significare proprie homines decem denosve, facile quidem transfertur ad quemlibet alium numerum, ut centuria saepe significat homines aut plus centum aut minus; sed singulos locos in collegio decurias appellari et tot numerari in collegio decurias quot in eo homines sint, quod in hisce tabulis factum esse negari non potest, cum et praeter rationem esse videretur et exemplis nullis aliis defendi, singularem hunc usum visum est quam maxime restringi oportere nec praeter necessitatem ad plura collegia sacerdotum extendendum esse. Th. M.].

[2]) Titulus sepulcralis eiusdem Q. Petronii Melioris (Orelli 3775) cum nihil praeter consulatum hominis enuntiet, hic nihil ad rem facit.

[3]) Quod in Wilmannsiana sylloge n. 1213 ad inscriptionem hanc adnotatum legitur: 'vixisse [Q. Petronium Meliorem] circa aetatem Severi Alexandri adhuc putabatur, cum album sacerdotum apud Gruterum 300, 1 anno 230 inter sacerdotes nescio quos cooptatum exhibeat Q. Petronium Meliorem; eum tamen huius filium potius fuisse monet me Mommsenus, cum legati legionis Alexandri aetate certum exemplum adhuc repertum sit nullum' — erat autem Q. Petronius Melior tituli Tarquiniensis legatus legionum tricesimae Ulpiae et octavae Augustae —, in hac re erratum est; nam et aetate Alexandri et post Alexandrum legatorum legionum complura certa exstant exempla in sylloge Orelliana-Henzeniana 3143. 6504. 6746 (= C. I. L. VII, 107). 6804. Immo omnia quae in titulo Tarquiniensi leguntur aetati Alexandrianae optime conveniunt.

ut post dedicatum titulum Tarquiniensem Q. Petronium Meliorem alterum sacerdotium accepisse statuat. Itaque sodalibus Augustalibus (quos eosdem fuisse ac sodales Augustales Claudiales Borghesius docuit oeuvr. 4, 173. 174) tabula Gruteriana adiudicanda erit.

Numerus quoque decuriarum sive locorum collegii quem tabula Gruteriana praebet multo magis sodalibus Augustalibus convenit quam auguribus. Legitur enim in tabula Gruteriana a. 51 p. Chr. Neronem Caesarem Augusti f. Germanicum supra numerum inter sacerdotes esse cooptatum instituta nova eius causa decuria numero vicesima septima; itaque ante a. 51 sacerdotes viginti sex in eo collegio ad quod tabula Gruteriana pertinet fuisse necesse est. Augures autem dictatoris Caesaris aetate sedecim fuisse constat; quorum numerum usque ad annum 51 ad viginti sex augeri potuisse non nego[1]), veri simile tamen id non videtur. Contra sodales Augustales cum primum instituti sunt (a. 14), numero fuerunt viginti quinque, quorum viginti unus sorte ducti erant e primoribus civitatis, supra numerum adiecti Tiberius Germanicus Drusus Claudius (Tac. ann. 1, 54. Suet. Claud. 6). Itaque si ad sodales Augustales tabulam Gruterianam pertinere statuimus, ut a. 51 Nerone supra numerum cooptato decuria fieret vicesima septima, ab a. 14 ad a. 51 una supra numerum cooptatio facta sit necesse est. Cogitabam de Nerone Germanici filio, quem sodalem Augustalem fuisse lapides Orell. 663. 2366. 2368. I. N. 2213 docent; sed hunc probabiliter cum a. p. Chr. 20 togam virilem sumeret (Tac. ann. 3, 29) in locum Germanici patris a. 19 defuncti suffectum esse monet me Mommsen; potius in honorem Drusi Germanici filii alterius, quem et ipsum id sacerdotium habuisse constat (Orelli 667), cum a. 23 togam virilem sumeret (Tac. ann. 4, 4), vicesimam sextam sodalium Augustalium decuriam esse institutam.

Has cunctas res quas exposui si quis accurate perpenderit, eum non dubitaturum esse spero quin in tabula Gruteriana p. 300, 1 fastorum sodalium Augustalium pars nobis sit servata. Tabula autem Muratoriana de qua supra dixi cuinam collegio sit attribuenda, cum neque ad augures eius referendae neque ad alios certos sacerdotes causam ullam videam, in incerto mihi relinquendum est.

H. Dessau.

---

[1]) cf. Dio 49, 16.

OBSERVATIONES EPIGRAPHICAE.

XIX. ALBVM ORDINIS THAMVGADENSIS.

Inter alia monumenta quae amicus et socius Gustavus Wilmanns iter faciens in Africa indagavit, ad me misit id quod sequitur edendum, ut speciminis loco id esset etiam post messem Renierianam non contemnendum sibi remansisse spicilegium. Leges autem huius ephemeridis cum in universum non admittant nisi supplementa earum corporis partium quae prodierunt, optimi amici iussis obtemperare eo minus dubitavi, quod titulus dignus est qui seorsum prodeat cum commentario si non iusto, certe pleniore quam adici potest in ordinem relatis. Basis est reperta Thamugade, hodie Tîmgâd, in provincia Numidia, alta m. 1. 10, lata in antica 0. 26 et 0. 25 deficiente parte media, in latere utroque 0. 57; litteris altis in antica a 0. 08 ad 0. 05, in lateribus 0. 02 non pulchris iis, sed lectionis certae. Postica numquam scripta fuit. Inscriptio praeter anticae litteras quasdam in mediis versibus effractas integra ad nos pervenit abundatque spatium in lateribus ita, ut quadratarius facile multo plura ibi perscribere potuerit. Ipsa inscriptio haec est.

a. *b.*

T · F*lau*IO
T·FIL*p*APIR
M O*ci*M O
F L A*m*INI
PE R*pe*TVO
FLA*uia*T FI
LIA*pr*OCIL
L*ald*D D

latus sinistrum:

ALBVS ORDINIS COL
THAMG VV·CC
VVLCACIVS RVFINVS PTR
MARIVS DECIANVS PTR
INSTEIVS LAMPADIVS PTR
sic POMPEVS DEVTERIVS PTR
CORNELIVS VALENTINVS PTR
VALERIVS ERENIANVS
SESSIVS PVLVERIVS
VALERIVS PORPHYRIVS
CESSIVS TRIGETIVS
CESSIVS ANDANIVS

PLOTIVS FLORENTINVS VIR · P · FL P
ELIVS AMPELIVS VIR P ·
SACERDOTALES
IVL · PAVLVS TRIGETIVS · PTR
ANTONIVS VICTOR · FL P
CVRATOR
OCTAVIVS SOSINIANVS FL P
DVOVIRI
SESSIVS CRESCONIVS AVG
PAPIRIVS VITALIS · FL P
CORFIDIVS VALENTINIANVS · FL P
GRASIDIVS VICTORINVS · FL P
ANTONIVS VINDICIANVS · FL P
GRASIDIVS SADVNTIVS · FL P
CLAVDIVS LICENTIVS · FL P
SENTIVS VICTOR · FL P
AVFIDIVS OPTATVS · FL P
SESSIVS IVLIANVS · FL P
EGNATIVS FLORENTINVS · FL P
PLOTIVS CRESCENTILIANVS · FL P
CLAVDIVS SATVRVS · FL P · EX CT
AVRELIVS MAXIMVS · FL P · EX CT
CINCIVS PORPHYRIVS · FL P
ELIVS IVLIANVS · FL P
FLAVIVS PALMINVS · FL P
FLAVIVS VINCENTIVS · FL P
SVLPICIVS INGENNVS · FL P

latus dextrum:

PLOTIVS PRETEXTATVS F · L · P
AGRIVS PRETEXTATVS F · L · P
CINCIVS INNOCENTIVS F · L · P
IVLIVS GVBERNIVS F · L · P
VALLIVS CANDIDVS F · L · P
FL · AQVILINVS F · L · P
FL · FAVSTINIANVS F · L · P
VIRIVS MANILIANVS F · L · P
FL · DONATIANVS F · L · P
OCTAVIVS FALACER F · L · P
ANTONIVS PETRONIANVS F · L · P
ANNIVS VERISSIMVS F · L · P
sic ACILIVS CONCESSANVS F · L · P
GARGILIVS CALVENTIANVS F · L · P
SESSIVS IANVARIANVS F · L · P
PONTIFICES
PLOTIVS ROMVLVS
VLPIVS PVRPVRIVS
HORATIVS MAXIMVS
ELIVS BIBIANVS
AVGVRES
IVLIVS VICTORINIANVS
FL · FVLLENTIVS
PLOTIVS PAVLINIANVS
EDILES
AVRELIVS RVFINVS
IVL · VALERINVS
QVAESTORES
VETILIVS SATVRNINVS
DVOVIRALICI
FLAVIDIVS SVDIANVS
VATERIVS SAPIDVS
FLAVIDIVS PROCILIANVS
POMPEIVS RVFINIANVS
ACILIVS VALERIANVS
IVL · FAVSTVS
VATERIVS DONATVS
LETORIVS LAERTIVS
VALLIVS HOSPES
VLPIVS ISTHEFANVS
FAVSTINIANVS CITHERI
VARIVS VICTOR

Album igitur tenemus ordinis Thamugadensis, quale aliud nullum ad nos pervenit praeter notissimum Canusinum scriptum a. Chr. 223. De hoc nostro ut recte iudicetur, ante omnia aetas determinanda est, quod quamquam consules non habet, ut habet Canusinum, nihilominus certa et facili ratione perfici potest. Tres enim homines ex recensitis ibi aliunde noti sunt, Vulcacius Rufinus (1, 3), qui inter patronos senatorii ordinis primum locum obtinet, et flamines perpetui duo Flavius Aquilinus (2, 6) et Antonius Petronianus (2, 11). Vulcacius Rufinus avunculus est Galli Caesaris et imperatoris Iuliani, Gallae igitur matris eorum frater, cum Vulcacio Gallicano rerum scriptore aetatis Constantinianae nescio qua parentela coniunctus, consul ordinarius a. 347, praefectus praetorio a. 349 (ad quam praefecturam spectat titulus eius Savariensis vol. III n. 4180), praefectus praetorio iterum a. 368, in quo honore obiit (Ammian. 27, 2, 2. c. 11, 1); nam diversum hunc a praefecto a. 349 quominus habeamus, obstat quod ait Ammianus eum hanc praefecturam obtinuisse *velut apicem senectutis honoratae.* Ceterum de Rufino hoc vide quae congessit Gothofredus in prosopographia p. 81, 82; neque enim rebus gestis eius enarrandis hoc commentariolum aptum est. Alterum eius nominis virum quamquam nullum fuisse demonstrari non potest, certe nullum novimus. — Duo autem flamines illi redeunt cum eo ipso sacerdotio in titulis duobus Thamugadensibus altero apud Renierium n. 1519 et Wilmannsium ipsum n. 1088: *domitori hostium, invicto imp., indulgentissimo principi, d. n. Fl. Cl. Iuliano invicto pio felici semper Aug. res p. et ordo coloniae Thamug. curante Fl. Aquilino fl. p. curatore rei pub. posuit dedicavitque,* altero apud eosdem Renierium n. 1520 et Wilmannsium n. 757: *pro magnificentia saeculi dd. nn. Valentiniani et Valentis semper Augustorum [quat]tuor porticus Capitoli seriae vetustatis absumptas et usque ad ima fundamenta c[orruptas] novo opere perfectas exornatasque dedicavit Publilius Caeionius Caecin[a Albi]nus vir clarissimus consularis curantibus Aelio Iuliano iterum rei publicae [curatore], Flavio Aquilino ff. pp., Antonio Petroniano ff. pp., Antonio Ianuariano ff. pp.* Prior titulus scriptus est inter a. 361 et 363, alter inter a. 364 et 367, et hic quidem certe post album quod edimus; nam tertius flamen perpetuus in titulo nominatus ab albo abest et post id scriptum necesse est flamonium acceperit. Album igitur scriptum est proximis annis ante 367 aut extremis Constantii aut imperante Iuliano aut primis Valentiniani fratrisque. Cui saeculo apta est cum reliqua tituli condicio tum nominum ratio, quamquam notabile est in ipsa dedicatione vel hac aetate praenomen tribumque adesse. Offendit sane in duoviralibus repertus Faustinianus Citheri (2, 41) nomine aut Graeca ratione aut ad servilem condicionem formato; sed ne talia quidem ab hoc saeculo abhorrent. Quantopere autem desiderandum fuerit, ut ordinis qualis fuit saeculo quarto imago certa et plena existeret, id non negabunt nisi qui horum temporum memoriam aut ignorant aut contemnunt. Ego quae ex hoc titulo aut elucidantur aut addiscuntur breviter explicabo; nam pluribus negotiis districto mihi otium defuit, nec placet pro albi huius interpretatione rem municipalem post Diocletianum universam retractare.

Primum et fortasse omnium maximum est, quod nunc demum clare apparet duo genera eo tempore fuisse decurionum, scilicet alios qui in curia sederent et ius haberent sententiae de rebus publicis ferendae, alios qui munera decurionatus subirent, suffragium autem in curia non ferrent. Et illos quidem proprie ordinis vocabulo significari titulus ostendit, quamquam ne hoc quidem nego aliquoties latiore sensu usurpatum esse; decurionis autem nomen generale est et ad alterum quoque genus pervenit. Neque diversitas ea recens est, sed redit ad ipsum Augusti senatus Romani ordinationem. Scilicet ex quo senatoria condicio tam Romae quam in municipiis hereditaria esse coepit, necessario inde enatum est discrimen inter senatores decurionesve qui essent et qui fieri possent deberentve, id est, ut aiunt leges Valentis et Gratiani (Cod. Iust. 12, 1, 11) et Honorii (Cod. Th. 16, 5, 52), inter senatores proprie dictos[1]) et clarissimos vel, ut definitur in aere Canusino, inter decuriones C et praetextatos XXV. De hoc non satis constat senatoris decurionisve filius qui ad aetatem senatoriam pervenerit quo iure sit, et fieri potest ut alibi aliae leges de ea re obtinuerint; videtur tamen non tam ipso iure propter aetatem decurio factus esse, sed secundum legem publicam municipalemve aut honore gesto, ut Romae obtinuit, aut in demortui locum a magistratu in album relatus (lex Iul. mun. v. 83 seq.). Quamquam Canusini praetextati, cum praesertim non minus quam decuriones certo numero fuisse videantur, fortasse eo iure fuerunt, ut praetexta posita statim locus iis daretur in curia. Sed meliore aetate hoc discrimen quomodo tractatum sit, in medio relinquemus, eo contenti quod quatenus pervenerit saeculo quarto certe in Africa, iam luculenter intellegitur. Eo tempore cum satis constet decurionem non tam fieri (quamquam potest etiam adlegi ex plebeiis) quam nasci (C. Th. 12, 1, 118; cf. Gothofredus ad h. t. p. 353) neque natum a decurione ipsum condicionem sibi mutare posse, decurio eiusmodi in Africa obligatus fuit ad munera municipalia ei ordini iniuncta suscipienda honoresque gerendos, sed in ipsum ordinem receptus non est nisi propter certos honores gestos sacerdotiave. Decuriones eos sine suffragio, ut ita dicam, intellegit Paulus cum ait (Dig. 50, 2, 7, 2): *is qui non sit decurio, duumviratu vel aliis honoribus fungi non potest*, qui locus cum ad antiquum statum aptari nullo modo queat (v. Kuhn *städt. Verfassung* 1, 231), rerum ordinem aetatis sequioris accurate repraesentat.

Praeterea cum album decurionum antiquioris aetatis magistratus proprie non recipiat et ad honores gestos solos respiciat, ut tamen honor qui geratur pro gesto habeatur[2]), in ordine saeculi quarti recensentur quibuscumque ius est in curia sedendi, maioreque ex parte constitutus est ex

---

[1]) Abusive senatores appellantur quicumque senatoriae condicionis sunt ii quoque qui extra curiam essent, ut pariter in ordinis vocabulo variatur.

[2]) Ita in albo Canusino duo viri quinquennales qui id incidendum curaverunt leguntur inter quinquennalicios loco extremo.

magistratibus qui sunt sacerdotibusque; nec dubium est his omnibus ea aetate ius fuisse sententiae in ordine ferendae. Ita factum est ut universum statum municipalem eius temporis ex hoc albo etiam plenius quam ex Canusino cognoscamus. Videamus igitur de singulis generatim, id est de patronis, de magistratibus, de sacerdotibus, de curialibus reliquis.

I. In patronis recensendis (1, 3—14) album Thamugadense vix recedit a Canusino; scilicet nominantur primum *v(iri) c(larissimi)* numero decem, deinde spatio interiecto *vir(i) p(erfectissimi)* numero duo (accedit tertius item sacerdotalis 1, 16). Quorum quod solis quinque primis adscriptum est *p(a)tr(oni)* vocabulum, ad neglegentiam scriptoris referendum est. Similiter in Canusino enumerantur primum *patroni cc. vv.*, deinde *patroni ee. qq. RR.*

II. Magistratus inveniuntur ii quibus ex antiquo instituto ius est sententiae dicendae in senatu duoviri aediles quaestores, praeterea curator.

1. *curator* unus (1, 18) creatus omnino ab imperatore itaque nominatus primo inter magistratus loco (Ulpianus Dig. 50, 3, 2: *in albo decurionum in municipio nomina ante scribi oportet eorum, qui dignitates principis iudicio consecuti sunt, postea eorum, qui tantum municipalibus honoribus functi sunt*). — Defensor civitatis quod non nominatur, vel inde explicari potest, quod ii instituti esse videntur a. demum 364 (C. Th. 1, 29, 1), ante quem fieri potest ut album propositum sit.

2. *duoviri* duo (1, 20—22; nam Papirius Vitalis mihi est duovir alter itemque flamen perpetuus).

3. *aediles* duo (2, 25—27).

4. *quaestores* (2, 28. 29), quorum cur alter deficiat, nescio.

III. Sacerdotes observandum est ne post medium quidem saeculum quartum antiquum statum mutasse. Quod inveniuntur in ordine, novum est, nisi quod flamini Diali ipsa liberae rei p. aetate Romae ius fuit in senatum introeundi (Liv. 27, 8). Inde profecti hoc saeculo, certe in Africa, sacerdotes maiores omnes in ordine locum habent, scilicet provinciales, flamines perpetui, pontifices, augures, ut adeo, cum praesertim sacerdotia haec omnia perpetua sint, ordo maiore ex parte ex sacerdotibus compositus sit. Inde quodammodo explicantur sacerdotum Afrorum in re publica gerenda partes et alias testatae et maxime legibus Constantini Magni his a. 335: *quoniam Afri curiales conquesti sunt quosdam in suo corpore post flamonii honorem et sacerdotii vel magistratus decursa insignia praepositos compelli fieri mansionum, quod in singulis curiis sequentis meriti et gradus homines implere consuerunt* cet. (C. Th. 12, 1, 21) et a. 337 data ad concilium provinciae Africae: *sacerdotales et flamines perpetuos atque etiam duumvirales ab annonarum praeposituris immunes esse praecipimus* (C. Th. 12, 5, 2). Has leges apparet eos ipsos ordines respexisse quos iam nobis proponit album Thamugadense.

1. *sacerdotales* duo (1, 15—17), omnino provinciae, de quibus conferendi sunt Hirschfeldius (ann. inst. 1866 p. 69 seq.) et Marquardtius (in hac ephemeride 1, 212 et *Staatsverwaltung* 1, 372). Hi non solum inter

sacerdotia primum locum obtinent, sed praeponuntur ipsi curatori utpote electi non ab ordine, sed a concilio provinciae accedente fortasse auctoritate praesidis provinciae. Dignitate eos non multum fuisse infra senatores luculenter apparet etiam ex poenis inflictis Donati sectatoribns Africanis ab Honorio imperatore (Cod. Th. 16, 5, 52. 54), nam exaequantur ibi *senatores* et *sacerdotales*, sequuntur longo intervallo *principales* et *decuriones* vel, ut est in altera lege, *decem primi curiales* et *reliqui decuriones*. Quod si recte viri docti statuunt in singulis provinciis singulos sacerdotes annuos creatos esse eoque sacerdotio functos sacerdotales appellari, casu factum est, quod duo hic provinciae universae sacerdotes in ordine Thamugadensi reperiuntur.

2. *flamines perpetui* postponuntur duoviris, anteponuntur sacerdotibus magistratibusque coloniae reliquis omnibus. Sunt omnes numero XXXVI, ex quibus XXXII (1, 23 — 2, 15) alium honorem nullum enuntiant, quattuor reliqui praeter flamonium aut patronatum minorem habent (1, 13) aut sacerdotium provinciae (1, 17) aut curam rei publicae (1, 19) aut (si recte vidi) duoviratum (1, 22). Accedit is cui titulus dedicatur et ipse flamen perpetuus. Singulare est, quod ne iis quidem flaminibus, qui uno ordine perscribuntur, flaminum perpetuorum index praescribitur, ut fit in reliquis tribus sacerdotum ordinibus, sed singulis hominibus sacerdotium adicitur. Recte id ni fallor Wilmannsius in litteris eo revocavit, quod flamines singulis deis divisve potissimum addicti sunt neque ita collegium efficiunt ut pontifices auguresque, quamquam, si recte titulum (edendum aliquando in vol. VIII n. 782) Wilmannsius explevit, *[collegiu]m flaminum perpetuorum Apisae maioris* Valentiniano Theodosio Arcadioque statuam dedicavit. Quod olim coniecimus Hirschfeldius (l. c. p. 54) et ego in municipiis Africanis singulos flamines quotannis creatos esse eoque flamonio annuo functi cum honores gesti sacerdotii in perpetuum retinerent, eos appellatos esse flamines perpetuos, haud scio an hoc titulo invento abiciendum sit; nam nisi admodum tenera aetate id sacerdotium dabatur, ita numerus flaminum perpetuorum qualem hic videmus vix effici potuit. Mihi iam magis placet de quo olim quoque cogitavi (v. apud Hirschfeldium p. 47) singulis divis singulos flamines perpetuos datos esse; nam aetate Constantii vel Iuliani videntur fuisse divi numero circiter XXXVII[1]).

Notae EX CT adscriptae flaminibus duobus (1, 33. 34) cum alibi non compareant, componendae videntur cum notis titulorum duorum repertorum

[1]) Scilicet cum a. 224 divi publice colerentur numero viginti (*Staatsrecht* 2, 769. 780), postea accesserunt Domna, Maesa, Alexander, Gordianus III, Decius, Saloninus, Gallienus, Claudius, Aurelianus, Probus, Carus, Numerianus, Constantius I, Galerius, Constantinus I, ut fiant quinque et triginta. Aliarum quarundam consecrationum memoriam in exilibus huius aetatis annalibus desiderari consentaneum est, nec desunt qui praeterea recte consecrari potuerint, ut sunt Mamaea, Gordiani primus alterque, Tacitus, Diocletianus.

Neapoli Africae (Guérin *voy.* 2 p. 248. 249 = vol. VIII n. 969. 970), quorum in altero est *Coelius Titianus v(ir) h(onestissimus), ex t. et nav., ex mun(erario) et ex cur(atore) r(ei) p(ublicae)*, in altero [*M*]*arius Rusticus* [*t*]*r. et nav.* Ibi quem conieci significari *transvecturarium et navicularium*, is redit hic opinor sub Graeco nomine *c(a)t(abolensis)*, quo item utitur in rescriptis duobus a. 368 datis ad praefectum urbis (C. Th. 14, 3, 9. 10). Immunitas autem a muneribus civilibus naviculariis data (Cod. Th. 13, 5, 5. 7) nullo modo obstat, cum hi duo non catabolenses dicantur, sed ex catabolensibus, plane ut centurio cum equum publicum habere nequeat, si eum reddidit ut centurio fieret, appellari solet *centurio ex equite Romano* (v. vol. III n. 750. 1480; I. R. N. n. 1072). — Diversa commendaverunt quos de his rebus consului viros doctos, quorum alteri *ex c(en)t(urione)* in mentem venit, alteri *ex c(ura)t(ore)*. At illud cum rei militaris ordinationi, qualis fuit aetate Iuliani, parum conveniat, hoc ut speciosius est, ita obstat lex syllabaria in eiusmodi breviationibus constanter, ni fallor, retenta, ut exempli gratia scribitur *b(e)n(e) m(e)r(enti), p(a)tr(onus), p(er)p(etuus), m(u)n(i)c(ipes)* (vol. VIII n. 779), ut adeo appareat huius generis compendia originem ducere ex nota interpunctione syllabaria. Requiritur igitur vocabulum, cuius secunda syllaba a littera T incipiat.

3. *pontifices* quattuor (2, 16—20). Pontificatum minus honoratum fuisse quam flaminatum iam Hirschfeldius (l. c. p. 53) demonstravit, ut Romae quoque in ordine sacerdotum flamines maiores supra pontifices erant. Numerus pontificum in municipiis qui fuerit alibi quod sciam non traditur, nisi quod coloniae Capuam deducendae secundum Rulli legem (Cicero de l. agr. 2, 35, 96) pontifices sex destinati fuerunt, quot Romae quoque olim videntur fuisse (*Staatsrecht* 2, 20).

4. *augures* quattuor (1, 21. 2, 21—24). Hoc quoque collegium quot homines habuerit in municipiis parum notum est. Primitivus numerus augurum publicorum populi Romani sex fuit; Capuae ex Rulli lege dabantur augures decem (Cicero l. c.).

IV. Curiales reliqui sunt *duoviralici* soli (2, 30—42) numero duodecim. Itaque quod olim obtinuit ut per aedilitatem quaesturamve in curiam perveniretur, id hac aetate in Africa certe sublatum est, ut aediles quaestoresque, dum fungerentur magistratu, in ordinem admissi gesto eo extra curiam rursus essent, fere ut obtinuit Romae antiquissima aetate. Vel de eo dubitari potest, utrum ex duoviraliciis omnes in curiam recepti sint an certus tantum numerus; mirum enim est, cum bini quotannis crearentur, non plus duodecim in ordine recenseri. Sed hoc ne sequamur obstat, quod probabile est longe plerosque ex sacerdotibus item fuisse duoviralicios, honorem tamen hunc utpote minorem non adscripsisse. — Hanc ordinationem ad Africam solam pervenisse crediderim, quippe ubi ea aetate ex sacerdotiis magis quam ex honoribus curiales adsciscerentur; sane Ulpianus quae habet de albo decurionum quaeque sua fecit Iustinianus (Dig. 50, 3, 1), ad antiquum ordinem solum respiciunt, qualem exhibet album Canusinum, nec nego in Italia vel hac aetate mansisse, ut per quaesturam potissimum in

curiam perveniretur adsciscerenturque praeterea decuriones pedanei quoque, id est non ex honore gesto, sed ex lectione facti. Sed ad ipsam Romanam curiam quod attinet, fieri potest, ut talis fere ibi ordinatio obtinuerit, qualem in Africa obtinuisse iam patet, scilicet ut in senatu praeter sacerdotes magistratusque non essent nisi consulares. Nam praetores quaestoresque qui creabantur potuerunt aut extra curiam in clarissimis manere aut una cum magistratu codicillos accipere consularitatis. Quod de praetoribus confirmatur quodammodo Polemii laterculo ad Ian. 9 (C. I. L. I p. 335): *suffecti consules designantur sive praetores.* Denique in senatum qui adlegebantur, eo tempore videntur adlecti esse inter consulares omnes (C. Th. 6, 2, 2 ibique Gothofredus). At difficillimam quaestionem de senatus Romani huius saeculi constitutione his meis dubitationibus non solvere volui, sed aliis commendare solvendam.

Numerum decurionum album, si recte id intelleximus, certum nullum habuit, sed pendentem ex numero duoviralium qui adviverent. Nominantur in albo homines LXXII numerato eo cui statua dedicatur. Sunt esseve debent in ordine sacerdotes XLVII (sacerdotales II, flamines perpetui XXXVII, pontifices IIII, augures IIII), magistratus VII (curator I, II viri II, aediles II, quaestores II), sed ut quidam et inter magistratus et inter sacerdotes nominentur deficiatque ex quaestoribus alter. Accedunt duoviralicii XII, denique patroni XIII.

Th. Mommsen.

Prodiit d. 22 Aprilis 1876.

Formis Academicis (G. Vogt).

HEMEROLOGII ALLIFANI FRAGMENTVM ALTERVM.

Fastorum Allifanorum, quorum dudum noramus particulam eam, quae continet dies Iul. 23—30, Aug. 22—29, adservatam hodie Neapoli in museo publico (vol. I p. 299; I. R. N. 4741; Fiorelli catal. mus. Neap. n. 448), nuper fragmentum alterum eruderatum est Allifis ex fundamentis domus q. d. *Cancelleria vecchia* una cum Herma bicipite hodie apud me adservato ex dono amici mei cuiusdam Allifani. Fastorum fragmentum cura Matthaei Angeli Visco factum municipii Allifani ibidem adservatur in curia. Nobis autem idem Viscus exemplum misit diligenter factum stabilitumque satis ectypis adiectis; unde iam edimus.

Aug.				
11			C	
12	H	PR	C	HERCVLI · IN V·V·H·V·V·FELICIT
13	A	E	I	D NP IOVI DIANA VORTVMNO · IN AVENTINO HERC
14	B	XIX	F	INVICTO AD PORT · TRIGEMINAM CAST POLLVCI IN CIRCO FLAM · FLORAE AD MAXIMVM
15	C	XIIX	C	
16	D	XVII	C	
17	E	XVI	P	O R T NP FER PORTVNO · AD PONTEM AEMILIVM IANO · AD · THEATRVM · MARCELLI
18	F	XV	C	DIVO · IVLIO AD FORVM
19	G	X///	V	I N F F IOVI

Ab altera parte lapidis scriptum est SEVE litteris maioribus.

Apparet hoc fragmento non continuari quidem alterum antea notum, sed paucos versus inter ea excidisse; hoc enim complectitur dies Aug. 11—19. Unde quid notitiae nostrae de Romanorum rebus sacris accedat, iam enarrabo.

Aug. 12. Sacrificium utrumque, Herculi invicto ad circum maximum et Veneri victrici, Honori Virtuti, Felicitati in theatro Pompeii aliunde nota sunt (v. p. 399). In secundo tamen fasti hi litteram singularem V inserunt inter Honorem Virtutem et Felicitatem, quae quid significet, non liquet. Numina haec ea sunt, quibus Pompeius theatrum suum quodammodo consecravit; fieri potest, ut ad Honorem et Virtutem adiunxerit item Valentiam, quamquam id numen in urbe cultum esse aliunde quod sciam non constat. De Victoria enim non cogitaverim, cum ea sit ipsa Venus victrix (v. Becker top. p. 676 quaeque observavi vol. I p. 397 ad Iul. 19).

Aug. 13. Notae sunt feriae Iovi, Dianae in Aventino, Vortumno in Aventino, Castori Polluci in circo Flaminio; novae accedunt binae Herculis et Florae.

Herculis victoris duas aedes Romae fuisse Varro scribit (apud Macrobium sat. 3, 6. 10 et Servium ad Aen. 8, 363), unam ad portam trigeminam, alteram in foro boario sive in circo maximo, nam utraque indicatione eundem locum significari Rossius (ann. inst. 1854 p. 31 seq.) luculenter demonstravit. Et haec quidem antiquissima est Euandrea coniuncta cum ara maxima eiusque Herculis Victoris ferias celeberrimas modo vidimus celebrari die proxime praecedente. Alter Hercules victor cum praeterea non commemoretur (cf. Becker top. p. 476), sane notabile est ferias eius incidere in diem subsequentem.

Florae aedes ad circum maximum ut satis nota est (Tacitus ann. 2, 49; Becker top. p. 473. 673), ita ferias eius deae nullas adhuc noramus praeter celeberrimas Apr. 28 et Mai. 3 cum ludis Floralibus coniunctas (v. vol. I p. 392). Quod iam intellegitur eidem item die Aug. 13 sacrum factum esse, componi potest cum nota consuetudine bis per annum violatione et rosatione sepulcra celebrandi; tempora tamen nequaquam conveniunt.

Aug. 17 quae adscribuntur feriae Portuno ad pontem Aemilium, Iano ad theatrum Marcelli, item quod Aug. 18 sacrum fit divo Iulio ad forum, omnia nota sunt.

Aug. 19 dies Vinalium notam habet in his fastis ut in Antiatinis F, cum in aliis sit F·P, in aliis NP (vide supra p. 8). Feriae Iovi autem huic diei adscriptae ut a Festo (p. 265) testatae sunt, ita in fastis marmoreis nunc primum comparent (vol. I p. 399).

Denique ut amicis, qui horum fastorum copiam nobis fecerunt, etiam eorum qui haec legent nomine gratias agimus, ita vota nuncupamus, ut egregiae hae reliquiae mox data opera investigentur. Nam postquam duo fragmenta ita casu emerserunt, non sine causa sperari potest fore ut reliqua quoque non omnia tempus aboleverit, sed supersint alia adhuc defossa.

TH. MOMMSEN.

LEGIS COLONIAE

IVLIAE GENETIVAE VRBANORVM SIVE VRSONIS

DATAE A. V. C. DCCX

FRAGMENTA NOVA.

ADDITAMENTVM AD CORPORIS VOL. II.

Ineunte a. 1874 publici iuris facta sunt in huius ephemeridis volumine II (p. 105 ss.) legis coloniae Ursonensis fragmenta inscripta tabulis aereis tribus secundum ectypa nobiscum liberaliter communicata ab Immanuele Berlanga et editionem eiusdem viri doctissimi. Quae in editione nostra in Germania principe varias ob causas minus recte administrata erant non multa sane, ea paullo post correcta sunt in retractata tabularum editione inserta eidem ephemeridi (p. 221 ss.). Tabularum illarum duae priores unam olim effecerant quinque columnis sive paginis scriptam; tertia alterius cuiusdam pars est tres tantum paginas priores continens; reliquae duae perierunt. Ex numeris capitum, qui adscripti sunt partibus superstitibus, hanc totius legis nonam fere fuisse tabulam, illam septimam cum probabilitate deduci potuit; periisse igitur aut latere inde consequens erat tabulas sex priores et octavam integras, fortasse quinarum paginarum unam quamque, nonae paginas duas; praeterea post nonam incertum aliarum numerum, sed fortasse non magnum. Atque nonae particulam minorem non periisse sed extare editor Hispanus statim suspicatus est; non illam tantum, sed tabulas integras complures (atque adeo plures quam omnino unquam fuisse probabile est) repertas esse et callide celari propter auri sacram famem fama addidit inter eius regiones homines inprimis rerum novarum et inauditarum fertilis. Spes autem illa Berlangae de recuperanda nonae tabulae particula sane videtur eum fefellisse; neque vero prorsus mentitam esse famam mox apparuit. Etenim autumno a. 1875 Franciscus Martinus Ocaña civis Ursonensis viris doctis qui museis nostris praesunt indicavit litteris humanissimis, servare se domi tabulas duas ad legem Ursonensem pertinentes easque, cum desperaret de pretio, quale aequum esse existimaret, in patria sua obtinendo, velle vendere museo potissimum Berolinensi. De loco quo tabulae illae novae repertae sint et utrum nuper prodierint an antea iam una cum iam notis tribus (quod sane licet suspicari) verbum ille non addidit. Post varias quales in eius modi negotiis solent obtinere tractationes (nam pretium venditor exegerat satis magnum) et post victa alius generis obstacula, quae rei ad finem perducendae utrique parti optatum moram faciebant in-

Itaque etiam hoc novum repertum quamquam bonae frugis plenu gratissimum sine dubio non nobis tantum sed omnibus antiquitatis R nae iurisque cultoribus, eius partis, quae aut periit aut nondum in l prodiit, desiderium magis auget quam explet. Neque vero videtur pr desperandum esse, quin qui tabulis septimae et nonae addiderit sext quintae partes, idem casus artis huius epigraphicae deus summus, s invidus et condus, sed non raro item propitius et promus, non ulti hoc nobis donum largitus sit.

Prodeat interim textus tabularum novarum ad ectypa accurate a excussus; sequitur infra Mommseni commentarius. Litteraturam, ut in tibus iam notis, aetatis Flaviae esse claram plerumque et perspicuam, q quam non prorsus aequabilem (prioris enim tabulae pagina tertia, alt fortasse secunda ab alio quadratario videntur incisae esse atque reliq paginas singulas versuum 38, 39 et 40 esse, vix est quod diserte mon Ceterum errores quidam, quos commiserunt aut quadratarii aut scribae, verba legis exceperunt, item litterulae paucae, quae perierunt in lacunis, fra notabuntur in commentario critico.

AEM. HÜBNE

c. 66—69

VE PVBLICI · VACATIO · SACRO · SANCTIVS · ESTO · VTI · PON
TIFICI · ROMANO · EST · ERIT · EAQVE MILITARIA · EI · OMNI *sic*
A · MERITA SVNTO DE AVSPICIIS QVAEQVE AD EAS RES · PER
TINEBVNT AVGVRVM IVRIS · DICTIO · IVDICATIO ESTO · EIS
QVE · PONTIFICIB · AVGVRIBVSQVE LVDIS · QVOT PVBLICE MA *sic*
GISTRATVS FACIENT · ET CVM EI PONTIFIC · AVGVRES · SA
CRA PVBLICA · C · G · I · FACIENT · TOGAS PRAETEXTAS HABEN
DI IVS POTESTASQ ESTO EISQVE · PONTIFICIB · AVGVRIB ·
Q · LVDOS GLADIATORESQ · INTER DECVRIONES SPECTA
RE · IVS · POTESTASQVE ESTO
QVI CVMQVE PONTIF · QVIQVE AVGVRES · C · G · I · POST H L DA
LXVII TAM IN CONLEGIVM PONTIFIC AVGVRVMQ · IN DEMOR
TVI · DAMNATIVE · LOCO · H · L · LECTVS · COOPTATVSVE · ERIT
IS PONTIF · AVGVRQ · IN · C · IVL · IN CONLEGIVM · PONTIFEX
AVGVRQ · ESTO ITA · VTI · QVI · OPTVMA · LEGE · IN QVAQVE
COLON · PONTIF · AVGVRESQ · SVNT · ERVNT NEVE QVIS
QVEM · IN CONLEGIVM PONTIFICVM · KAPITO SVBLE
GITO COOPTATO NISI · TVNC · CVM MINVS · TRIBVS PON
TIFICIB EX IIS QVI · C · G · SVNT · ERVNT NEVE QVIS QVEM
IN · CONLEGIVM AVGVRVM SVBLEGITO COOPTATO NI
SI TVM CVM MINVS TRIBVS AVGVRIBVS EX · EIS QVI
COLON · G · I · SVNT ERVNT
IIVIRI · PRAEFVE · COMITIA · PONTIFIC · AVGVRVMQ · QVOS · H · L
sic LXVII HABERE · OPORTEBIT · ITA HABETO PRODICITO ITA VTI
IIVIR CREARE FACERE SVFFICERE H · L · O
IIVIRI · QVI · POST · COLON · DEDVCTAM · PRIMI · ERVNT EI IN SV
LXIX O · MAG · ET · QVICVMQ IIVIR IN · COLON · IVL · ERVNT · II · IN
DIEBVS LX · PROXVMIS · QVIBVS · EVM · MAG · GERERE · COE
PERINT · AD DECVRIONES REFERVNTO · CVM · NON · MINVS
XX · ADERVNT VTI REDEMPTORI · REDEMPTORIBVSQVE
QVI · EA REDEMPTA · HABEBVNT QVAE · AD SACRA RESQ
DIVINAS OPVS ERVNT · PECVNIA EX LEGE · LOCATIONIS
ADTRIBVATVR SOLVATVRQVE · NEVE QVISQVAM · REM ALI
AM AT · DECVRIONES · REFERVNTO · NEVE · QVOT · DECVRI
ONVM DECRET FACIVNTO · ANTEQVAM · EIS REDEMP
TORIBVS · PECVNIA · EX LEGE LOCATIONIS · ATTRIBVATVR
SOLVATVRVE D D DVM NE · MINVS X/X · ATSINT · CVM
E · ·R · CONSVLATVR QVOT · ITA · DECREVERINT EI · IIVIR *sic*

21 ⊢SS *videtur in aere pro* EIS
37 XXX *aes, sed deleta est postea* X *media*
38 DECRIVERINT *aes*

c. 79—82

ERIT AD · EOS · RIVOS · FONTES · LACVS · AQVASQVE · STA
GNA · PALVDES · ITVS · ACTVS · AQVAE · HAVSTVS · IIS · ITEM
ESTO QVI · EVM AGRVM HABEBVNT POSSIDEBVNT · VTI
IIS FVIT QVI · EVM AGRVM HABVERVNT · POSSEDERVNT
ITEMQVE IIS QVI EVM · AGRVM HABENT · POSSIDENT · HA
BEBVNT · POSSIDEBVNT · ITINERIS AQVARVM LEX IVS
QVE · ESTO
QVOT · CVIQVE · NEGOTII · PVBLICE IN COLON DE DECVR · SEN
LXXX TENTIA DATVM ERIT · IS CVI · NEGOTIVM · ERIT · E
IVS REI · RATIONEM DECVRIONIB · REDDITO · REFERTO
QVE IN DIEB CL PROXVMIS IT NEGOTIVM CONFECERIT *sic*
QVIBVSVE IT · NEGOTIVM GERERE DESIERIT · QVOT EIVS
FIERI · POTERIT · S · D · M
QVI CVMQVE · IIVIR AEDVE COLON IVL · ERVNT · II · SCRIBIS
LXXXI· SVIS · QVI · PECVNIAM · PVBLICAM COLONORVMQVE
RATIONES · SCRIPTVRVS ERIT · ANTEQVAM TABVLAS
PVBLICAS · SCRIBET · TRACTETVE · IN CONTIONE · PALAM
LVCI · NVNDINIS · IN FORVM · IVS IVRANDVM · ADIGI
TO PER IOVEM · DEOSQVE PENATES SESE PECVNIAM PV
BLICAM EIVS · COLON CONCVSTODITVRVM RATIONES
QVE VERAS HABITVRVM · ESSE V · Q · R · F · E · V · S · D · M · NE
QVE · SE FRAVDEM PER LITTERAS FACTVRVM · ESSE · S · C *sic*
D · M VTI · QVISQVE SCRIBA ITA · IVRAVERIT · IN TABVLAS
PVBLICAS REFERATVR FACITO QVI · ITA NON IVRAVE
RIT · IS TABVLAS PVBLICAS · NE SCRIBITO NEVE AES
APPARITORIVM MERCEDEMQVE · OB · E · R · KAPITO
QVI IVS · IVRANDVM NON · ADEGERIT · EI · HS LↃↃ MVL
TAE ESTO EIVSQ · PECVNIAE CVI VOLET PETITIO PER *sic*
SECVTIOQ EX H · L · ESTO
QVI AGRI QVAEQVE SILVAE · QVAEQ AEDIFICIA C · C · G · I
LXXXII QVIBVS · PVBLICE VTANTVR · DATA ADTRIBVTA · E
RVNT · NEQVIS · EOS AGROS NEVE · EAS · SILVAS · VEN
DITO NEVE LOCATO LONGIVS QVAM IN QVINQVEN
NIVM · NEVE AD · DECVRIONES · REFERTO · NEVE DECV
RIONVM · CONSVLTVM · FACITO · QVO · EI · AGRI · EAEVE
SILVAE VENEANT ALITERVE · LOCENTVR NEVE SI · VE
NIERINT · IT · CIRCO MINVS C G · IVL · SVNTO QVIQVE IIS
REBVS FRVCLVS · ERIT · QVOT · SE · EMISSE DICAT · IS IN *sic*
IVGA · SING · INQVE · ANNOS · SING · HS · C C C G IVL · D · D

LEGIS COLONIAE GENETIVAE

C. LXI — LXXXII.

Tab. IV

[LXI] . . . . *Cui quis ita ma*]|- 9, 1
num inicere iussus erit, iudicati iure man|us iniectio esto itque 2
ei s(ine) f(raude) s(ua) facere liceto. Vin|dex arbitratu IIviri 3
quique i(ure) d(icundo) p(raerit) locuples | esto. Ni vindicem 4
dabit iudicatumque faci|et, secum ducito. Iure civili vinctum 5
habeto. | Si quis in eo vim faciet, ast eius vincitur, du|pli 6. 7
damnas esto colonisq(ue) eius colon(iae sestertium | XX milia) 8
d(are) d(amnas) esto, eiusque pecuniae cui vo|let petitio, IIvir(o) 9
quique i(ure) d(icundo) p(raerit) exactio iudicati|oque esto. 10

IIviri quicumque erunt, ii[s] IIviri[s] in eos singulos | lictores bi- 11. 12
LXII nos, accensos sing(ulos), scribas bi|nos, viatores binos, librarium, 13
praeconem, | haruspicem, tibicinem habere ius potestas|que esto. 14. 15
Quique in ea colonia aedil(es) erunt, | iis aedil(ibus) in eos 16
aedil(es) sing(ulos) scribas sing(ulos), publi|cos cum cincto limo 17
IIII, praeconem, haruspi|cem, tibicinem habere ius potestasq(ue) 18
esto. Ex eo | numero, qui eius coloniae coloni erunt, habe|to. 19. 20
Iisque IIvir(is) aedilibusque, dum eum mag(istratum) ha|bebunt, 21
togas praetextas, funalia, cereos ha|bere ius potestasq(ue) esto. 22
Quos quisque eo|rum ita scribas lictores accensos viatorem | 23. 24
tibicinem haruspicem praeconem habebit, iis | omnibus eo anno, 25
quo anno quisque eorum | apparebit, militiae vacatio esto, neve 26
quis e|um eo anno, quo mag(istratibus) apparebit, invitum | mi- 27. 28
litem facito neve fieri iubeto neve eum | cogito neve ius iuran- 29
dum adigito neve a|digi iubeto neve sacramento rogato neve | 30. 31
rogari iubeto, nisi tumultus Italici Gallici|ve causa. Eisque 32
merces in eos singul(os), qui IIvi|ris apparebunt, tanta esto: 33
in scribas sing(ulos) | HS ꟾↃCC 34
in accensos sing(ulos) HS DCC

9, 3 *immo* QVIVE || 4 *immo* IVDICATVMVE || 9 *immo* QVIVE || 11 IK II VIRI *aes.*

Tab. IV

in lictores | sing(ulos) HS DC 9, 35
in viatores sing(ulos) HS CCCC
in libra|rios sing(ulos) HS CCC 36
in haruspices sing(ulos) HS D
prae|coni HS CCC 37
qui aedilib(us) appareb(unt):
in scribas | sing(ulos) HS DCCC 38
in haruspices sing(ulos) HS C
in ti||bicines sing(ulos) HS CCC 10, 1
in praecones sing(ulos) HS CCC
| Iis s(ine) f(raude) s(ua) kapere liceto. 2

LXIII IIviri, qui primi ad pr. k. Ianuar. mag(istratum) habebunt, appa- 3
ri|tores totidem habento, [quot] sing(ulis) apparitores ex h(ac) 4
l(ege) ha|bere lice[t]. Iisque apparitorib(us) merces tanta esto, | 5. 6
quantam esse oporteret, si partem IIII anni a[ppar]|uissent, ut 7
pro portione, quam diu apparuiss[e]nt, mer|cedem pro eo kape- 8
rent, itque iis s(ine) f(raude) s(ua) c(apere) l(iceto).

LXIIII IIvir(i) quicumque post colon(iam) deductam erunt, ii in die|bus 9. 10
X proxumis, quibus eum mag(istratum) gerere coeperint, at
| decuriones referunto, cum non minus duae partes | aderint, quos 11. 12
et quot dies festos esse et quae sacra | fieri publice placeat et 13
quos ea sacra facere place|at. Quot ex eis rebus decurionum 14
maior pars, qui | tum aderunt, decreverint statuerint, it ius ra- 15
tum|que esto, eaque sacra eique dies festi in ea colon(ia) | sunto. 16. 17

LXV Quae pecunia poenae nomine ob vectigalia, quae | colon(iae) G(e- 18. 19
netivae) Iul(iae) erunt, in publicum redacta erit, eam | pecuniam 20
nequis erogare neve cui dare n[e]ve attri|buere potestatem ha- 21
beto nisi at ea sacra, quae in | colon(ia) aliove quo loco co- 22
lonorum nomine fia[n]t, | neve quis aliter eam pecuniam s(ine) 23
f(raude) s(ua) kapito, n[e]ve quis | de ea pecunia ad decuriones 24
referundi neve quis | de ea pecunia sententiam dicendi ius po- 25
testat(em)|que habeto. Eamque pecuniam ad ea sacra, quae | in 26. 27
ea colon(ia) aliove quo loco colonor[um] nomine | fient, IIviri 28
s(ine) f(raude) s(ua) dato attribuito itque ei facere | ius potes- 29
tasq(ue) esto. Eique cui ea pecunia dabi|tur s(ine) f(raude) 30
s(ua) kapere liceto.

LXVI Quos pontifices quosque augures G. Caesar, quive | iussu eius co- 31. 32
lon(iam) deduxerit, fecerit ex colon(ia) Ge|net(iva), ei pontifices 33
ei[q]ue augures c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) sunto, eiq(ue) | 34
ponti[fi]ces auguresque in pontificum augu|rum conlegio in ea 35

9, 38 *pro* HS · C *malim* HS D || **10**, 2 IIs] *malim* ITQVE · IIS || 4 QVOT *addidi* || 5 LICETO *aes* || 6. 7 ARRIP|VISSENT *aes* || 7 APPARVISSINT *aes* || 20 NIVE *aes* || 22 FIAT *aes* || 23 NIVE *aes* || 27 COLONORINOMINE *aes* || 33 EIOVE *aes*

Tab. IV
colon(ia) sunto, ita uti qui | optima lege optumo iure in qua- 10, 36
que colon(ia) | pontif(ices) augures sunt erunt. Iisque pontifi- 37
cibus | auguri[b]usque, qui in quoque eorum collegio | erunt, 38. 39
liberisque eorum militiae munerisq||ue publici vacatio sacro sanc- 11, 1
tius esto, uti pon|tifici Romano est erit, [a]e[r]aque militaria ei 2
omni|a merita sunto. De auspiciis quaeque ad eas res per|tine- 3. 4
bunt augurum iuris dictio iudicatio esto. Eis|que pontificib(us) 5
auguribusque ludis, quot publice ma|gistratus facient, et cum ei 6
pontific(es) augures sa|cra publica c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) 7
facient, togas praetextas haben|di ius potestasq(ue) esto, eisque 8
pontificib(us) augurib(us)|q(ue) ludos gladiatoresq(ue) inter de- 9
curiones specta|re ius potestasque esto. 10

Quicumque pontif(ices) quique augures c(oloniae) G(enetivae) I(u- 11
LXVII liae) post h(anc) l(egem) da|tam in conlegium pontific(um) au- 12
gurumq(ue) in demor|tui damnative loco h(ac) l(ege) lectus 13
cooptatusve erit, | is pontif(ex) augurq(ue) in c(olonia) Iul(ia) 14
in conlegium pontifex | augurq(ue) esto, ita uti qui optuma lege 15
in quaque | colon(ia) pontif(ices) auguresq(ue) sunt erunt. Neve 16
quis | quem in conlegium pontificum kapito suble|gito cooptato 17. 18
nisi tunc cum minus tribus pon|tificib(us) ex iis, qui c(oloniae) 19
G(enetivae) sunt, erunt. Neve quis quem | in conlegium augurum 20
sublegito cooptato ni|si tum cum minus tribus auguribus ex eis, 21
qui | colon(iae) G(enetivae) I(uliae) sunt, erunt. 22

IIviri praef(ectus)ve comitia pontific(um) augurumq(ue), quos 23
LXVII[I] h(ac) l(ege) | [fac]ere oportebit, ita habeto prodicito, ita uti 24
| IIvir(um) creare facere sufficere h(ac) l(ege) o(portebit). 25

IIviri qui post colon(iam) deductam primi erunt, ei in su|o ma- 26. 27
LXIX g(istratu) et quicumq(ue) IIvir(i) in colon(ia) Iul(ia) erunt, ii
in | diebus LX proxumis, quibus eum mag(istratum) gerere 28
coe|perint, ad decuriones referunto, cum non minus | XX ade- 29. 30
runt, uti redemptori redemptoribusque, | qui ea redempta ha- 31
bebunt quae ad sacra resq(ue) | divinas opus erunt, pecunia ex 32
lege locationis | adtribuatur solvaturq(ue). Neve quisquam rem 33
ali|am at decuriones referunto neve quot decuri|onum decret(um) 34. 35
faciunto antequam eis redemp|toribus pecunia ex lege locationis 36
attribuatur | solvaturve d(ecurionum) d(ecreto), dum ne minus 37
XX atsint, cum | e(a) r(es) consulatur. Quot ita decreverint, 38
ei IIvir(i) || [r]edemptori redemptoribus attribuendum | [s]olven- V 12, 1. 2
dumque curato, dum ne ex ea pecunia | [s]olvant adtribuant, 3
quam pecuniam ex h(ac) l(ege) | [ad e]a sacra, quae in colo- 4
n(ia) aliove quo loco pu|blice fiant, dari adtribui oportebit. 5

10, 38 AVGVRIEVSQVE *aes* || **11**, 1 SANCTIVS] *immo* SANCTA || 2 EAQVE *aes* || 24 LXVII *aes* || FACERE] HABERE *aes* || ITA *ante* HABETO *del* || 27 II *del* || 30 QVE *delendum* (cf. 12, 1)

Tab. V

[II]viri quicu[m]que erunt ei praeter eos, qui primi | post h(anc) 12, 6. 7
LXX l(egem) [fa]cti erunt, ei in suo mag(istratu) munus lu|dosve 8
scaenicos Iovi Iunoni Minervae deis | deabusq(ue) quadriduom 9
m(aiore) p(arte) diei, quot eius fie|ri [poter]it, arbitratu decurio- 10
num faciun|to inque eis ludis eoque munere unusquis|que eorum 11. 12
de sua pecunia ne minus (sestertium bina milia) | consumito 13
et ex pecunia publica in sing(ulos) | IIvir(os) d(um) t(axat) 14
(sestertium bina milia) sumere consumere liceto, it|que eis s(ine) 15
f(raude) s(ua) facere liceto, dum ne quis ex ea | pecun(ia) sumat 16
neve adtributionem faciat, | quam pecuniam h(ac) l(ege) ad ea 17
sacra, quae in co|lon(ia) aliove quo loco publicae fient, dari 18
| adtribui oportebit. 19

Aediles quicumq(ue) erunt in suo mag(istratu) munus lu|dos scae- 20. 21
LXXI nicos Iovi Iunoni Minervae tri|duom maiore parte diei, quot 22
eius fieri pote|rit, et unum diem in circo aut in foro Veneri | 23. 24
faciunto, inque eis ludis eoque munere unus|quisque eorum de 25
sua pecunia ne minus (sestertium bina milia) | consumito deve 26
publico in sing(ulos) aedil(es) (sestertium singula milia) | sumere 27
liceto, eamq(ue) pecuniam IIvir praef(ectusve) | dandam adtri- 28
buendam curanto itque iis | s(ine) f(raude) s(ua) c(apere) liceto. 29

Quotcumque pecuniae stipis nomine in aedis | sacras datum inla- 30. 31
LXXII tum erit, quot eius pecuni|ae eis sacr[i]s superfuerit, quae sacra, 32
uti h(ac) l(ege) d(ata) | oportebit, ei deo deaeve, cuius ea aedes 33
erit, fac|ta [fuerint], ne quis facito neve curato neve interce|dito, 34. 35
quo minus in ea aede consumatur, ad | quam aedem ea pecunia 36
stipis nomine da|ta conlata erit, neve quis eam pecuniam alio | 37. 38
consumito neve quis facito, quo magis in || alia re consumatur. 13, 1

Ne quis intra fines oppidi colon(iae)ve, qua aratro | circumductum 2. 3
LXXIII erit, hominem mortuom | inferto neve ibi humato neve urito neve 4
homi|nis mortui monimentum aedificato. Si quis | adversus ea 5. 6
fecerit, is c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) Iul(iae) (sestertium
V milia) d(are) d(amnas) esto | eiusque pecuniae cui volet pe- 7
titio persecu|tio exactioq(ue) esto. Itque quot inaedificatum | 8. 9
erit IIvir aedil(is)ve dimoliendum curanto. Si | adversus ea 10
mortuus inlatus positusve erit, | expianto uti oportebit. 11

Ne quis ustrinam novam, ubi homo mortuus | combustus non erit, 12. 13
LXXIV pro[p]ius oppidum pas|sus D facito. Qui adversus ea fecerit, 14
(sestertium V milia) c(olonis) | c(oloniae) G(enetivae) Iul(iae) 15
d(are) d(amnas) esto, eiusque pecuniae cui volet peti|tio perse- 16
cutioq(ue) ex h(ac) l(ege) esto.

12, 7 EI *del.* || 10 POTERIT] OPORTEBIT *aes* (cf. v. 22) || 32 SACRIIS *aes* || 34 FVERINT] IT *aes* || **13,** 13 PROPRIVS *aes*

Tab. V

Ne quis in oppido colon(ia) Iul(ia) aedificium detegito | neve 13, 17. 18
LXXV demolito neve disturbato, nisi si praedes | IIvir(um) arbitratu 19
dederit se [re]aedificaturum, aut | nisi decuriones decreverint, 20
dum ne minus L ad|sint, cum e(a) r(es) consulatur. Si quis 21
adversus ea fece[rit], | q(uanti) e(a) r(es) e(rit), t(antam) p(ecu- 22
niam) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) Iul(iae) d(are) d(amnas)
e(sto), eiusq(ue) pecuniae qui volet pe|titio persecutioq(ue) ex 23
h(ac) l(ege) esto.

Figlinas teglarias maior[e]s tegularum CCC tegu|lariumq(ue) in 24. 25
LXXVI oppido colon(ia) Iul(ia) ne quis habeto. Qui | habuerit, i[t] 26
aedificium isque locus publicus | colon(iae) Iul(iae) esto, eiusq(ue) 27
aedificii quicumque in c(olonia) | G(enetiva) Iul(ia) i(ure) d(i- 28
cundo) p(raerit), s(ine) d(olo) m(alo) eam pecuniam in publicum
redigito.

Si quis vias fossas cloacas IIvir aedil(is)ve publice | facere inmit- 29. 30
LXXVII tere commutare aedificare mu|nire intra eos fines, qui colon(iae) 31
Iul(iae) erunt, volet, | quot eius sine iniuria privatorum fiet, it 32
is face|re liceto. 33

Quae viae publicae itinerave publica sunt fuerunt | intra eos fines, 34. 35
LXXIIX qui colon(iae) dati erunt, quicumq(ue) | limites quaeque viae 36
quaeque itinera per eos a|gros sunt erunt fueruntve, eae viae 37
eique limites | eaque itinera publica sunto. 38

Qui fluvi rivi fontes lacus aquae stagna paludes | sunt in agro, 39. 40
LXXIX qui colon(is) h[u]iusc(e?) colon(iae) divisus || erit, ad eos rivos 14, 1
fontes lacus aquasque sta|gna paludes itus actus aquae haustus 2
iis item | esto, qui eum agrum habebunt possidebunt, uti | iis 3. 4
fuit, qui eum agrum habuerunt possederunt. | Itemque iis, qui 5
eum agrum habent possident ha|bebunt possidebunt, itineris 6
aquarum lex ius|que esto. 7

Quot cuique negotii publice in colon(ia) de decur(ionum) sen|tentia 8. 9
LXXX datum erit, is cui negotium datum erit e|ius rei rationem decu- 10
rionib(us) reddito referto|que in dieb(us) CL proxumis [quibus] 11
it negotium confecerit | quibusve it negotium gerere desierit, 12
quot eius | fieri poterit s(ine) d(olo) m(alo). 13

Quicumque IIvir(i) aed(iles)ve colon(iae) Iul(iae) erunt, ii scribis 14
LXXXI | suis, qui pecuniam publicam colonorumque | rationes scriptu- 15. 16
rus erit, antequam tabulas | publicas scribet tractetve, in con- 17

13, 19 RERAEDIFICATVRVM *aes*: *magis fuit* reaed- (*vel* redaed-, *quod praefert Huebner*) *quam* peraed- || 22 FECE (*om* RIT) *aes* || 24 MAIORIS *aes* || 26 ITA · AEDIFICIVM *aes* || 27 *post* AEDIFICII *quaedam videntur excidisse*; *vide p.* 112 || 35—37 *fortasse scribendum* QVIQVE LIMITES PER EOS AGROS SVNT ERVNT (*deletis vocabulis* CVM *et* QVAEQVE VIAE QVAEQVE ITINERA *et* FVERVNTVE): *cf. p.* 106 || 40 H/IVS · C · COLON *aes; vix licebit solvere* qui colon(iae) huius c(olonis) colon(iae) || **14**, 1 QVE *del* || 11 QVIBVS *om. aes*

Tab. V
tione palam | luci nundinis in forum ius iurandum adigi|to per 14, 18. 19
Iovem deosque Penates ‘sese pecuniam pu|blicam eius colon(iae) 20
‘concustoditurum rationes|que veras habiturum esse, u(ti) q(uod) 21
‘r(ecte) f(actum) e(sse) v(olet) s(ine) d(olo) m(alo), ne|que se 22
‘fraudem per litteras facturum esse sc(ientem) d(olo) m(alo)’. 23
Uti quisque scriba ita iuraverit, in tabulas | publicas referatur 24
facito. Qui ita non iurave|rit, is tabulas publicas ne scribito 25
neve aes | apparitorium mercedemque ob e(am) r(em) kapito. | 26. 27
Qui ius iurandum non adegerit, ẹi (sestertium V milium) mul|t[a] 28
esto, eiusq(ue) pecuniae cui volet petitio per|secutio(que) ex 29
h(ac) l(ege) esto.

Qui agri quaeque silvae quaeq(ue) aedificia c(olonis) c(oloniae) 30
LXXXII G(enetivae) I(uliae), | quibus publice utantur, data adtributa 31
e|runt, ne quis eos agros neve eas silvas ven|dito neve locato 32. 33
longius quam in quinquen|nium, neve ad decuriones referto, neve 34
decu|rionum consultum facito, quo ei agri eaeve | silvae veneant 35. 36
aliterve locentur. Neve, si ve|nierint, itcirco minus c(oloniae) 37
G(enetivae) Iul(iae) sunto. Quique iis | rebus fruc[t]us erit, 38
quot se emisse dicat, is in | iuga sing(ula) inque annos sing(u- 39
los sestertios) C c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) Iul(iae) d(are)
d(amnas) || [*esto, eiusque pecuniae cui volet petitio persecutioque
ex hac lege esto.*

14, 28 MVLTAE *aes* || 38 FRVCLVS *aes.*

COMMENTARIVM.

Commentarium ita institui, ut quae ex his tabulis ex ordine inventionis quarta quintaque accedunt, adiungam quodammodo ad interpretationem quam in huius eph. vol. II p. 119—148 dedi tabularum trium antea prolatarum, ut quatenus fieri potest, eundem ordinem eandemque rationem hic quoque sequar.

Quod ibi monui p. 119. 120 quaedam reperiri in lege, quae scribi non potuerint nisi Caesare vivo, id in tabulas quae accedunt etiam magis cadit; ita legitur c. 66 in.: *quos pontifices quosque augures G. Caesar quive iussu eius coloniam deduxerit fecerit.* Erunt fortasse qui propterea contendent legem scriptam esse oportere ante idus Martias a. 710, legemque Antoniam memoratam 5, 12 latam esse non post obitum dictatoris, sed iussu eius a collega consule. Neque nego id ita fieri potuisse; magis tamen crediderim, cum praesertim per universam legem colonia dicatur modo deducenda, modo deducta, cerni hic perturbatis illis temporibus propriam confusionem actorum dictatoris defuncti consulisque superstitis. Lex quo tempore lata sit

Interpolatio quatenus in has tabulas grassata sit, inde intellegetur, quod formula, de qua dixi p. 121, cum plerumque in his ita reperiatur, ut proferri solet in prima et secunda tabula: *eiusque pecuniae cui volet petitio persecutioque esto* (13, 15. 22. 28), uno loco (13, 22) adeo remansit pristinum *qui volet* praeterea in universa lege male mutatum in *cui.* Quod solet addi in tabula tertia *recuperatorio iudicio apud IIvirum praefectumve,* in his nusquam legitur; uno tamen loco 9, 8 quod scribitur: *eiusque pecuniae cui volet petitio, IIviro quique iure dicundo praeerit exactio iudicatioque esto,* re eodem redit. Altero autem (13, 7) quod ei qui volet datur *petitio persecutio exactioque,* plane perturbatum est; nam exactio in iudicio populari ad magistratum pertinet. Omnino igitur hae quoque tabulae quamquam non subierunt interpolationem talem, qualem tertia perpessa est, et ipsae pariter fere atque prima secundaque passim corruptae sunt et in minoribus etiam interpolatae. Interpolationes

De orthographicis non colligam quae iam accedunt exempla ad ea quae composui p. 122. 123. Addi potest reperiri *quadriduom* 12, 9, quod solum probandum esse viri periti non ignorant; item *conlegium* quinquies scribi 10, 35. 11, 12. 14. 17. 20, semel *collegium* 10, 38, quarum formarum in hac ephemeride alio loco (vol. I p. 79) demonstravi illam Caesaris aetate obtinuisse, hanc sub imperatoribus, quo demum tempore lex in aere incisa est. Soloecismos nullos offendi praeter alterum *aderint* 10, 12 et *publicae* 12, 18 pro *publice*; accedunt verborum divisiones insolitae *man|us* 9, 1/2, *q|ue* 10, 39/11, 1, *arrip|uissent* 10, 6/7. Orthographica

Litterae singulares et ipsae aut aliunde satis notae sunt aut certe interpretationis facillimae, ut *c(apere) l(iceto)* 10, 8 (cf. 10, 2). Litterae singulares

Locutiones quae data opera illustrandae essent, nullas repperi. Nam quod scribitur modo *scribis qui erit* 14, 14, *IIviri dato* 10, 28, modo *quisquam referunto* 11, 33, *IIvir curanto* 12, 27. 13, 4, accedit ad exempla similia multa notaque. Cum dubium reliquerint tabulae antea notae enuntiatum 1, 1 *in ea col(onia) oppido* utrum stare possit an substituendum sit *in eius coloniae oppido* (v. p. 134), hae nostrae coniecturam refellunt, cum legatur 13, 1 *intra finis oppidi colon(iae)ve, qua aratro circumductum sit.* Unde consequitur item 13, 17. 25 legendum esse *in oppido colon(ia) Iul(ia)*, non *colon(iae) Iul(iae)*.

Conspectus capitum

Capita cum antea recuperaverimus XCI—CVI. CXXIII—CXXXIV (v. p. 124. 125), iam prodeunt LXI—LXXXII, ut novae tabulae, quae nobis sunt quarta et quinta, ordine potius prima et secunda dicendae essent. Conspectus capitum nunc repertorum qui subicitur denuo confirmat quod antea observavimus, rerum ordinem certum nullum in lege fuisse videri. Paginae adscriptae remittunt ad commentarium quod sequitur.

[LXI]	9, 1—10	De manus iniectione	p. 109
LXII	9, 11—10, 2	De magistratuum apparitoribus et insignibus, item de mercedibus apparitorum	p. 107
LXIII	10, 3—8	De magistratuum anni primi apparitoribus eorumque mercedibus	p. 108
LXIV	10, 9—17	De sacris coloniae quotannis ordinandis	p. 101
LXV	10, 18—30	Poenae propter vectigalia solutae in sacra ut erogentur	p. 106
LXVI	10, 31—11, 10	De pontificum augurumque iure et insignibus	p. 99
LXVII	11, 11—22	Pontifices auguresque quando creandi sint	p. 99
LXVIII	11, 23—25	et quo modo	p. 99
LXIX	11, 26—12, 5	Redemptoribus eorum, quae ad res divinas pertinent, ut pecunia singulis annis primo quoque die attribuatur	p. 106
LXX	12, 6—19	De ludis duoviralibus	p. 102
LXXI	12, 20—29	De ludis aediliciis	p. 102
LXXII	12, 30—13, 1	De stipe eroganda	p. 106
LXXIII	13, 2—11	Mortui in oppido ne sepeliantur	p. 110
LXXIV	13, 12—16	Ustrina nova in agro suburbano ne fiat	p. 111
LXXV	13, 17—23	Aedificia in oppido ne diruantur	p. 109. 111
LXXVI	13, 24—28	Figlinae teglariae in oppido ne fiant	p. 112
LXXVII	13, 29—33	De viis novis instituendis	p. 112
LXXVIII	13, 34—38	Viae publicae ut sint quae fuerunt	p. 105
LXXIX	13, 39—14, 7	Fluvii publici ut sint qui fuerunt	p. 105
LXXX	14, 8—13	Publici negotii ratio ut decurionibus reddatur	p. 104
LXXXI	14, 14—29	De iure iurando scribarum	p. 108
LXXXII	14, 30—39	Agri coloniae ne veneant longiusve quinquennio locentur	p. 104

Duo sola sacerdotum collegia coloniae data esse ut antea iam perspexeramus, ita nunc diserte confirmatur legis c. 66. Quot loci in utroque collegio secundum antiquissimam populorum Latinorum ordinationem fuerint, adhuc parum constabat; iam vero ex hac lege c. 67 = 11, 16 seq. intellegitur ternos in utroque collegia sacerdotes fuisse, idque etiam cum institutis Romanis recte conciliatur. Nam ad pontifices quod attinet, senos quidem sub regibus fuisse Cicero tradit (de re p. 2, 14, 26; cf. *Staatsrecht* 2, 20 n. 1), quo numero item pontifices creati sunt in coloniam Capuam (Cicero de l. agr. 2, 35, 96); sed eum numerum pariter atque tribunorum militum et virginum Vestalium similesque ex antiquissima duplicatione descendere eo facilius admittemus, quod scribarum pontificum sive pontificum minorum numerus postea quoque ternarius videtur fuisse (Cicero de harusp. resp. 6, 12). Similiter de auguribus statuendum est, quos ante legem Ogulniam sex fuisse satis constat (Cicero l. c.; Liv. 10, 6), cum ad eum numerum quomodo perventum sit auctores varie tradant. Decem augures quod creati sunt in Capuam coloniam (Cicero de l. agr. l. c.), sine dubio ab antiqua consuetudine recedit. Utut de singulis iudicabitur, inventa lege Genetiva vix poterit dubitari ternarium numerum a pristinis tribubus tribus deductum origine etiam in collegiis sacerdotalibus Latinorum peraeque regnavisse. — Ceterum de eo numero ita in lege cavetur, ut qui primum collegia ordinaturi sunt eo non teneantur iisque liceat vel supra eum numerum pontifices auguresque creare; quod si factum erit, pontificum augurumque creatio hac lege ordinata tum demum incipiet, cum collegia infra ternarium numerum esse coeperint.' Pontifices, augures

Primam sacerdotum constitutionem ad eum pertinere qui coloniam deducturus sit et per se intellegitur et de Capua colonia diserte Cicero scribit (de l. agr. 2, 35, 96: *huc isti decemviri cum IƆƆ colonorum deduxerint, centum decuriones, decem augures, sex pontifices constituerint*). Deinde comitiis sacerdotes creantur a duoviris, pariter atque ipsi duoviri (c. 68); ut Modestinus quoque (Dig. 48, 14, 1, 1) lege Iulia ambitus ait teneri, qui in municipio contra eam legem magistratum aut sacerdotium petierit. Indicta comitia si per aliquam causam irrita fiunt, a duoviro prodicuntur. Creatio per minorem partem populi, qualis Romae obtinuit, ad colonias non videtur porrecta esse. Sacerdos per comitia creatus nihilo minus dicitur *lectus cooptatusve* (11, 13; cf. *Staatsrecht* 2, 27 n. 2). — Creatur non solum in mortui locum, sed etiam in locum damnati (11, 13), cum auguratus populi Romani non adimatur viventi (Plinius ep. 4, 8, 1; Plutarch. q. R. 99). Creatio pontificum et augurum

Pontifex augurque coloniae Genetivae ut quis fiat, nihil requiritur nisi ex ea colonia ut sit (10, 31); id quod cum legibus Romanis convenit (*Staatsrecht* 2, 17 n. 4).

Privilegia sacerdotum coloniae ea fere sunt, quae constat obtinuisse apud Romanos. Privilegia sacerdotum

1. Praetextam gerunt sacerdotes non omni tempore locoque, ut magistratus, sed tum demum, cum sacra publica faciunt, item cum magistratus coloniae ludos publice faciunt (11, 5). De illo usu exposui alibi (*Staatsrecht* 1^2, 406); hoc ius ut nunc primum testatum habemus, ita, cum etiam Praetexta

magistratu functos ludis praetextam resumpsisse constet (l. c. p. 421), sacerdotes id ipsum fecisse consentaneum est.

Sedes in theatro

2. Ludis publicis sacerdotes publici sedent inter decuriones. Dixi de privilegio eo *Staatsrecht* 1^2, 390 n. 5.

Vacatio militiae

3. Militiae vacationem in perpetuum sive, ut ait lex, ut aera omnia militaria merita sint, lex sacerdotibus liberisque eorum ita dat, ut datur pontifici Romano. Qualis autem vacatio pontifici Romano fuerit, efficitur ex lege a Plutarcho (Camill. 41) allata *ἀφεῖσθαι τοὺς ἱερεῖς στρατείας χωρὶς ἂν μὴ Γαλατικὸς ᾖ πόλεμος,* nisi quod Gallico, quem pro re auctor solum nominat, addendus est tumultus Italicus, locumque hic habet formula, qua Cicero utitur (Phil. 5, 19, 53) *vacationem militiae ipsis liberisque eorum esse placere extra tumultum Gallicum Italicumque.* Idem alio loco (Phil. 8, 1, 3) *maiores nostri,* inquit, *tumultum Italicum, quod erat domesticus, tumultum Gallicum, quod erat Italiae finitimus, praeterea nullum nominabant,* adsentientibus Festo (v. tumultuariis p. 355) et Servio (ad Aen. 2, 486. 8, 1), denique ipsa hac lege altero loco (9, 31), ubi apparitores magistratuum vetantur sacramento rogari *nisi tumultus Italici Gallicive causa.* Eodem pertinet quod refert Livius in annali a. 547 (27, 38), coloni maritimi Romanorum cum sacrosanctam militiae vacationem se habere dicerent, senatum omnes eos populos Romam evocasse cumque suas quisque vacationes recitassent, *nullius, cum in Italia hostis esset, praeter Antiatem Ostiensemque vacationem observatam esse.* Scilicet coloniae pleraeque in legibus sibi datis vacationis exceptionem eam habebant, de qua diximus, quam senatus recte omnino decrevit cessare, donec Hannibal in Italia esset. Antiates autem et Ostienses probabile est vacationem plenam accepisse. Similiter post aliquot annos eaedem coloniae cum apud senatum disceptassent, num rei militaris vacatio etiam ad rem navalem perveniret, non magis obtinuerunt (Liv. 36, 3). Legis verba *militiae vacatio sacro sanctius esto* corrupta crediderim; certe comparativum quo referam non reperio nec adverbium pro adiectivo rationem habet. Quod et sacerdotum et colonorum coloniarum maritimarum vacatio sacro sancta dicitur, redit ad quaestionem, quaenam sint leges sacratae sive sacro sanctae, quae huius disputationis fines excedit. Nobis satis erit verbo monuisse sacrosanctam legem olim fuisse eam, in quam post iussionem publicam universi cives etiam sacramento adigerentur, posteriore autem tempore ita appellatam esse legem, quae, ut Cicero ait (pro Balbo 14, 33), caput eius qui contra eam fecisset consecraret (v. *Staatsrecht* 2, 276 n. 3). Hanc significationem hoc loco accipiendam esse patet.

Liberis autem quod vacatio aeque procedit, fortasse ad omnes vacationes pertinet; certe Ciceronem supra vidimus, cum veteranis quibusdam militiae vacationem decernit, eam ipsis liberisque eorum decrevisse, omnino tralaticie. Utrum vacent liberi, quamdiu in potestate sint, an in perpetuum, quaeri potest; mihi hoc magis probatur.

Vacatio muneris publici

Vacatio sacerdotibus datur ut militiae, ita omnino muneris publici, ut item iungitur in legis repetundarum v. 79 *eius militiae munerisque poplici.* Sane immunitas si qua publice conceditur, consentaneum est eam

ad munera publica omnia pervenire, quamvis plerumque solius militiae mentio fiat utpote omnium munerum gravissimi. Similiter Cicero quoque (acad. pr. 2, 38, 121) *sacerdotes deorum* ait *vacationem habere* universe (cf. Marquardt enchir. 4, 171); explicatius Dionysius vacare duoviros sacris faciundis *στρατειῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν κατὰ τὴν πόλιν πραγματειῶν* (4, 62), regem sacrorum *ἁπάσης λειτουργίας πολεμικῆς καὶ πολιτικῆς* (5, 1; cf. 4, 74); idem 2, 21 de curionibus scribit: *διὰ παντὸς τοῦ βίου στρατειῶν μὲν ἀπολελυμένους διὰ τὴν ἡλικίαν, τῶν δὲ κατὰ τὴν πόλιν ὀχληρῶν διὰ τὸν νόμον.* Quod si quaeris, quaenam ea munera sint, certe eo pertinent quae posteriore tempore personalia dicuntur, qualis est cura fanorum legis nostrae c. 128 provisa, item munus iudicandi, quamquam aliquando apud Romanos iudicatum est *vacationem augures*, *quo minus iudiciis operam darent*, *non habere* (Cicero Brut. 31, 117). Denique honores eatenus muneribus aequiparabuntur, quatenus qui creatus est eos suscipere cogitur; quod ut in urbe Roma mature fieri desiit (*Staatsrecht* 1^2, 474), ita in municipiis coloniisque probabile est semper obtinuisse. Ea autem munera, quae patrimoniorum magis sunt quam personalia, num hac antiquissima immunitate comprehensa fuerint si quaeris, respondent annales Livii 33, 42: *magnum certamen cum omnibus sacerdotibus eo anno fuit quaestoribus urbanis . . . . quaestores ab auguribus pontificibusque quod stipendium per bellum non contulissent petebant ab sacerdotibus: tribuni appellati omniumque annorum, per quos non dederant, exactum est.* Aperte sacerdotes negaverunt se tributo teneri propter immunitatem lege sibi concessam, sed non obtinuerunt, cum ea contributio rei magis quam personae esse videretur.

Neque apparitores sacerdotum liberi homines neque publici attributi eis in lege nominantur, videnturque adeo nulli tales in colonia fuisse, cum aliter vix praeteriri potuerint.

Indicatio augurum

De auspiciis, lex ait (c. 66 p. 11, 3), *quaeque ad eas res pertinebunt augurum iuris dictio iudicatio esto.* Id ipsum Cicero (de leg. 2, 8, 21) ita enuntiat: (augures) *qui agent rem duelli quique popularem, auspicium praemonento ollique obtemperanto . . . quaeque augur iniusta nefasta vitiosa dira deixerit, inrita infectaque sunto, quique non paruerit capital esto,* cautius et prudentius ille quam lex coloniae; nam proprie augures nec ius dicunt neque iudicant, sed consulti decernunt. Contra enim si qui fecerint, tantum abest, ut augurum sit rem exequi poenamque repetere, ut id semper spectet ad magistratus (cf. *Staatsrecht* 2, 290 n. 2). At magistratibus cum in eiusmodi re iure auguribus obtemperandum esset, non sine causa ipsi augures ita rem videbantur iudicavisse; plane ut in causis privatis proprie praetoris iudicium est summoque iure solus is causarum iudex habetur, sed cum privatum iubet sententiam ferre, vulgo is et iudicasse dicitur et iudex appellatur.

Feriarum ordinatio

Quod legis c. LXIV duoviri decurionesque cuiusvis anni principio statuere iubentur, *quos et quot dies festos esse et quae sacra fieri publice placeat,* a consuetudine rei publicae Romanae recedit, quippe in qua a Numae inde tempore partim ex publicis fastis, partim legibus moribusve sacra stata procederent. Coniunctum autem est caput hoc cum altero CXXVIII

de cura fanorum ex decurionum consulto a magistratibus quotannis ordinanda, de quo diximus p. 128 ibique ostendimus Romae non ut Ursone quotannis singulis templis curatores delectos esse, sed curam eam collegiis maxime in perpetuum permissam.

Cura ludorum

De ludis in colonia faciendis cum antea nacti essemus capita ea quibus agitur de locis spectatorum, scilicet CXXV. CXXVI. CXXVII, quinam ludos edidissent eatenus tantum apparebat, quod a curatoribus fanorum circenses factos esse ex c. CXXVIII (8, 19) intellectum est, item scaenicos ludos a magistratibus coloniae quotannis curatos esse c. CXXVI confirmaverat, cum coloniarum municipiorumque magistratus pariter atque urbanos quotannis ludos facere oportuisse in universum antea quoque constaret (Cod. Theod. 15, 4, 1). Nunc vero c. legis LXX. LXXI edocemur, qui magistratus quos ludos quotannis ediderint. Scilicet ut Romae eo tempore ex patriciis magistratibus praetores et aediles curules ludos edebant, ita in colonia tam duoviris quam aedilibus idem munus iniungitur aequabiliter, scilicet quaternorum dierum utrisque iisdemque impensis de suo faciendis, cum Romae notum sit aediles multo plus in ludos impendisse quam praetores. Quibus diebus ludi faciendi sint cum lege non determinetur, fortasse huc pertinet quod cavetur c. LXIV singulis annis intra X dies postquam magistratus inierint decurionum decreto statuendum esse, qui et quot dies festi eo anno futuri sint. — Novum autem est, ni fallor, quod lege cavetur diem ludorum tum demum numerandum esse, si ludi facti sint maiore parte eius (cf. Friedlaender apud Marquardtium 4, 489. 506).

Ludi duovirales, aedilicii

Ex octo illis diebus quattuor ludorum duoviralium et ex aediliciis tres dantur Iovi Iunoni Minervae deis deabusque; hi igitur ludi imitantur Romanos, quamquam in his tria numina Capitolina sola commemorantur (Cicero Verr. 5, 14, 36) nec quod sciam mentio fit deorum dearumque in huius legis c. LXX adiunctorum. — Quartus dies aedilicius destinatus Veneri (p. 12, 23) imitatur ludos institutos a. 708 devicto Cn. Pompeio, dictos modo Victoriae Caesaris divi Iuli, modo Veneris (v. C. I. L. vol. 1 p. 397). Unde confirmatur coniectura, quam olim mecum communicavit Otto Hirschfeld, ipsam coloniam Genetivam a numine gentis Iuliae tutelari Venere genetrice nomen traxisse.

Impensae ludorum publicae

Ludi sicut in urbe impensis publicis fiunt, ubi magistratibus in ludos Romanos ad bellum usque Punicum quotannis ex aerario praebebantur HS·CC milia nummum (Dionys. 7, 71; Pseudo-Asconius p. 142 Orell.), ita colonia quoque duoviris singulis bina milia, aedilibus singulis singula milia annua expendit, ut in summa publice sena milia quotannis in ludos erogentur. Sed

privatae

cum Romae consuetudine obtinuisset, ut magistratus qui ludos ederent de suo plus minus ad eam summam adderent, lex haec magistratus coloniae singulos non minus bina milia de sua pecunia in ludos impendere iubet, nec dubium est similem legem etiam in reliquis coloniis municipiisque de ludis magistratuum obtinuisse, sacerdotesque, quoscumque pro introitu ludos edere oporteret, simul certam summam in eos ludos impendere iussos esse. Unde iam certius pleniusque quam antea intelleguntur tituli frequentes, qui

pecuniam aiunt a magistratibus sacerdotibusve in aliam quandam rem impensam esse *pro ludis*, verbi causa, ut est in pagi scito a. u. c. 660 (vol. I n. 571), magistros Iovis compagi pecuniam consumpsisse in porticum paganam reficiendam itaque locum in theatro iis attribui *tam quasi si ludos fecissent.* Eiusmodi enim decreta licet non necessario requirant, ut certa pecunia privato sumptu in ludos impendenda lege finita sit, postquam de tali lege certiores facti sumus, recte ad eam referentur. Quid quod ipsa summa honoraria, quam aetate imperatoria in coloniis municipiisque sacerdotes et magistratus et decuriones pro introitu numerare solebant, si non inde repetenda est, certe ad summam legitimam in ludos impendendam quodammodo sese applicuit tamquam augmentum quoddam eius, in alios usus tamen erogandum. De ea summa vide quae composuerunt O. Hirschfeld ann. inst. 1866 p. 63 et Marquardt *röm. Staatsverw.* 1, 499.

Iudicium de ludis

Magistratus num ludos ita fecerit, ut lege iubetur, iudicat senatus; id enim efficitur ex verbis 12, 10 *arbitratu decurionum.*

Genera ludorum

Ludi qui fiunt Iovi Iunoni Minervae dicuntur *munus ludive scaenici* (12, 7. 11. 20. 24), ubi munus significet necesse est non gladiatores tantum modo, sed etiam circenses, cum alibi (11, 9) solito more *ludi gladiatoresque* sibi opponantur. Veneri qui eduntur, fiunt *in circo aut in foro* (12, 23), scilicet in circo, si circenses sunt, in foro, si gladiatores praebentur. Ludos a curatoribus fanorum edendos circenses fuisse efficitur ex legis c. CXXVIII 8, 19 (cf. p. 139). — Ordinem sedendi in ludis determinant capita antea edita, scilicet in universum c. CXXV, ludorum scaenicorum c. CXXVI. CXXVII (cf. p. 130). Ad eos, quibus ex hac lege ius fuerit spectandi inter decuriones (c. CXXVII p. 7, 6, comm. p. 131), iam accedere pontifices auguresque modo (p. 100) vidimus.

Decurionum decreta quomodo fiant

Decreta decurionum, quae in hac parte legis commemorantur, ut fiant, in uno (c. 64) requiritur, ut adsint eorum partes duae, in altero (c. 75) ut non minus L, in tertio (c. 69), ut non minus XX adsint, qui est numerus omnium eiusmodi in hac lege adhuc inventorum minimus; et convenienter agitur eo loco de re iam quodammodo decisa et propterea exigui momenti. In solo primo decreto quod enuntiatur, sane de omnibus obtinet, ut eorum qui adsunt maior pars si consenserit, decretum recte factum sit.

Decuriones quibus de rebus decernant

Causis, propter quas magistratus hac lege decuriones consulere iubentur, octo antea notis (p. 137 seq.) iam accedunt hae.

9. Fastos dies secundum c. 64 in singulos annos ordinari decurionum consulto supra p. 101 vidimus. Id decretum IIviri, ut par est, facere iubentur in ipso principio anni sui, id est intra dies X postquam inierunt.

10. Ludos utrum magistratus ex lege ediderint necne, iudicant decuriones (v. supra).

Quo ordine ea decreta fiant

11. Pecunia publica redemptoribus ex lege locationis debita singulis annis eis attribuitur decurionum consulto (c. 69), qua de re infra dicemus, ubi de pecunia publica agetur. Ea pecunia quatenus datur propter sacra resque divinas faciendas, duoviri id decretum iubentur facere intra diem LX postquam magistratum inierunt neque ante hunc diem de alia re ulla ad decurio-

nes referre (c. 69); quae ordinatio aut parum caute scripta est aut in numero erratum. Nam cum lex hoc decretum fieri iubeat ante quam decernatur de diebus festis ex c. 64, de his autem decernendum sit intra diem decimum, sane inutile fuit adicere prius decretum faciendum esse intra diem LX. Hoc utut est, ipsa res sine dubio Romae quoque obtinuit. Nam non solum in universum de rebus divinis prius quam humanis ad senatum referebatur (Varro apud Gell. 14, 7), sed erant etiam quaedam sollemnia religionis, de quibus ante omnia novos consules referre aut more aut lege oportebat (Cicero cum pop. grat. egit 5, 11; Liv. 9, 8, 1. 37, 1, 1; Becker enchir. 2, 125. 422). Inter ea iam opinor nemo dubitabit primaria fuisse decreta de pecunia propter res sacras debita in hunc annum attribuenda, scilicet de pecunia debita ex ultro tributis iis, quae a censoribus in primis locabantur, de cibariis anserum Capitolii et de Iove Capitolino miniando (v. *Staatsrecht* 2, 404) et si qua similia alia fuerunt.

12. Aedificium in oppido si qui deicere vult nec restituere, decurionum decreto ad id opus est (c. 75). De ipsa re infra videbimus.

De ratione reddenda decurionibus

13. Cui negotium publice de decurionum sententia datum est, eius rationem decurionibus reddere referre iubetur legis c. 80 in diebus CL postquam id negotium aut perfecerit aut certe gerere desierit. Pervenit id imprimis ad legatos, quos ut notum est legationem referre renuntiareve debuisse (v. *Staatsrecht* 2, 651), ita novum est, quamquam fortasse et ipsum a Romanis institutis traductum, id eos iure facere oportuisse intra dies CL post legationem finitam. Sed comprehunduntur hac lege quicumque aliquod negotium publicum ex decreto decurionum susceperunt, ut sunt magistri fanorum huius legis c. CXXVIII itemque curatores, quales sunt annonae et aquarum similesque alii. Nam curae ab honoribus, quibus opponuntur (Orell. 2532), eo nomine potissimum differunt, quod non mandantur a populo, sed plerumque ab ordine decernuntur, ut invenitur apud Iulianum Dig. 3, 5, 29 [30] *curator ad siliginem emendam decreto ordinis constitutus.* Nisi quod qui eorum pecuniam publicam tractant, iis probabile est rationem reddendam fuisse non ex hoc capite legis, sed ex alio de ratione reddenda ab eo, ad quem publica pecunia negotii cuiusdam gerendi causa pervenerit, quale superest in aere Malacitano (c. LXVII. LXVIII collato comm. p. 451).

Ad reditus publicos pecuniamque publicam quae spectant, haec sunt.

Silvae et pascua coloniae ne veneant

1. Agri silvae aedificia c. LXXXII in publicum usum coloniae ita dantur attribuuntur, ut ea neque vendere ei liceat neque longius quam in quinquennium locare. De his Frontinus (grom. p. 17): *de iure territorii,* inquit, *controversia est de his quae ad ipsam urbem pertinent* (ea postea ait *solum agreste, quod in tutelam rei fuerit adsignatum urbanae*) *sive quid intra pomerium eius urbis erit quod a privatis operibus obtineri non oporteat* (vel, ut postea definit, *urbanum solum quod operibus publicis datum fuerit aut destinatum*), *eum dico locum*, pergit auctor, *quem nec ordo nullo iure a populo poterit amovere.* Similia habet Hyginus de lim. p. 127, 20 seq. Alio autem loco (p. 54, 17 seq.) quod distinguit Frontinus inter *silvas et pascua publica Au-*

gustanorum, quae *videntur hominibus data* quaeque *vendere possint*, et *silvas et pascua data coloniae Augustae,* quae *videntur ad personam coloniae ipsius pertinere* neque *ullo modo abalienari posse a re publica,* id cum lege nostra non convenit accurate, quoniam quae vetat venire, non coloniae, sed colonis dat. Ceterum collatis his Frontinianis apparet legis capite hoc agi non tam de solo urbano, quamquam semel adscribitur aedificium (14, 30), quam de agris et silvis, quae sunt ipsae silvae et pascua Frontini; poena quoque quae additur in fine legis his solis recte convenit. In universum autem cum Romae more magis quam lege obtineret, ut solum publico usui destinatum vendere ne liceret, colonis a populo Romano deductis municipiisque ab eodem constitutis ager ipsa lege ita attribuebatur, ut publicus quidem eorum fieret, sed emptio venditio nullo iure procederet adeoque, si fieret, irrita esset solumque nihilo minus populi eius maneret. — Locari autem ager eiusmodi ut potest et solet, ita hac lege locari vetatur longius quam in quinquennium; id quod recedit ab eo iure quod in coloniis municipiisque certe imperatoria aetate obtinuit. Nam in perpetuum locari solere Gaius (3, 145) ait *praedia municipum quae ea lege locantur, ut quam diu id vectigal praestetur, neque ipsi conductori neque heredi eius praedium auferatur* (cf. Paulus Dig. 6, 3, 1. 39, 4, 11, 1), et passim invenitur ager eiusmodi qui vectigalis dici solet. At ut agri publici populi Romani locatio eiusmodi nulla fuit (*Staatsrecht* 2, 433), ita Caesar quoque huic certe coloniae agri ita locandi ius lege ademit, neque omnino eum locari voluit nisi in quinquennium, ut duo viri quicumque fierent quinquennales censoria potestate omnia municipum praedia ex integro locarent. Itaque locatio exempli causa in annos centum, qualis Romae ob certas causas facta esse reperitur (Hyginus de cond. agr. p. 116; *Staatsrecht* 2, 433), et ipsa hac lege ordini interdicitur. Videntur autem agri illi vectigales in perpetuum locati non tam proficisci a silvis et pascuis coloniae in ipsa constitutione adsignatis quam a donationibus agrorum privatorum ita effectis, ut ab iis qui eos rei publicae donavissent mox reciperentur vectigali imposito, quod negotium luculenter enarrat Plinius ep. 7, 18. Sed hanc quaestionem huius tractationis terminis nequaquam concludendam satis erit tetigisse. — Quod si quis contra hanc legem agrum coloniae possederit emptionis longiorisve locationis titulo, in singula iuga singulosque annos poena ei iniungitur centenorum sestertiorum, quae et ipsa tralaticia fuisse potest, quamquam alibi quod sciam non commemoratur.

neve ultra quinquennium locentur

2. De viis fluviisque quae caventur c. LXXVIII. LXXIX, in summa re eo redeunt, ut quales fuerunt ante coloniam deductam, tales deducta ea maneant nec minus quam antea publici sint. Id caveri solitum esse in coloniis deducendis gromatici quoque aiunt; ita Hyginus p. 120, 13: *semper auctores divisionum sanxerunt, uti quaecumque loca sacra, sepulcra, delubra, viae publicae ac vicinales*[1]), *fontes fossaeque publicae vicinalesque essent,* . . . .

Viae et fluvii publici

[1]) *Delubra viae publicae ac vicinales* scripsi pro eo quod traditur *delubra adq. publice aquitenales.* Aquae cum postea nominentur, hic locum non habent; viae autem eo magis hic requiruntur, quod quae sequuntur de limitibus adiectis, omnino flagitant viarum quae ante coloniam deductam fuerunt in praecedentibus commemorationem.

ea omnia[1]) *eiusdem condicionis essent cuius ante fuissent: adiectumque ius, ut et limites, id est decumani et cardines, aperti populo essent;* item Siculus Flaccus p. 157, 11: *auctores divisionis adsignationisque leges quasdam colonis describunt, ut* [et *codex*] *qui agri sacris* [sacris *addidi*] *delubris sepulcrisve, publicisque solis itineris, viae, actus, ambitus ductusque aquarum* [quae pnblicis *delevi*] *utilitatibus servierint ad id usque tempus, quo agri divisiones fierent, in eadem condicione essent qua ante* [inter *cod.*] *fuerunt, nec quicquam utilitatibus publicis derogaverunt.* His accurate respondent legis capita duo, nec limites ibi desiderantur. De re conferendus est Rudorffius institut. grom. p. 398. 400.

Pecuniam publicam attribuunt duoviri in suum quique annum

3. Ius pecuniae publicae dandae attribuendae apud duoviros fuisse inde confirmatur, quod pecuniam publicam in ludos suos consumendam duoviri ipsi sibi sumunt, contra impendenda in ludos aedilicios aedilibus attribuitur a duoviris (c. LXX. LXXI). — Maioris momenti est quod efficitur ex c. LXIX, duoviros pecuniam non attribuisse nisi in suum annum, itaque redemptione facta in annos plures uniuscuiusque anni IIviros summam suo anno praestandam redemptoribus attribuisse. Id ut institutis populi Romani optime convenit, ita ad censores quoque populi Romani recte referetur, modo distinguamus inter pecuniam ipsis attributam, quam exsolverent cum vellent quibusque pensionibus vellent, et pecuniam solvendam ex locatione quidem ab ipsis facta neque tamen de pecunia iis attributa.

Poenae a conductore vectigalis exactae ut in sacra impendantur

4. Pecuniam poenae nomine ob vectigalia coloniae in publicum redactam lex c. LXV iubet non impendi nisi in sacra coloniae; quibus non comprehendi ludos intellegitur ex clausula extrema capp. LXIX. LXX. Quaenam eae poenae sint in ea parte legis quam habemus non inventae, in universum facile apparet; scilicet eae, quae conductori ob pecuniam non iusto tempore solutam vel rem male habitam lege locationis iniunguntur. Ipsa lex nova est, sed causa aperta: scilicet ii, quibus iudicandum erat poenae eae commissaene essent, sive magistratus ii fuerunt sive decuriones sive recuperatores, cum eorum interesset pecuniae publicis usibus destinatae quam maximam copiam aerario esse, ne de sua causa quodammodo iudicare viderentur, hac lege cavebatur, ea pecunia ne in usus publicos erogaretur, sed tantummodo in rem sacram. Quod si non obtinuisset, fieri poterat, ut angustiis aerarii hac via male subveniretur.

Stips ut in sacra erogetur

5. Simile quiddam cavetur c. LXXII de stipe. Scilicet collectis pecuniis certi cuiusdam numinis sacrorum causa (Liv. 25, 12, 14: *ludos praetor in circo maximo cum facturus esset, edixit, ut populus per eos ludos stipem Apollini quantam commodum esset conferret,* ut alios similes locos mittam), id quod praesertim obtiniut in sacris Magnae matris[2]), factisque inde sacris

---

[1]) *ex omni* codex; emendavit Rudorff grom. auct. 2, 398.

[2]) Cicero de leg. 2, 9, 22: *praeter Idaeae matris famulos eosque iustis diebus ne quis stipem cogito* et c. 16, 40: *stipem sustulimus nisi eam quam ad paucos dies propriam Idaeae matris excepimus: implet enim superstitione animos et exhaurit domus* cet.

eis, propter quae collata est, si quid superest, id quod passim usu venisse videtur, iure pecunia ea utpote sacra facta et ita quodammodo populi (cf. Frontinus de contr. agr. p. 56: *lucos sacros, quorum solum indubitate p. R. est; Staatsrecht* 2, 59) in usus publicos erogari poterat. Sed cum cavendum esset, ne ita sub specie sacri quasi quoddam tributum illicitum exigeretur, iubet lex eam e contrario in ea aede consumi, ad quam collata est; plane ut ex lege Furfensi (vol. 1 n. 603) pecunia ex locatione luci sacri donariisque aedis divenditis redacta ita impendenda est, *quo id templum melius honestius seit.* Eodem referemus, quod in titulo Campano vol. 1 n. 569 anni u. c. 655 *locus privatus de stipe Dianae* emptus esse dicitur itemque de stipe quaedam posita inveniuntur Aesculapio (vol. VI n. 7) et Iovi (vol. I n. 1105), denique numinis nescio cuius signum fit *ex stipe, quae ex lacu V[elino e]xsemta erat* (Henzen n. 5129). — Plane igitur de stipe valet quod de sacramento: pecunia est populi, sed hac lege, ut consumatur necesse sit, ut ait Festus p. 347, in rebus divinis.

Magistratus qua die ineant

Magistratus huius coloniae ita creatos esse, ut annus exiret pariter atque Romae pridie K. Ian., ex c. LXIII p. 10, 3 intellegitur.

Insignia magistratuum; praetexta, funalia

Quod cavetur c. LXII de insignibus magistratuum, ut tam duoviri quam aediles et togas praetextas gerant et funalia cereosque habeant, de ea re hoc loco non dicam; illud enim pervulgatum est, hoc satis illustratum in secunda editione commentariorum meorum de iure publico Romano (1, 408); hanc enim partem legis tum iam nactus eram, cum eam curavi.

Apparitorum ordines, mercedes, iura

Eodem capite quae continentur de apparitoribus duovirum aediliumque, eam partem institutorum Romanorum nova claraque luce illustrarunt. Repraesentantur ea tabula hac, quam proposui item in iisdem commentariis 1, 321, hic autem repetam ad aes emendatam:

Apparitores duovirum				*Apparitores aedilium*			
scribae	duo;	sing. sest.	MCC	unus	sest.	DCCC	
accensus	unus;	„ „	DCC				
lictores	duo;	„ „	DC				
haruspex	unus;	„ „	D	unus	„	C	, nisi in numero erratum est.
viatores	duo;	„ „	CCCC				
praeco	unus;	„ „	CCC	unus	„	CCC	
librarius	unus;	„ „	CCC				
tibicen	unus;	„ „	....	unus	„	CCC	

Cf. in universum Marquardt in enchir. 4, 157. Optandum autem est, ut tota haec de stipe sacra thesaurisque templorum quaestio diligenter retractetur. Quod ut fiat, item hortatur inscriptio aetatis Ciceronianae reperta nuper inter Spoletium et Interamniam editaque a Rossio nostro in actis inst. arch. 1876 p. 36. Cernitur in summo lapide foramen destinatum arcae quadratae recipiendae; subscriptum est: *P. Crastinus P. f. Paulus, C. Tittienus Q. f. Macer tesaurum f. c.*

De singulis quae ibi disputavi, non repetam; verbo moneo confirmari sic, quod antea non satis perspiciebatur, scribas quaestorios dictos origine summis magistratibus potissimum apparuisse (l. c. 1, 335 n. 4); viatores hic quoque aedilibus non magis attribui quam lictores (l. c. 1, 345 n. 4); locum dignitatemque ordinum horum omnium optime perspici ex mercedum diversitate; denique praeter notas apparitiones scribarum accensorum lictorum viatorum praeconum hic comparere alias librariorum (l. c. p. 331 n. 1), haruspicum, tibicinum (l. c. p. 351) raro praeterea memoratas quaeque videantur recentioris originis omnes, id quod inde maxime apparet, quod hi apparitores singuli omnes procedunt, cum antiqua consuetudo et magistratus et apparitores duo pluresve ut essent requireret (v. *Staatsrecht* 1^2, 33). — Etiam militiae vacatio apparitorum ex hac demum lege innotuit (l. c. 1, 322 n. 4); fuit autem ea non perpetua, ut pontificum augurumqne, sed anno apparitionis conclusa. Comparari potest, quod bello Hannibalico qui publicum quoddam redempturi erant postularunt et obtinuerunt, ut *militia vacarent, dum in eo publico essent* (Liv. 23, 49, 2). — De mercede apparitorum anni primi quae ordinantur c. LXIII impedita sunt et corrupta; videntur tamen aliquatenus posse expediri, si sumamus apparitori nulli mercedem annuam solutam esse, nisi partem quartam anni sui apparuisset. Ab hac lege primi anni apparitores ita videntur solvi, ut pro portione temporis quo apparuerint mercedem accipiant nec minus parte quarta.

Ius iurandum scribarum

Paullo maioris momenti est iusiurandum scribarum, de quo tractat legis c. LXXXI. Confirmatur inde quod alio loco ostendi (*Staatsrecht* 1, 332), scribas occupatos fuisse potissimum in rationibus tractandis; sed id eos facere debuisse iuratos alibi non memini me legisse. — Forma iuris iurandi aliunde satis nota est maxime ex lege Bantina vol. I n. 197 v. 17: [*eis consistunto pro ae*]*de Castorus palam luci in forum vorsus et eidem ... apud q*(*uaestorem*) *iuranto per Iovem deosque* [*Penateis*] ..... *quaestorque ... eos quei ex h. l. apud sed iurarint facito in taboleis* [*popliceis perscribat*]. Iurant scribae tantummodo per Iovem deosque Penates, ut solebant libera etiamtum re publica (*Stadtrechte von Salpensa* p. 460; *Staatsrecht* 1, 598) non adiecto Caesaris genio, cum imperatoria aetate ad Iovem deosque Penates addantur genius principis qui est et divi principes qui fuerunt. Novum unum accedit, quod iusiurandum adigitur non tantum *in contione palam*, quod item

Nundinae

est in legis Malacitanae c. 59, sed etiam *nundinis*. Unde probabile est Ursone idem fere obtinuisse, quod nuper senatus consultum a. 138 de nundinis saltus Beguensis in Africa (huius eph. 2, 273) et tituli provinciales alii (l. c. p. 280; *Bullett. dell' inst.* 1876 p. 80) aperuerunt, scilicet ut bis per mensem statis diebus nundinae ibi agerentur.

Servi publici

Servi publici quod nulli dantur duoviris, *IIII publici cum cincto limo* adsunt aedilibus (c. LXII p. 9, 16), recte respondet institutis urbis Romae, ubi item publici servi aedilibus praecipue ministrant (*Staatsrecht* 1^2, 313). Nos de hoc quoque loco alibi diximus ibidemque egimus de insigni publicorum cincto limo (l. c. 1^2, 310 n. 1).

De magistratuum iure officiisque praeter ea quae supra iam tetigimns, non multa ex his capitibus nova emergunt. Notandum est c. LXXV demoliendi aedificii contra legem facti ius non tantum aedilibus concedi, qua de re satis constat (v. *Staatsrecht* 2, 477. 482), sed duoviris quoque, scilicet quod summum magistratum, cum res urget, semper oportet minoribus magistratibus opitulari eorumque munia quodammodo in se recipere (l. c. 2, 123). Magistratuum officia Ius demoliendi

Multo maioris momenti sunt, quae de re iudiciaria addiscimus ex c. LXI. Id si integrum ad nos pervenisset, plenius aliquanto de manus iniectione constaret; sed vel sic utilia sunt quae inde intelleguntur. Quae praecesserint necesse est de actione adversus reum aliquem populi nomine instituta factaque condemnatione, desiderantur; incipit lex a verbis iis quae pertinent ad manus iniectionem ob iudicatum, quam enarrat Gaius 4, 21. At manum hic inicit non is qui egit ipse, sed alius ab eo qui egit iussus; quo videtur significari in priore iudicio populi nomine egisse duovirum, quem alibi quoque videmus in eiusmodi causis praetoris petitorisque partibus simul fungi (v. p. 141 seq.), manus autem iniectionem non tam per eum quam apud eum fieri. Res iudiciaria Manus iniectio iudicati

Presso pede hoc loco lex coloniae sequitur legem XII tabularum. Quae in illa leguntur verba: *vindex arbitratu IIviri quive iure dicundo praeerit locuples esto* respondent noto loco earum et sine dubio ipsi capiti de manus iniectione inserendo *adsiduo vindex adsiduus esto. Vindex locuples* ut detur, requirit etiam lex Rubria c. 21 (vol. I n. 205) idemque vocabulum est apud commentatorem XII tabularum Gaium (Dig. 50, 16, 234, 1). Arbitratus duoviri quo pertineat, explicat idem, cum requirit (Dig. 2, 2, 5, 1) fideiussorem sistendi causa locupletem *pro rei qualitate.*

Quae sequuntur in lege coloniae *ni vindicem dabit iudicatumve* (male in aere est *iudicatumque*) *faciet, secum ducito,* plane expressa sunt ex XII tabulis: *ni iudicatum facit aut quis endo eo in iure vim dicit, secum ducito.*

Item cum pergit lex coloniae: *iure civili vinctum habeto,* adlegat quodammodo caput XII tabularum de eadem re: *vincito aut nervo aut compedibus: XV pondo ne minore aut si volet maiore vincito: si volet, suo vivito* et quae sequuntur.

Vinctum deinde tabulae cavent triuis nundinis in comitium producendum esse, deinde venire posse. De vendendi iure cum lex coloniae taceat, inde colligemus Caesaris aetate manus iniectionem iudicati et ducendi ius ita mansisse, ut qui ductus esset, vinctus remaneret quamdiu creditor vellet, vendendi vel occidendi iure sublato. Qua de re etsi aliunde quoque constat (v. e. c. Cicero pro Flacco 21, 49; l. Rubria vol. I n. 205 II, 19. 46), nihilominus testimonio id ut tacito, ita certo et evidenti nunc confirmari iuris prudentes opinor magni facient.

Extrema quae sunt in hoc capite legis Hispanae: *si quis in eo vim faciet, ast eius vincitur, dupli damnas esto* et ipsa proficisci ex antiquissima lege Romana vel sola particula *ast* pro *si* satis ostendit in iure nondum inventa nisi in excerptis ex XII tabulis. Vim autem fecit opinor vin-

dex is, qui iudicatum adseruit in libertatem, si sacramentum eius iniustum iudicatum est; videnturque verba legis Hispanae *qui in eo vim facit* respondere quodammodo verbis, quae tradita habemus ex lege XII tabularum *qui endo eo vim dicit*, ut hic sit vindex qualiscumque, ille vindex iniustus. Nam ne credas qui vim facit e contrario eum esse qui contra ius manum iniecerit quemque ita vindex recte repulerit, obstat primum quod vindici eive quem vindicavit adsertione iusta iudicata dupli actionem in adversarium datam esse nec traditum est nec veri simile, constat autem de dupli actione in vindicem falsum, unde postea enata est actio in duplum iudicati. Obstat deinde quod propter manus iniectionem iustam iniuste elusam recte colonis actio datur, cum per eam reum condemnatum sibi perdiderint; at manus iniectio non iusta tantum abest ut colonis damnum inferat, ut e contrario eo casu ipsi quodammodo videantur ei cui manus iniecta est damnum fecisse. Itaque recte huc referemus locum tabularum a Festo servatum p. 376 (XII, 4 Schoell): *si vindiciam falsam tulit, si velit, is [prae]tor arbitros tris dato: eorum arbitrio [rei et] fructus duplione damnum decidito*, nisi quod his verbis praeterea forma iudicii determinatur. Ab ea forma lex recentior, ut modo diximus, ita recedit, ut praeter duplam antiquam[1]) iniusto adsertori in causa coloniae poenam iniungat sestertium milium XX.

Agri privati condicionem lex capitibus quinque a LXXIII ad LXXVII et continuis inter se et re coniunctis ita determinat, ut quid in agro suo domino facere non liceat accurate et plene caveat.

Sepulcrum in oppido ne fiat

I. Quod est in lege XII tabularum *hominem mortuum in urbe ne sepelito neve urito*, ut alibi passim redit, ita huius quoque legis c. LXXIII continetur. Cautum id esse non tam propter ignis periculum, ut ait Cicero de leg. 2, 23, 58, quam, ut habent iuris auctores, *ne funestentur sacra civitatis* (Paulus s. r. 1, 21, 2), *ne sanctum municipiorum ius polluatur* (Cod. Iust. 3, 44, 12), eo comprobatur, quod id ius obtinet etiam hac lege teste non intra continentia aedificia, sed intra pomerium solummodo. — Cum sanctione legis, scilicet ut magistratus coloniae publice demoliantur quod contra hanc legem factum erit, item qui contra fecerit poenam HS V milium sustineat, componi potest quod rescripsit Hadrianus (Dig. 47, 12, 3, 5), si quis in civitate sepulcrum fecerit, locum publicandum esse poenamque XL aureorum fisco inferendam. Sepulcrum propter legem violatum nihilo minus expiandum fuisse consentaneum est; neque aliam ob causam Paulus postquam de hac lege exposuit sic pergit (s. r. 1, 21, 4): *qui corpus perpetuae sepulturae traditum .... nudaverit et solis radiis ostenderit piaculum committit.*

---

[1]) Quod amicus quidam mihi significavit fieri posse ut caput hoc pertinuerit ad iudicatum aliquod poenae causa factum sestertium XX milium itaque de una poena solummodo agi, mihi non probatur: duplicem enim condemnationem requirit quod in lege bis repetitur *damnas esto*.

II. Ustrinam novam qui facere volet, id ei non licere propius oppidum passus D cavetur capite quod sequitur LXXIV, scilicet propter ignis periculum; ut ob eandem causam monumentis quoque passim inscribebatur ustrinum iis applicari non licere (Orell. 4384; Grut. 1044, 8). Vetusta consuetudine e contrario tam sepulcra quam ustrinae ante ipsas portas instituebantur; id quod Romae certe ita obtinuit et Ursone quoque similiter obtinuisse lex ostendit eo ipso, quod solas ustrinas novas prohibet. Ustrina nova ad urbem ne fiat

III. Legis huius c. LXXV edocemur Caesaris aetate ius obtinuisse, ut aedificium urbanum domino demoliri ne liceret nisi aut decuriones id ei permisissent aut praedes populo dedisset aedes deiectas se reaedificaturum esse. Neque enim hoc ius singulare est coloniae Genetivae, sed clausula haec legis ut pleraeque aliae ad colonias municipiaque a populo Romano constituta communiter pertinuit, ut ne hoc quidem a specie veri abhorreat vel in urbe eandem legem obtinuisse. Eius legis vestigia alibi quoque passim reperiuntur. Simillimum huic caput est LXII legis Malacitanae: *Ne quis in oppido municipii Flavi Malacitani quaeque ei oppido continentia aedificia erunt, aedificium detegito destruito demoliundumve curato nisi decurionum conscriptorumve sententia, cum maior pars eorum adfuerit, quod restituturus intra proximum annum non erit. Qui adversus ea fecerit* et reliqua, plane ut in hac lege cavetur. Sic Alexander quoque a. 224 (C. Iust. 8, 10, 3): *an in totum,* inquit, *ex ruina domus licuerit non eandem faciem in civitate restituere, sed in hortos convertere, et an hoc consensu tunc magistratuum non prohibentium, item vicinorum factum sit, praeses provinciae, probatis his quae in oppido frequenter in eodem genere controversiarum servata sunt, causa cognita statuet.* Item Diocletianus collegaeque (C. Iust. 11, 29 [30], 4): *si secundum legem civitatis res publica, cuius meministi, ruina collapsis aedificiis tuis distraxit aream, nihil contra huius legis tenorem rector provinciae fieri patietur.* Ex iuris auctoribus *ad curatoris rei publicae officium spectat,* Paulus ait (Dig. 39, 2, 46), *ut dirutae domus a dominis extruantur: domum sumptu publico extructam, si dominus ad tempus pecuniam impensam cum usuris restituere noluerit, iure res publica distrahit.* Item Ulpianus (Dig. 1, 18, 7): *praeses provinciae inspectis aedificiis dominos eorum causa cognita reficere ea compellat et adversus detractantem competenti remedio deformitati auxilium ferat.* Addo constitutionem a. 377 (C. Iust. 8, 10, 8): *Singularum urbium curiales etiam inviti vel reparare intra civitates quas olim habuerint domos vel ex novo aedificare cogantur . . . Possessores vero qui non erunt curiales in urbibus, in quibus domos possident, easdem domos dirutas neglectasque reparent iudiciaria ad conservandum hoc praeceptum auctoritate retinendi.* Aedificium in oppido ne diruatur

Curam aedificiorum urbanorum non diruendorum nisi reficiendi causa iam apparet ipsa aetate liberae rei publicae colonis municipiisque legibus suis commissam esse; neque tamen tum ea res pertinuit ad eos qui Romae res curabant. At procedente tempore certis casibus hi quoque intervenire coeperunt, ut senatus consulto auctore Claudio facto domini vetabantur aedificia negotiationis causa diruere, scilicet ut iam ne consentientibus quidem rei publi-

cae eius decurionibus eiusmodi demolitio perfici posset. Similiter Hadriani aetate publice cautum est ne in ulla civitate domus dirueretur *transferendae ad aliam urbem ullius materiae causa* (vita Hadriani 18); id est eiusmodi demolitionem decuriones permittere vetabantur. Labente deinde aetate cum cura rerum publicarum ad imperatorem quodammodo transferretur curatoresque is rebus publicis dare inciperet, ipsa privatorum aedificiorum in municipiis cura ita quodammodo a decurionibus ad imperatorem magistratusque ab imperatore constitutos translata est, unde iam de ea etiam Ulpianus et Paulus tractaverunt. Fusius de hac re dixi in commentario ad legem Malacitanam p. 480 seq.

Figlinae in oppido ne fiant

IV. Figlinas teglarias tegulariumque (quod a figlinis teglariis quomodo differat, frustra quaesivi) etsi noramus institui solitas esse extra oppida (ut ipsa fundorum nomina inscripta habent tegulae quaedam apud Marinium Arv. p. 608), ita nunc demum innotescit ne licuisse quidem eas in oppido facere, si maiores essent tegularum CCC, diurnarum opinor; conferri potest quod ex tegulis quibusdam Sisciensibus nuper intelleximus operis per dies singulos tegulas talis certe generis, quales sunt illae, faciendas fuisse ducenas vicenas (v. eph. 2, 434). — Contra si quis fecerit, locus publicus fit; quocum componemus, ne eius generis poena ab institutis liberae rei publicae abhorrere credas, quod ait Frontinus de aq. 77: *agri, qui aqua publica contra legem essent inrigati, publicabantur.* Ea publicatio quomodo effectum habeat, non satis perspicitur, cum verba legis, ut recte monuit Krueger, impedita sint et fortasse quaedam exciderint. Expectamus sane talia: *eiusq(ue) aedificii [qui volet petitio esto, quantique ea res erit], quicumque in c(olonia) .... i(ure) d(icundo) p(raeerit) ... eam pecuniam in publicum redigito.* Scilicet probabile est de tegulario commisso per formulam petitoriam colonorum nomine agere potuisse qui vellet; deinde victo reo eum aut restituisse fundum rei publicae itaque absolutum esse, aut condemnatum esse tantae pecuniae, quantae fundus esset, eamque pecuniam solito more magistratum exegisse (cf. 10, 8: *eiusque pecuniae cui volet petitio, IIviro .. exactio ... esto*).

Viae publicae ne fiant in agro privato invito domino

V. Denique quae c. LXXVII caventur de viis fossis cloacis instituendis muniendisve eo redeunt, ut magistratibus eius rei causa libere uti liceat agro coloniae, agro privato uti ne liceat nisi consentiente domino. Convenit id in universum cum iis quae in commentario ad c. XCIX p. 137 exposuimus de aqua publica per agrum privatum ducenda.

TH. MOMMSEN.

ADDITAMENTA
AD CORPORIS VOL. VII.

Quod triennio post volumen corporis septimum editum vix elapso supplementum eius hic proponitur titulos continens recens detectos plus minus quinquaginta, id accidit cum eas ob causas, quae ubique fere obtinent in provinciis imperii olim Romani, tum propter hasce duas peculiares. Primum enim casu factum est non satis commodo, quod volumen meum prodiit antequam ad finem perductum erat Brucii mei 'lapidarium septentrionale', de quo olim dixi in corporis vol. VII p. 106, nuper plenius in ephemeride litteraria Ienensi a. 1875 p. 868 ss. In ea autem sylloge, atque in appendice eius potissimum, scriptor non pauca edere potuit monumenta a me nondum visa, quae eo magis hic putavi esse edenda, quo pauciores libro illo in Germania raro uti posse intellexi. Siqui vero erunt, qui eo utentur, eorum commoditati ita existimavi consulendum esse, ut conspectum numerorum eius operis comparatorum cum meis hic proponerem plenum, scilicet tam titulorum eorum, quos nondum attuli neque in ipso opere neque in additamentis, quam reliquorum. Deinde vero illud accedit rei ipsi atque doctrinae epigraphicae utilissimum, syllogae vero meae incommodum, quod inde ab ipso anno MDCCCLXXIII stationes aliquot valli Britannici coeptae sunt multo maiore quam adhuc factum erat cura explorari atque effodi per Iohannem Claytonem civem Aelianensem de re epigraphica vallari optime meritum. Ita Cilurni Procolitiae aliarum stationum tituli novi prodierunt per hos ultimos annos non pauci prodeuntque paene continue; quos statim mecum communicare solet Brucii officiosa sollertia. Similiter inde ab eodem fere tempore Eburaci in effodiendis fundamentis ad novam viae ferreae stationem extruendam tituli aliquot in lucem protracti sunt argumenti partim minime vilis. Ea igitur omnia una cum emendationibus quibusdam lectionum mearum et cum illustrationibus titulorum ab aliis, veluti a Guilelmo Thompson Watkin,

prolatis in hoc primo voluminis septimi supplemento coniunxi. Viliora quoque, quae alibi solemus secludere, sepulcralia instrumenti titulos alia, existimavi statim proponenda esse cum reliquis. Ubi enim infrequentes sunt tituli ut in plerisque Britanniae regionibus, illud ipsum quod omnino tituli cuiusvis argumenti prodierint saepe non levis momenti esse ad quaestiones gravissimas solvendas non ignorant doctrinae epigraphicae periti. Omisi tantum vasculorum aliquot titulos Londinii et in vicinia, item Isurii nuper erutos; id enim genus peculiarem postulat retractationem, quae post volumina syllogae Gallicae et Germanicae edita maiore cum fructu institui poterit.

Ad n. **1**. Edidit etiam Gilbert *survey of Cornwall* p. 199, sed secutus Borlasium.

Ad n. **12**. Haec videntur tantum in lapide fuisse

NERONI
CLAVDIO ❦ DIVI
ERMAN
EPOTI ❦ T
RONEPOTI DIV
❦ CAESARI · AVG
R ❦ $\overline{\text{PIV}}$ · IMP · $\overline{\text{PIV}}$ · COS ❦ IV
S · C · V · M

Reliqua Gough aut eius amicus suppleverunt. Haec ita esse W. Th. Watkin observavit, fortasse recte.

---

53 (ins. post n. 35). Sarcophagus marmoreus rep. a. 1867 in *Clapton*. Superest versus tituli ultimus solus

MARITIMVS

Price *transactions of the London and Middlesex archaeological society* 3 p. 196 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 352).

Ad n. **63**. Prope Aquas repertum esse aliquando, sed periisse postea titulum, in quo nomen

alae Proculeianae

distincte scriptum fuisset, ex indicatione quadam manu scripta rettulit W. Th. Watkin.

54 (ins. ante n. 65). Rep. in *Cirencester* a. 1871.

SILVANO
SABIDIVS
MAXIMVS

W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 346.

Ad n. **67—71.** Tituli n. 67 et 69 servantur nunc in museo Glevensi (*Gloucester*), n. 68. 70. 71 in museo Durocornoviensi (*Cirencester*), ut monuit W. Th. Watkin.

Ad n. **74.** Servari nunc in *Watercombe House*, *Bislay*, W. Th. Watkin testatur.

Ad n. **75.** Vitae spatium ita indicari contra morem

vix(it) an(nis) XX m(enses) V d(ies) XXXVIIII

F. Buecheler in censura voluminis VII inserta ephemeridi litterariae Ienensi a. 1874 p. 46 observavit, quam hic semel accuratius indico, infra interdum memorabo. Sunt talia non nimis rara neque solemus ea curare nimis sedulo, praesertim ubi de lectione non satis constat, ut in hoc ipso titulo.

---

55 (ins. post n. 77). Prope *Bristol* a. 1873 in loco stationis Romanae dictae *the Sea Mills*, ad flumen *Avon*, circiter m. p. 1½ ab oppido, rep. est fragmentum cippi.

☧
protome
puellae
canis *gallus*
❧ SPES ❧
C SENTI

Descripsi ex imagine photographa missa a. Car. Knight Watson et H. M. Scarth. Scarth *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 41.

Ut tituli vol. VII 58 et 134 ita hic quoque falso a nonnullis pro christiano habitus est. Puella, cuius protome rudi opere exculpta est in cippi fastigio una cum cane et gallo conlusoribus olim, *Spes* fortasse dicta est non proprio nomine, sed utpote pupula nomine adhuc carens defuncta spes parentum vocatur, ut alibi infantes mortui deliciae appellantur et aliis eius modi vocabulis.

56 (ins. post n. 77). *Castor* prope *Peterborough, Northamptonshire,* in tabella lapidea parva rep. ad latus castrorum septentrionale.

MARTO

A. Trollope *archaeol. journ.* 30, 1873 p. 133.
Prodiit inde adhuc miliarium unum tantum Floriani vol. VII 1156.

Ad n. **83**. Aram extare inde ab a. 1800 in *Broome Park* prope *Canterbury* (*the seat of Sir H. C. Oxenden Bart.*), sed prorsus evanidam W. Th. Watkin mihi scripsit.

---

57 (ins. post n. 86). In *Newbury, Berks,* urna sepulcralis repleta cineribus reperta est inscripta

D o M
S M L

Gentleman's magazine 1837 m. Febr. p. 161 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 346).
V. 1 D·M fuisse coniecit Watkin probabiliter.

Ad n. **88**. Testimoniis adde hoc C. R. Smith *assoc. journ.* 2, 1847 p. 38.

---

58 (ins. post n. 91). Cantabrigiae in museo *Fitzwilliam*; dicitur reperta esse Camuloduni.

CONSIDIA VENERIA
FILIA·V·A·III·D·XXX
CONSIDIA · NATALIS
MATER · V · A · XXXV

Museum Disneianum 1 p. 99 tab. 45 fig. 15 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 346).
Novi, sed urbanam putavi.

---

59 (ins. post n. 93). Camuloduni rep. est a. 1850 pars dextra lapidis sepulcralis inscripta ita

D
AVR
AAI

Assoc. journ. 6, 1850 p. 446 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 346).

Ad n. **94**. Edidit nuper denuo Llewellyn Jewitt *gravemounds and their contents* (Lond. 1870 8.) fig. 327 (inde Archaeologia Cambrensis ser. IV 1, 1870 p. 349).

60 (ins. post n. 98). Iscae. *'A few years since an altar of reddish stone brought from Caerleon was sold at Thomas's Auction Rooms, on which I read the initials*

I · O · M

A. I. K. *gentleman's magazine* 1865 Oct. p. 234 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 349).

Ad n. **103**. Exemplum tituli paullo accuratius indagavit W. Th. Watkin hoc:

in facie:	*in latere:*
N N	D D
A V G G	V I I I I
G E N I O	KAL
LEG	O C CB
I I A V G	PR GR
	E I M L
IN HoNo	COS
REN MIT	C V R
M V A	VRSO
FE	AGTæ
M	EI IVS
L	
S	
I P P C	
D D	

Exhibetur ita apud G. W. Manby *an historic and picturesque guide from Clifton through the counties of Monmouth Glamorgan and Brecknock* etc. (Bristol 1802 8.) in tabula ad p. 55.

Confirmantur hoc exemplo quae de imperatoribus et consulibus olim adnotata sunt. Titulum supra integrum esse apparet; legendum igitur *n(uminibus) Aug(ustorum)* e. q. s. Faciei titulus inferior fortasse legendus: *in hono[rem] mil[it(um)] M. Va[lerius] Fe[lix] m[iles] l[eg(ionis) eiusd(em) devotus n(uminibus) Phil]ippo[rum] d(onum) d(at).*

Ad cap. XV (p. 43 Cambriae oppida varia).

Loventii situm prope *Llandovery* collocare nuper studuit Guil. Rees Loventium, *its geographical position and reasons for assigning it to Llandovery,* Archaeologia Cambrensis ser. IV 4, 1873 p. 113 ss.

Prope *Caergwele* iam a. 1828 reperta est ara Romana inscripta, cuius tamen nulla memoria servata est. Monuerunt hoc Lewisii lexicon topographicum Cambriae secuti W. Thompson Watkin Archaeologia Cambrensis ser. IV 1, 1870 p. 341 et R. V. Kyrke ibid. 2, 1871 p. 97.

9

61 (ins. post n. 109). Iscae, *in crossing the stile on the other side of the Broadway, Mr. Evans pointed out to me a Roman terminus, used as one of the capstones, bearing the inscription*

TERMIN

Coxe *history of Monmouthshire* p. 82 (inde W. Th. Watkin l. s. s. p. 349).

---

62 (ins. post n. 108). Iscae (*Caerleon*) rep. a. 1874, lapis centurialis; litterae in tabella ansata inscriptae altae et graciles sunt.

CoH · I · Ɔ LVIANA PE$\overset{X}{\overset{X}{\underset{X}{D}}}$

Ectypum misit Eduardus Lee, ex quo descripsi. Lege:
Coh(ortis) I ɔ*(centuria) Liviana, ped(es) XXX*
D ultima vocabuli quod est pedes interposita est tribus X numeri.

---

63 (ins. post n. 117). Iscae, extabant *in a bathing house belonging to Mr. Butler.* Lapides centuriales sunt, tituli scripti in tabellis ansatis.

a D CONDD
FIII AD

b VIBI
PROCIS

G. W. Manby l. s. s. p. 287 (inde W. Th. Watkin l. s. s. p. 347).
Fortasse fuerunt ɔ*(enturia) Co[rneli Phil]ad(espoti)* et *Vibi Proc[li]*.

---

64 (ins. post n. 130). Iscae rep. et olim servata apud W. Manby; periit.

IV · L . . . . .
IVL · CA · ·
RIVS FIL ·
V · ANN · XXV
OPTIO · AN · II
F · C

G. W. Manby *an historic and picturesque guide from Clifton through the counties of Monmouth Glamorgan and Brecknock* etc. (Bristol 1802 8.) p. 286 (inde W. Th. Watkin l. s. s. p. 347).

Lege *Iul(io) [Titiano] Iul(ius) Ca[pra]rius fil(ius) — v(ixit) ann(is) XXV, optio an(nis) II — f(aciendum) c(uravit).*

Si recte lecta est, patris anni et condicio posita sunt loco non suo. Optionem intellege fortasse centurionis legionis secundae.

65 (ins. post n. 130). Iscae, *in a wall belonging to Mr. Williams, currier.*

D M
IVLIA
IVNDA
X
5 ANNO XXX

Gentleman's magazine 59, 1789 p. 1072 et 69, 1799 p. 934 male (inde ego ad vol. VII 124); G. W. Manby l. s. s. p. 56 tab. fig. 4 (inde W. Th. Watkin l. s. s. p. 349). In *Caerwent* repertam esse dicit I. Seyer *history of Bristol* (1821) 1 p. 134, errore.

Apparet diversam esse a. n. 124 et sic fere legendam: *D. M. Iulia [Iuc]unda [vi]x(it) anno(s) XXX.*

---

66 (ins. post n. 136). Iscae, fragmentum.

AL
TR

G. W. Manby l. s. s. p. 287 (inde W. Th. Watkin l. s. s. p. 347).

Ad n. **142**. Caernarvon, fragmentum *in a wall of a field adjoining the turnpike road,* inscriptum

SVC

R. C. Hoare Giraldus Cambrensis 2 p. 94 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 350).

---

67 (ins. post n. 145). *Tomen-y-Mur.* Titulos n. 143—145 nuper descripsit addito hoc nondum noto

P · CXXV

E. L. Barnwell Archaeologia Cambrensis ser. IV 2, 1871 p. 197.

Ad n. **148. 149**. Descripsit nuper Guil. Rees Archaeologia Cambrensis ser. IV 4, 1873 p. 116.

---

68 (ins. post n. 161). Viroconii a. 1867 duo fragmenta prodierunt,

a lapis inscriptus

CAAM

b pars parietis picti cum litteris

ARCA

Gentleman's magazine a. 1867 Oct. p. 514 (inde Th. Wright Uriconium p. 113 et W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 358).

Ad n. **167**. Servatur in museo societatis archaeologicae Devensis in *Chester*, ubi vidit W. Th. Watkin. Is de eo rettulit loco indicato infra ad n. 69.

Ad n. **168** *a*. Ibidem vidit idem legitque ita

DEAB
MATRI
ᵇVS

---

69 (ins. post n. 174). *Chester*, rep. *on the Roodee* (*the Chester race course*), *in the course of the excavations for the new intercepting sewer*; lapis arenaceus ruber, supra anaglypho ornatus. Servatur Devae apud societatem archaeologicam.

Vir et puer in lecto recumbentes; infra mensa adposita est, in qua lucerna et vasa tria distinguuntur

D M
F*l* · CALLIMOR
PHI · VIX · AN · XXXXII
ET · SERAPIONI · VIX
ANN · III · M · VI · THESA
EVS · FRATRI · ET · FILIO
F · C

Archaeologia Cambrensis ser. IV 5, 1874 p. 260; W. Th. Watkin *transactions of the historic society of Lancashire and Cheshire* ser. III vol. 4, 1876 p. 69 ss. q. v.

2 FE traditur. 5. 6. fuit aut *Thesa*[*l*]*us* pro *Thessalus* aut, quod magis crediderim, *Thesaeus* pro *Theseus* barbare scriptum.

Apparet titulum eiusdem omnino generis esse atque n. 174.

---

70 (ins. post n. 175). Devae, fragmentum tabulae marmoreae rep. a. 1863, litteris bonis.

O G A
· DOM

W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 352.

---

71 (ins. post n. 177). *Littleborough, Notts*, ara rep. a. 1718; tituli supererat versus ultimus solus

LIS · ARAM · D · D

Stukeley itin. curios. p. 89 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 352).

72 (ins. post n. 178). In *Melandra Castle* rep. est fragmentum tabulae magnae, quod servatur in *Hollingworth Hall.* Tituli olim fortasse longioris nihil superest praeter initium

IMP

Assoc. journ. 7, 1851 p. 19 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 359).

---

73 (ins. post n. 178). *Charterhouse-on-Mendip, Derbyshire,* rep. a. 1875 *in removing an old building*; dimidia tantum pars servata est.

M ❦
AVC
VO RES
R OR FE€T
IV €NT ❦
Ⓗ o R o M Λ
ORMIPSΛ
IC'\R

H. W. Scarth ectypum misit.

V. 5 legi potest etiam LVCENI vel IVCENI. — V. 7 lectio non satis certa; videtur etiam ita legi posse CRMLPS. A post S incerta est. — V. 8 prorsus incertae lectionis.

Solutionem propono talem fere, sed dubitanter:

[*D(is)*] *M(anibus)* [*C. Titio*] *Auc*[*to fratri s*]*uo Res*[*tituta so*]*ror fecit, mil(iti) coh(ortis) IV cent(uriae)* [*Flavi d*]*omo Roma* . . . .

---

74. 75 (ins. post n. 178). *Charterhouse-on-Mendip,* una cum instrumentis fodinarum plumbariarum reperta sunt fragmenta inscriptionum duarum (*two fragments of wrought stone with the letters well cut*):

a DOM^I^O
SEPT^I^MI

b NI
RI
FI

H. M. Scarth *assoc. journ.* 31, 1875 p. 142.

---

76 (ins. post n. 210). Reperta in *Ilkley* hoc saeculo ineunte; servabatur apud *the Rev. Mr.* Care; hodie non extat.

D · M
PVDENTIS
IESSEI · MIL
LEG · II · AVG

Whitaker *history of Craven* ed II (1812) p. 218 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 345).

V. 3 sine dubio male lectus; fuitne [*t*]*esse*[*r*(*arii*)]?

77 (ins. post n. 230). Anno 1874 Eburaci rep. in effossionibus ad stationem viae ferreae institutis. Statua parva lapidea, cuius caput periit, alta circiter p. 2.

homo nudus stans cingulo tantum cinctus, dextra (quae periit) baculum, sinistra claves gerens

in basi inscriptum est:

VOL · IRE|*naeus et*
D ... *aevo?*
ARIMANI\|*s posuerunt*

I. Raine (qui edidit in catalogo musei Eburacensis ed. VI 1875 p. 138) et I. Wordsworth imaginem photographam et ectypum mihi miserunt. Imaginem edidi et explicui in annalibus Bonnensibus fasc. 58 a. 1876 p. 147 tab. VIII.

Cogitatum est primum de supplementis hisce: *D(eo)* [*m(agno)*] *Vol(usius) Ire*[*naeus*] *Arimani*[*o posuit*]; sed v. 2 clare V litterae pars laeva in lapide apparet. Unde legendum *d(eo)* [*Aevo*] *Vol(usii) Ire*[*naeus et*] *Arimaniu*[*s posuerunt*]. Deum enim esse Aeonem demonstrant similes eiusdem dei imagines, quae extant; Arimanius autem hominis Persicae fortasse originis cognomen esse posse consentaneum est, quanquam etiam deum illum Romae cultum esse constat (C. I. L. VI 47 et III 3414. 3415).

78 (ins. post n. 234). Eburaci, rep. 1875 in effossionibus ad stationem viae ferreae novam construendam institutis. In museo, ara rudis litteris malis.

d · E · O
GENIO
LOCI
V · S · L · M

I. Raine *Academy* 1875 vol. 2 p. 388 et in catalogo musei (ed. VI 1875) p. 138.

79 (ins. post n. 244). Eburaci a. 1875 fragmentum in museum inlatum est, quod coniunctum cum fragmento altero a me edito n. 259 *a*, quocum convenire mensura et forma demonstrant, hunc efficit titulum

\ M
NLIVS
CRESCES
\ · VET
LEG|*vi* \VIC
CA|
PRI|
FT M|

I. Raine et I. Wordsworth mecum communicaverunt.

Lege et supple ita fere: [*d(is)*] *M(anibus)* [*M. Ma*]*nlius* [-. *fil.*] *Cresces* .... *a vet(eranus) leg(ionis)* [*VI*] *Vic(tricis) Ca*[*ecilius*] *Pri*[*mitivus*] *et M*[*anlius Victor heredes fecerunt*].

80 (ins. post n. 247). Sarcophagus lapideus rep. a. 1873 in via ferrea prope Eburacum (*near the Scarborough Railway Bridge*). Servatur ibi in museo, litterae dicuntur esse malae.

D · M
FL*a*VI · BELLATORIS · DEC · COL · EBORACEN
VIXIT · ANNIS · XXVIIII · MENS · I . . . . .
. . . .

I. Kenrick, I. Raine (qui edidit in catalogo musei Eburacensis ed. VI 1875 p. 44), I. Wordsworth mecum communicaverunt.

Saeculo fere tertio Eboracum nominis formam pro Eburaco in usum venisse docuerat iam seviri coloniae titulus n. 248, qui eiusdem fere aetatis est atque hic decurionis. — V. 2 FL///VI in lapide est.

81 (ins. post n. 249). Eburaci, rep. cum praecedente; tabula lapidea non magna. Servatur in museo.

M E M O R I A E
B A S S A E I · I V L I
*ani et fe*LICIS FILI SVI
d V L C I S S I *m i*

I. Raine *Academy* 1875 vol. 2 p. 388 et in catalogo musei ed. VI 1875 p. 139.

82 (ins. post n. 251). Eburaci, rep. cum praecedentibus, columna lapidea alta ped. 4.

H Y L L O
A L V M N O
CARISSIMO
. . . . . .
. . . . . .

I. Raine *Academy* 1875 vol. 2 p. 388 et in catalogo musei ed. VI 1875 p. 139.

83 (ins. post n. 255). Eburaci, rep. cum praecedentibus, in urna plumbea (*a large* ossuarium *of lead*); in latere tabella est sic inscripta

D · M
V L P I A E F E L I C I S S I M A E
Q V A E V I X I T A N N I S
. . . M E N S E S X I D I E S
. . . .
Po*sueru*NT VLPIVS FELIX ET
. . . . . . A N D R O N I C A
*paren*TES

I. Raine *Academy* 1875 vol. 2 p. 388 et in catalogo musei ed. VI 1875 p. 142.

Nomina eadem redeunt in titulis, ut Raine observavit. Scilicet vulgaria erant temporibus Traiani.

Ad n. **258**. Eburaci in museo; fragmenta *a* et *b* coniungenda esse ita

NO
IĿP · P · SVI
KI · ET · M · COSS

I. Raine et I. Wordsworth perspexerunt.
Noli autem cogitare de consulibus; erat potius [...*pat*]*ri et M. Coss*[*utio* ...*fratri*] vel similia.

Ad n. **263**. Lapis extat in *Aldborough, in Mr. Lawsons museum.*

D · M ·
F E Ŀ C V L E
C O I V G I
K A R I S
C M P
F · C V R

I. Wordsworth descripsit legitque v. 2 FEĿC · VLP. Est potius *D(is) M(anibus) Felicule coiugi karis(sime) C. M(anlius?) P(rimus?) f(aciendum) cur(avit).*

Ad n. **284**. Servatur apud Thomam Henricum Dalzell in *Clifton Hall, Workington.* Vidit et edidit in actis societatis historicae *of Lancashire and Cheshire* ser. III vol. 4, 1876 p. 95 ss. in tab. fig. 2 W. Th. Watkin. Legitur ut edidi; v. 4 tantum SANCTSSI in lapide est et v. 7 ita in fine mancus EM EX DECV.... Itaque de *Ialono Contrebi* nominibus iam non videtur dubitandum esse.

Ad n. **285**. Lapis in *Halton Hall* olim servatus non comparuit. *Numerum barcariorum* v. 5 intellegendum putat W. Th. Watkin loco ad n. 284 indicato.

Ad n. **287**. Octavium Sabinum huius tituli non puto diversum esse a C. Octavio Appio Suetrio Sabino consule a. 214, de quo egit Mommsenus in hac ephemeride I p. 130 ss.; credo eum Britanniam rexisse sub Alexandro.

Ad n. **289**. Vide quae infra adnotabo ad n. 865.

Ad n. **292** (p. 72). Servatur nunc in Kendal in museo.

Ad n. **294**. V. 4 Brucii imago ita exhibet

P/OTVS

ut in lapide fortasse fuerit PLOTVS.
Bruce lap. p. 387 n. 749.

84. 85 (ins. post n. 294). Arae duae in *Brougham* repertae, servantur in *Brougham Hall*; ara prior alta est p. 2, lata p. 1 dig. 2, altera alta p. 1 dig. 8½, lata dig. 11. Litterae utriusque arae videntur esse saeculi fere alterius exeuntis tertiive ineuntis.

a

DEO BELATVCAD
RO BACVLO PR
O SE ET SVIS V
L S

b

D E O
B E L A T V
CADRO · A
M V R O
S I V I T V S
TINC · S C
EX CVNE
V N V I S
I W V S
\ · A \
R V M

Bruce lapid. p. 412 n. 806. 807.

a Deo Belatucadro Baculo pro se et suis v(otum) l(ibens) s(olvit)

b Deo Belatucadro a muro? Si(lius?) V[e]tustin[us] s(ingularis) c(onsularis)? ex cune(o) . . . . rum

a lectionis certae est; in *b* dolendum quod vv. 8—11, qui cunei nomen continebant, plane confusi sunt. Latent fortasse equites Stratoniciani tituli infra n. 86. Etiam versuum 5. 6 lectionem vel interpretationem, quanquam in Brucii imagine omnino perspicui sunt, incertam esse vix est quod moneam. Cuneus Frisionum Aballavensium memoratur in titulo n. 415 (v. infra p. 130).

Ad n. **296**. Vv. 1. 2 soli exhibentur in Hodgsonis *beauties of England and Wales* vol. 15 pars 2 p. 90 (inde Bruce lapid. p. 385 n. 745).

---

86 (ins. post n. 298). Prope *Brougham castle* a. 1874 rep. est arula lapidea alta p. 2, lata 1 litteris saeculi alterius quam maxime evanidis. Servatur in *Brougham Hall.*

D E O M A R T I ☉
V I / / V T / / O
AVR IANVARIVS
EX III S N EQQ
STRATONICIANO
R O M A V / / / M
PRO SE ET SOVIS *sic*

Bruce lapid. append. p. 471 n. 941.

Lectionem frustra temptaverant Lord Brougham, Watkin, C. R. Smith, Bruce; quam supra dedi Brucius proposuit a me indicatam secundum ectypa et imagines photographas. Sed scito eam minime certam esse. Cogitavi de interpretatione tali fere:

Deo Marti (sequitur cognomen dei aliquod barbarum) *Aur(elius) Ianuarius ex III (trecenario?) s(emis)? n(umeri) e(quitum) Stratoniciano(rum) Roma* (i. e. domo Roma) *v(otum) [s(olvit)] m(erito) pro se et souis.*

Equites Stratonicianos aliunde non novi. Pro EX III expectaveris sane EX CCC. Observa diphthongum in *souis*, qui clare legitur, eo certe tempore memorabilem.

---

87 (ins. post n. 300). Tabula lapidea rep. et servata una cum titulo qui praecedit; litterae videntur esse tertii fere saeculi.

PLVMA
LVNARIS
TITVL POS
CONIVGI
CARISI
M

Bruce lapid. append. p. 472 n. 942; B. Lewis *proceedings of the soc. of antiq.* ser. II 6, 1875 p. 387.

Brucius lectionem a me propositam exhibet hanc, quam puto probabilem esse propterea quod omnium quae propositae sunt simplicissima est,

Plum[ae] Lunaris titul(um) pos(uit) coniugi carisim(ae)

Quamquam nec Plumae mulieris nec Lunaris viri nomina mihi aliunde nota sunt.

Ad n. **301** (p. 74). Servatur nunc apud Ioh. Bell in Appleby. Bruce lapid. p. 386 n. 748.

---

88 (ins. post n. 302). Tabula lapidea magna longa p. 6 dig. 2, alta p. 2 dig. 3, servata hodie *built into the back of Clifton Hall*; reperta dicitur esse in *Brougham.* Litterae vix distinguuntur.

. . . .
. . . .

Victoria alata stans palmam et corollam tenens	VIX L TO \ COLIM POS MIVLEG SVD II / VCOS	*Victoria alata stans palmam et corollam tenens*

Bruce lapid. p. 415 n. 816.

Apparet titulum fuisse imperatori fortasse dicatum a vexillatione legionis, cuius legatus cum aliis ordinatis adscriptus erat, addita in fine anni indicatione. Singula restitui nequeunt.

89 (ins. post n. 303*a*). Rep. in *Brougham*, servatur in *Brougham Hall*. Cippus altus p. 3 dig. 9, latus p. 2 dig. 11, anaglypho ornatus non ineleganti, litteris saeculi alterius. Caput pueri deest; nomen eius fortasse supra in fastigio cippi inscriptum erat.

Puer stans
paenula involutus

ANNAMORIS · PATER
ET RESSONA · MATER
F · C

Bruce lapid. p. 414 n. 813.

---

90 (ins. post n. 303*a*). Rep. in *Brougham*, servatur in *Brougham Castle*. Cippus supra in fastigium desinens, altus p. 4 dig. 8, latus p. 3 dig. $2\frac{1}{2}$; litteris saeculi tertii.

pinea

D M
CRESCENTINV
S · VIXIT ANNIS ❖
XVIII ❖ VIDARIS
PATER POSVIT

Bruce lapid. p. 414 n. 812.

Germanici homines multi in statione illa degebant; *Annamoris Ressona Vidaris* nomina peregrina non Germanicae sed Celticae potius originis esse puto.

Ad n. **303***a* (cf. n. 1352 add. p. 314) *Kirby Thore*.

FILIA
CRESC
IMAG
NIER

Bruce lapid. p. 388 n. 752 ita rectius exhibet.

Legendum sine dubio *filia Cresc(entis) imag*[*i*]*ni*[*f*]*er*(*i*).

---

91 (ins. post n. 303*a*). Rep. in *Brougham*, ubi extat *built into the headway of one of the upper galleries of the castle*. Lapis altus p. 2 dig. 6, latus p. 1 dig. 11; litteris saeculi tertii.

D CΛ
TITIVS N
VIXIT ANNIS
\S MINVS XXX PA
FRATER TRVLVN
T

Bruce lapid. p. 415 n. 814.

Ita Brucii imago; sed estne in lapide v. 1 D ❦ M — v. 4 in. VS — v. 5 TITVLVM? Ut fuerit *D(is) M(anibus) Titius M* . . . . *vixit annis* [*pl*]*us minus XXX, pa*[*ter et*] *frater t*[*it*]*ulum* [*p*(*osuerunt*)]?

Ad n. **309** (p. 76). Ara reperta est a 1837 in *Whitley Castle* (cf. Hodgson *hist. of Northumberland* 2, 3 p. 432; Richardson *table-book* 4 p. 386).

D E O
A//OLLINI
VII IVS
NIIC//CR
cOH III NER

Bruce lapid. p. 381 n. 738.

Haec ita possunt suppleri: *Deo A[p]ollini V[etur]ius N....or [m(iles) c]oh(ortis) III Ner(viorum).* Cogitari etiam potest de *c[u]r(atore) [c]ohortis* eius generis, de quo dixi ad n. 587, ubi *curator* aliquis *alae II Asturum* memoratur.

Ad n. **319**.

V. 4 legendus est ita

to|ti[que] domui divine ae[orum]

Ad n. **332**. Extat *at Nunnery* prope *Kirk Oswald.* Bruce lapid. p. 406 n. 793.

Ad n. **335** (cf. add. p. 344) Arula dicitur reperta esse in *Old Carlisle;* servabatur deinde in *Lowther castle*, antequam in museum Britannicum translata est. Brucii exemplum hoc est:

IOCMAT
VTATM
COCIDO
TOAEA
AAIIA

Bruce lapid. p. 421 n. 826.

Unde fortasse legendum: *[D]o · Ma(rti) Tutati · Cocid · io be[ne] mer(enti).* Mars Toutates est in titulo vol. VII n. 84.

---

92 (ins. post n. 337). Ara rep. prope *Old Carlisle;* servat *Miss Peat, Greenhill,* prope *Wigton.* Alta est p. 2 dig. 3, lata p. 1 dig. 2.

D E O
B E L A T V C A
DRO · SANCTO
AVR · TASVLVS
VET · V · S · L *m*

Bruce lapid. p. 424 n. 831.

Deo Belatucadro sancto Aur(elius) Tasulus vet(eranus) v. s. l. [m.].

Ad n. **345.** Comparandum cum Brucii exemplum vetustius Hutchinsonis, quod mihi ignotum mansit; unde ambo hic repeto.

Hutchinson:	*Bruce:*
MO	I O M O
ROSALV	ROSALV
N	N Y M
V	AVGV
EG	IOV
OP	O · PI E
M COIS	ACOIVS
NS FCRM	ɔNSECRAV
Q	Q

W. Hutchinson *excursions to the lakes* p. 231; Bruce lapid. p. 418 n. 819. Initium videtur fuisse *I(ovi) o(ptimo) C(apitolino) pro salute ... Augusti* e. q. s.

Ad n. **353.** Nomen quod esse traditur MABLINIVS SECVNDVS fuisse potius M · ALBINIVS coniecit I. Wordsworth; probabiliter, potuit enim scriptum esse sic M · AꓭINIVS.

Ad n. **370.** Supra in arae fastigio faciei anterioris inter capita duo maiora intra aediculam protome parva, ut videtur, cernitur; nisi potius merum ornamentum est, veluti pinea. Infra uvae duae suspensae sunt.

Ad n. **386. 390. 394.** T. Attium Tutorem, qui in his titulis nominatur, notum iam esse ex titulo Solvae in Norico reperto C. I. L. III 5331 (= Henzen 5263) recte observaverunt Brucius lapid. p. 436 n. 858 et Buechelerus in censura voluminis VII.

Ad n. **388.** Basis cum anaglypho omnino diversa est ab ara Iovis, ut docet Brucii lapid. p. 431 n. 848.

93 (ins. post n. 389). *Maryport*, tabula lapidea (alta p. 2 dig. 7, lata p. 2) rep. m. Dec. a. 1873 iuxta prioris effossionis locum per loci dominum *Humphrey Senhouse*, ex posteris hominis eius inlustris, qui Camdeni amicus fuerat. Utrimque ansae in formam parmae arcuatae sunt et anaglypho opere ornatae.

IOVI OPTIM · MAXI ·
CAPITOLINO
PRO SALVT · AN
TONINI · AVG ·
ꓭII · POSTVMI
VS · ACILIANVS
PRAEF · COH · Ī · DELM ·

Bruce lapid. p. 449 n. 888.
Praefectus iam notus est ex titulis n. 367 388 400.

94 (ins. post n. 398). *Maryport*. Eodem quo arae reliquae loco duo praeterea fragmenta prodierunt, quae ad eiusdem generis aras videntur pertinuisse.

a

CON
HIPPEE
VI NTE
RA NT
NP

b

DIARI
TIRVNC

Bruce lapid. p. 451 n. 897 898.

(Ad n. **415**) *Papcastle*. Lapis insignis servatur nunc in *Petworth*, *Sussex*, quo eum transtulit ex *Cockermouth Castle* qui possidet *Lord Leconfield*. Quia in Brucii imagine accurata aliquot litterae melius leguntur quam in ectypo mecum olim communicato, titulum integrum hic repetendum duxi. Litterae sunt optimae.

II
EG AVG IN CI
NEVM FRSION
VM ABALLAV
ENSIVM PHILIP
P XIIII · KAL · ET XIII KA
NOV · GOR · II ET POMPEIano
COS · ET ATTICO ET PREte
XTATO COS · V · S · L · M

p. C. 241. 242

Bruce lapid. p. 456 n. 907.

V. 2 re vera ita legi ex imagine lithographa facta ab H. T. Wake (*of Cockermouth*) tum cum lapis inventus est W. Th. Watkin probat; hominem enim illum rei ipsius prorsus ignarum fideliter omnia imitatum esse. Sed utrum CV an CI, CE, CL, CT in lapide fuerit discerni nequit.

Apparet hic et in titulo n. 416 qui sequitur eiusdem anni non numerum sed cuneum Frisionum Aballavensium nominari (unde Aballavae situm prope *Papcastle* quaerendum esse observavi vol. VII p. 104) atque supplendum esse ita fere:

[*deo illi aram voverat..... ille l*]*eg*(*atus*) *Aug*(*usti*) *in c*[*u*]*neum Frisionum Aballavensium Philipp*(*ianorum*); *XIIII kal*(*endas*) *et XIII kal*(*endas*) *Nov*(*embres*) *Gordiano II et Pompei*[*ano*] *co*(*n*)*s*(*ulibus*) *et Attico et Pre*[*te*]*xtato co*(*n*)*s*(*ulibus*) *v*(*otum*) *s*(*olvit*) *l*(*ibens*) *m*(*erito*)

Philippianorum cognomen, quod postea erasum esse sed tamen adhuc legi posse Bruce affirmat, cuneo non posse datum esse antequam Philippus imperator factus est apparet; unde voti titulum postea demum positum esse credendum est. Quae proposui initii supplementa incerta sunt. Verba quae sunt *in cuneum* certa videntur esse; num idem significent atque *pro cuneo* valde incertum. Ceterum diebus XIV kal. Nov. armilustrium, XIV ad XI kal. Nov. *ludi Solis* Romae celebrabantur (C. I. L. I p. 404).

95 (ins. post n. 416). Rep. in *Papcastle*; lapis centurialis longus p. 2 altus dig. 10.

Ɔ I VICTORINI

Bruce lapid. p. 457 n. 909 qui legit *c(enturia) I(ulii) Victorini,* fortasse recte.

Ad n. **417**. Edita est a Mannix et Whellan *history and directory for Cumberland* (Beverley 1847 8). Bruce lapid. p. 453 n. 903.

Ad n. **440**. Antistium Adventum legatum imperatoris M. Aurelii Augusti ex titulo Batavo apud Brambachium C. I. Rh. 55 notum etiam Germaniae inferioris legatum fuisse, ut Buechelerus monuit, potui addere.

---

96 (ins. post n. 477). Urna sepulcralis rep. in *Corbridge,* servata quondam in *Alnwick Castle,* inscripta

D · M · AVRELIAE ACHAICES ·

Mackenziec *history of Northumberland* (Newcastle 1825 8.) 1 p. 453 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 350).
Fortasse non diversam esse a n. 1055 observavit Bruce.

Ad n. **481**. In fine quae traduntur ḃE · S ita solvenda esse

die s(olis)

dubitanter proposuit Buechelerus; fortasse recte.

Ad n. **484**. Extare quidem titulum in *Hexham*, sed repertum esse in *Northallerton*, *Yorkshire N. R.*, ex libro quodam mihi non viso (Ingledew *the history and antiquities of Northallerton* Lond. 1858 8., *Appendix,* cuius paginae non numerantur) adnotat W. Th. Watkin. Dicitur ibi prodiisse *when cutting through the Castle Hills in 1838* et videri *the upper part of a votive altar,* ita autem inscriptum esse

IN STANE
ELA · HYRO
LEG · VI · V ·

Unde apparet recte huc referri.

---

97 (ins. post n. 497*a*). In *Southshields* repertum est a. 1876 fragmentum tabellae lapideae (longum m. 0,28) inscriptum litteris evanidis his

| OCVLVS P P

Robertus Blair misit.

98 (ins. post n. 497*a*). Lapis rudis calcareus repertus item in *Southshields* a. 1876 longus dig. Angl. 14, altus et crassus 7. In facie anteriore infra ad dextram incisae sunt litterae

AC

Robertus Blair misit.

Compara tegulam infra editam n. 122*b*. In A C litteris fortasse alae alicuius nomen latet.

---

99 (ins. post n. 499). Ad Pontem Aelium (*Newcastle-upon-Tyne*) ex Tina (*Tyne*) fluvio hausta est m. Iunio a. 1875 ara haec operis elegantis:

NEPTVNO ◦ LE
VI *tridens* VI
P *cum* F
delphino

Bruce misit.

Neptuno le(gio) VI vi(ctrix) p(ia) f(idelis)

Operae a sextanis collocatae in valli parte orientali extruenda frequens memoria superest.

Ad n. **502***b*. Repertam esse Procolitiae ex Abbot *Roman Wall* (1849) p. 26 demonstravit W. Th. Watkin.

Ad n. **513**. In codice bibliothecae Bodleianae *Ashmol. mss.* 826 f. 37 ex epistula quadam a. 1670 ad Dugdalium scripta a doctore Georgio Davenport (*one of the chaplains to the now Bishop of Duresme*) titulus accurate describitur (lapis totus dicitur esse longus pedes 3 digitos 3, latus digitos 20; tabella inscripta lata• est digitos 16), textusque bis additur hic emendatior, ut apparet, quam qui adhuc innotuerunt omnes.


VICTORIÆ
Genius XGG ALFE *Genius*
alatus NO SEECO *alatus*
N COS FELIX
5 M ALA I AST PRA

V. 3 scribitur CI ◎, errore.

Legendum igitur *Victoriae Augg. Alfeno Senecion[e] co(n)s(ulari) felix ala Ast(urum).*

Senecioni pro casu sextu fortasse positum est barbare. Manifestum est, alam ipsam felicem dictam lapidem dedicavisse (ut infra in n. 100 huius additamenti); sed quid M et PRA litterae significent, quae iam non possunt coniungi cum reliquis, ignoro; nisi fuit *M(arciano) pra(efecto)*. Expectamus cognomina alae imperatoria, veluti *Antoninianae*. Ceterum in altero textus exemplo omnino desunt. Observa Genios, non Victorias, in lateribus. Haec mecum communicavit W. Th. Watkin.

100 (ins. post n. 585). Cilurni effossa a Claytone a. 1875 in foro stationis. Tabula lapidea est longa p. 2 dig. 4, alta p. 1 dig. 6.



homo galeatus vexillum tenens, in quo vocabula 'virtus Augg.' inscripta sunt

Bruce lapid. append. p. 472 n. 943 qui adnotat alteram G in vocabulo AVGG utroque loco eradi coeptam esse. Idem accidit vocabulo [*Antoninian*]*a*. Brucius non sine probabilitate propter titulum n. 585, in quo Antoninianae cognomen item erasum est, cogitavit de Elagabalo et Alexandro Augustis. Alam II Asturum Cilurni in castris fuisse ad quintum usque saeculum notum est. Ceterum caput galeatum, quod infra superest solum, utrum viri an mulieris fuerit dignosci nequit; illud probabilius est.

---

101 (ins. post n. 605, cf. n. 1353 1354). Ad turrim vallarem inter Cilurnum et Procolitiam nuper per Ioh. Clayton effossus, lapis centurialis litteris perquam rudibus.

Ɔ ADAVCI
PVD

Bruce ectypum misit, ex quo descripsi, in lapidarium autem suum nondum videtur inseruisse.
c(*enturia*) *Adauc*[*tii*] *Pud*(*entis*)?

---

102 (ins. post n. 617). Procolitiae, ara rep. in parietinis villae rusticae alicuius ad occidentem a statione sita. Alta est p. 1 dig. 2, lata dig. 8; litteris bonis.

DAE · FOR
VITALIS ·
FE · CIT ·
LIB · MER ·

Bruce lapid. append. p. 465 n. 924.
Dae For(*tunae*) *Vitalis fecit lib*(*ens*) *mer*(*ito*)
Ad *dae* formam cf. C. I. L. VII 234. 273 et *do* pro deo ibid 181 751.

103 (ins. post n. 617). Procolitiae, arula rep. a. 1874 in media fere statione effossionibus a Claytone institutis. Alta est p. 1 dig. 8, lata dig. 8. Litterae sunt malae.

G E N I O
H V V S L O
C I · T E X A N D
E T · S W I C
V E X · C O H O R
II · N E R V I O R
V M

Bruce lapid. append. p. 466 n. 925 qui meam lectionem ex ectypo et imaginibus photographis aegre deductam exhibet.

Lege: *Genio hu[i]us loci Texand(ri) et Sunic(i) vex(illarii) cohor(tis) II Nerviorum.*

De Texandris (sive Texuandris) et Sunucis (sive Sunicis) monuit me Muellenhoffius; conterranei enim erant Nerviorum a Plinio (n. h. 4 § 106) inter reliquos Batavos nominati; vexillarii cohortis secundae Nerviorum, quam Vindolanae in castris fuisse probabile est (vol. VII p. 129), ita dicuntur, ut *pagus Vellaus* et *pagus Condrustis* militantes in cohorte secunda Tungrorum (VII 1072 1073) et quae sunt similia.

---

104 (ins. post n. 618). Procolitiae rep. m. Maio a. 1875 in effossionibus a Claytone institutis. Ara alta ped. 2 dig. 6, lata ped. 1, litteris bonis.

Clayton:	*Bruce:*	*ectypum:*
M N R V Æ	M I N R V ///	/ I N R V /
Q · V N A S	Q V N A S	Q V N N S
R C H I C I	//R C H E C I	/R C H I C I
V S L M	V S L M	V S L M

Clayton et Bruce miserunt descriptam, hic etiam ectypum subministravit. Clayton ita legerat *Minervae Q. Unias pr(aefectus) ch(ortis)*; Bruce adnotat v. 2 V et N fortasse simplices esse litteras, A autem esse incertam. Fuitne *Quintus . . rchici?*

---

105 (ins. post n. 621). Procolitiae, fragmentum cippi rep. a. 1873 in effossionibus Claytonis. Altum est p. 1 dig. 8, latum p. 1 dig. 2, litteris bonis.

D *m*
L O N G I *ni*
B V C · C *oh*
I Batavorum

Bruce lapid. append. p. 467 n. 928 qui supplevit.

Buccinator cohortis hic primus in Britannia prodiit.

106 (ins. post n. 621). Procolitiae rep. a. 1873 in effossionibus Claytonis. Fragmentum cippi fastigiati altum ped. 1 dig. 8½, latum p. 1 dig. 4.

d M
S · MLEN
signi F E R O
coh. Ī BAT

Bruce lapid. append. p. 468 n. 929.

Brucius recte supplevit, quae suppleri possunt; nomina enim signiferi non facile qualia fuerint divinaveris. Cohors prima Batavorum Procolitiae in castris erat.

107 (ins. post n. 621). Procolitiae, fragmenta tria cippi unius reperta in effossionibus Claytonis, alta coniuncta p. 1 dig. 9, lata p. 1 dig. 1.

H · I · BAT
e T · HILARO
HEREDES · F · C ·

Bruce lapid. append. p. 467 n. 927.

Fuit ad hoc exemplum concepta: [*dis Manibus illius, militis co*]*h*(*ortis*) *I Bat*(*avorum*); [*Titius e*]*t Hilario heredes f*(*aciendum*) *c*(*urarunt*).

108 (ins. post n. 631). Procolitiae, rep. in effossionibus a Claytone institutis in suburbiis, ubi lapis facie inversa pro pavimento hypocausti fuit; altus est p. 3 dig. 7, latus p. 2 dig. 9; litterae sunt saeculi alterius. Supra anaglyphum erat viri in lectu recumbentis, apposita est mensa tripes, cui cibi inpositi sunt; haec sola superest.

D M
AEL COMNDO
ANNORVM XXXII
NOBLIANVS · DEC ·
CONIVGI CARSSMP

Bruce lapid. append. p. 466 n. 926. Videtur legendum ita:

D(*is*) *M*(*anibus*) *Ael*(*iae*) *Com*[*i*]*ndo annorum XXXII Nob*[*i*]*lianus dec*(*urio*) *coniugi car*[*i*]*ss*[*i*]*m*(*ae*) *p*(*osuit*).

Sed v. 1 etiam *Comudo*, v. 3 *Nollianus* (aut *Lollianus?*) legi possunt. Cohortes duas, alam nullam Procolitiae in castris fuisse novimus; unde cuius alae homo hic decurio fuerit incertum est.

109 (ins. post n. 664). Prope Borcovicium in rupe lapicidinae vetustae adversus castellum miliarium prope *Cawfields* extabat, sed postea destructa est.

LEG · VI · V

I. Clayton Archaeol. Ael. 4, 1850 p. 34 (inde Bruce lapid. append. p. 469 n. 933).

Ad n. **846**. Lapidem re vera referendum esse ad *Plumpton castle* demonstrat Bruce lapid. p. 410 n. 804.

Ad n. **865**. Titulus non periit, sed servatur apud virum cl. *Bryan Padget Gregson* in *Caton* prope *Lancaster*, ubi fuit inde ab a. 1830, quo anno repertus est; deinde asportatus est Amboglannam.

Baines *hist. of Lancashire* 4 p. 487; Bruce lapid. p. 474 (add. ad n. 383) q. v. indicatam a W. Th. Watkin, qui edidit in actis societatis historicae *of Lancashire and Cheshire* ser. III vol. 4, 1876 p. 95 ss. et ad eundem referenda esse docuit, quae attuli vol. VII p. 289.

V. 6 ⋈ in lapide est.

Ad n. **906**. In C·A latere custodem armorum Buechelerus coniecit probabiliter. Titulus igitur ita legendus videtur esse:

d(is) M(anibus) Gemelli c(ustodis) a(rmorum) Fl(avius) Hilario s(ecundus) h(eres) f(aciendum) c(uravit).

Ad n. **914**. V. 6 ad Solvam Norici oppidum rettulit Buechelerus in censura, recte puto. Itaque solvendum

Mart(i) Coc(idio) m(ilites) leg(ionis) II Aug(ustae) c(enturia) Sanctiana c(enturia) Secundini d(omo) Sol(venses) e. q. s.

Ad n. **952**. Septenarios trochaicos ita restituit Buechelerus in indice lectionum aestate a. 1876 Bonnae habendarum:

. . . . *[N]onianus de[d]ic[o].*
sed date uite iura quartus suppleat votis fidem:*
aureis sacrabo carmen mox viritim litteris.

Nonianum legatum Britanniae provinciae vel certe celsioris dignitatis virum talem fere sententiam putat expressisse: vobis, o di certi, tribus annis feliciter in provincia aut aliqua cura peractis hoc munus dedico, *sed date ut quartus* plenam praestet votorum fidem pro re bene gerenda redituque susceptorum. Sed verba quae ita traduntur *vite iura* frustra idem tentasse se fatetur, *praetura* enim similiave nomina ablativo casu violare metrum, nominativo discrepare cum *quartus*, interim tolerabile esse *sed date ut per plura quartus* e. q. s. Ad v. 3 idem adnotat in *sacrabo* ultimam corripi, *viritim* a viris ad res translatum etiam alias esse, hic autem numerum respicere militum quibus iste praefuerit, totque indicare sacros titulos. *Littoris* quod traditur recte sine dubio idem emendavit memor Pliniani de pronao Delphico dicti *praecepta consecranda aureis litteris* (h. n. 7, 119). Sed *viritim* cur non idem esse possit atque pro virili parte non perspicio, tantam autem promitti titulorum consecrandorum multitudinem, quantus militum etiam unius centuriae numerus, id probabilitatem excedere puto. Ceterum quo magis exiguas has carminis elegantis reliquias considero, tanto densiore mihi videntur velari obscuritate.

110 (ins. post n. 955). *Netherby*, arula alta ped. 1 dig. 7, lata dig. 10. Lectio tam desperata quam in n. 955.

D I A I N M
VSIVNVINV
Ɔ I M ⁞⁞⁞
II N S S\
5 V I S A I \
I N I M I

Bruce lapid. p. 396 n. 768. Nolui omittere, quia fortasse olim ad veram lectionem poterit adduci. Cogitari potest de ara *deae Nemesis*.

Ad n. **960**. V. 5 ita VSLMF legit Bruce lapid. p. 395 n. 766.

---

111 (ins. post n. 970). *Netherby*, ubi videtur reperta esse. Tabella lapidi oblongo (longo p. 2 dig. 5, alto dig. 7), centurialibus qui dicuntur simili insculpta, ad cuius dextram phallus longus dextrorsum erectus cernitur.

i|N V I D I O
s|IS MENTVLA

Bruce lapid. p. 402 n. 779.

Legendum [*i*]*nvidio*[*s*]*is mentula*(*m*); scilicet invidiosi oculos avertere iubentur a militibus, qui opus fecerunt, fascini signo, ne noceant. Cf. VII 204.

---

112 (ins. post n. 970). *Netherby*, ubi videtur repertus esse. Lapis longus p. 1 dig. 7, altus dig. 7½.

Ɔ A E L A N I

Hutchinson *Cumberl.* 2 p. 535 tab. 3; Bruce lapid. p. 403 n. 782.

Cum in *Netherby* lapides externos non paucos collectos fuisse constaret, omisi ab Hutchinsone solo loco illi attributam; iam Brucii testimonio fides habenda est. Ceterum in lapide puto esse Ɔ · AELANI.

---

113 (ins. ante n. 974). Rep. prope *Bewcastle* ad viam Romanam *the Maiden Way* in colli sito a statione versus septentriones, ara alta p. 1 dig. 8, lata dig. 9, litteris bonis.

D E O
SANCTO
COCIDI
ANNIVS
5 VICTOR
CENTVR
LEGION*is*
E \ 𝖫

Bruce lapid. p. 380 n. 735.

V. 8 SEXTAE fuisse putat Bruce; sed neque ita perscribi solet legionis nomen omisso victricis cognomine, nec fuisse sextam sextanosve ibi aliunde constat; secundani tantum et vicensimani una cum cohortis incertae militibus videntur opus castelli eius fecisse (cf. II 978 979).

Ad n. **974** (p. 163). Bruce lapid. p. 379 n. 732 vv. 2—4 ita exhibet ex lapide exceptos

A VR WC
FELICESSE
MVS

ut desit praenomen; recte puto. Sed E bis pro I positum in *Felicessemus* fortasse ex solita in titulis eius aetatis inter I et E litteras similitudine explicandum.

Ad n. **977**. Ab I. Maughan exceptam ex scheda inserta exemplo libri Hutchinsonis, quod habuit Howard, Bruce lapid. p. 379 n. 733 exhibet, similiter atque ego.

---

114 (ins. post n. 977). Fastigium arae rep. prope *Bewcastle* iuxta *Kirkbeck* rivum, latum p. 1 dig. 6, altum dig. 11, litteris bonis.

D E O

Bruce lapid. p. 379 n. 734.

---

115 (ins. post n. 1139). *Duntocher* ad vallum Pii. *In the dwelling house at this place is a stone with some letters upon it* HORSL. Lapis centurialis videtur fuisse.

∩FRO

Horsley *Brit. Rom.* p. 195 *Scotl.* II a (inde Goughs Camden 4 p. 99). Omisi casu magis quam consilio; visus enim erat christianis titulis adscribi posse. Fortasse ɔ(*centuria*) *Fro*[*ntini*].

Ad n. **1147** *St. Hilary*, *Cornwall*, in muro curtis ecclesiae. Titulum evanidum a prioribus non recte lectum hic repetendum duxi.

IMP CAES
FLAVI
CONSTANTINO
PIO INVIC p. C. 337
CAES C
DIVI
CONSTANTI
PII
AVG
FILIO

Ex ectypo misso ab Ioh. Maclean descripsit a. 1875 H. M. Scarth, qui addit non videri lapidem bis fuisse inscriptum, sed CAES v. 5 potius errorem esse quadratarii.

116 (ins. post n. 1160). *Caermarthen, South Wales*, apud W. H. Barker vicarium arae Romanae duae servabantur, altera litteris carens, altera, quae alta et lata est dig. 18, inscripta ita, videtur periisse.

BONO
RP
NATO

Beauties of England and Wales 18 (*South Wales*) [Lond. 1815 4.] p. 354 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 344).

Quanquam ara dicitur esse formae cubitalis, tamen sine dubio milliariis adscribenda. Cf. VII 1166. 1187.

---

117 (ins. post n. 1162). Prope *Dynevor* iuxta *Llandilo* (sive *Llandeilo, Caermarthenshire, Wales*) *a piece of an altar, the corner stone of a small farm* LHWYD. Periit.

IMP C
M CL
TACITO
P F IN
5 VICTO
AVG p. C. 275/6

Ed. Lhwyd in epistula scripta e Llandilo a. 1697 Archaeol. Cambr. ser. III 4, 1858 p. 346 (inde ser. IV 4, 1873 p. 130).

Non arae pars, sed miliarium videtur fuisse, quod me fugerat. Lege *imp(eratore) C(aesare) M. Cl(audio) Tacito p(io) f(elice) invicto Augusto.*

Ad n. **1166.** Edita etiam est in *Proceedings of the British Archaeological Association, Gloucester volume* tab. 2 fig. 7.

Ad n. **1168.** W. Th. Watkin *archaeol. journ.* vol. 33, 1875 p. 49 ss. ex imaginibus photographis tribus, quas adiecit ligno incisas (nam ipse lapis aut periit aut latet), ita legit:

IB POT COS
I · P P ANAVIONE
M P X

Nisi fallunt imagines, ut saepius fallacem experti sumus artem photographicam, concedendum est editori, in *a Navione* stationis alicuius nomen esse agnoscendum. Agnovit ille Ravennatis (5, 30 p. 430, 2) iter hoc: *Lindum colonia, Bannovallum, Nanione, Aquis, Arnemeza, Zerdotalia, Mantio, Alicinca, Camuloduno.* Ibi *Navione* editi habent; ut rationes geographicas concedamus convenire, tamen priusquam alia testimonia accedunt, dubitare praestabit.

118 (ins. post n. 1169). Fragmentum milliarii rep. ad viam *the Fosse* dictam prope *Sex Hill* sive *Seg's Hill*, a Ratis (*Leicester*) m. p. (Anglicorum) circiter 15 (*N. N. E.*) et servatum Ratis in museo; litterae hae tantum leguntur

IMP

I. F. Hollings *Roman Leicester* (Leicester 1855. 8.) p. 42 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 353).

Ad n. **1173**. Extare adhuc in *Lunecliffe* (quae olim fuit *Stoddy Lodge*) apud E. B. Dawson testatur W. Th. Watkin *transactions of the historic society of Lancashire and Cheshire* ser. III vol. 4, 1876 p. 95 ss.

Ad n. **1175**. Milliarium repertum in rivo *Artlebeck* item adhuc extat ita plane ut dedi apud B. P. Gregson in *Caton* prope *Lancaster* teste eodem, quem ad n. 1173 indicavi.

Ad n. **1176**. Titulum servari in *Brougham Hall* apud Lord Brougham idem W. Th. Watkin significavit per litteras; de condicione vero eius nondum quidquam indicavit.

---

119 (ins. post n. 1176). In *Middleton*, 3 ad 4 m. p. (Anglicorum) a *Kirkby Lonsdale*, rep. est a. 1836 columna alta p. 5 dig. 8, quae ibi servatur erecta a praedii domino Moore. Inscripta sunt haec tantum, nunquam plura:

M · P · LIII

W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 354.

Ad n. **1180**. Titulum nuper examinavit I. Wordsworth, qui numerum XXCS in fine perspicuum esse adfirmat. Putat ille ea esse milia passuum a vallo Hadriano ad hunc locum computata.

---

120 (ins. post n. 1195). Fragmentum privilegii alicuius militaris, quod omisi in vol. VII propterea quod satis videbatur memoriae servatum esse in vol. III p. 901, repertum olim in *Walcot* prope Aquas Sulis atque notum ex Danielis Lysons exemplo tumultuarie descripto solo (Archaeologia 18, 1815 p. 438 et reliquiae Britannico-Romanae I p. IV; unde habuit Hauboldius n. 24) re vera diversum esse a reliquis Britannicis tribus nunc Londinii servatis in museo Britannico H. M. Scarth mihi adfirmavit (cf. liber eius 'Aquae Solis' inscriptus p. 36), qui addit cessisse illud ex Ioh. Cranchii possessione in manus Iosephi Barratt alicuius, deinde in Lilly librarii Londiniensis in *Fleetstreet* quondam degentis. Num recuperandi eius aliquid adhuc spei supersit ignoro.

121 (ins. post n. 1205 1210 1211). Massae plumbi a. 1873 et 1876 repertae *at Charterhouse on Mendip, in a field called the Town field.*

a massa longa ped. 1 dig. 8, pondus est libr. Angl. 143.

IMP · VESPASIAN AVG — a. 69–79

in latere:

BRIT · EX ARG · VE

b fragmentum simile:

IMP · VESPASIANI · AVG

c fragmentum longum ped. 1 dig. 3, latum dig. 3½, crassum dig. 2.

IMP · VESPASIA . . .

d massa longa ped. 1 dig. 6, lata supra dig. 2½, infra dig. 8; pondo libr. Angl. 223.

IMP · CAES · ANTONINI · AVG · *PII* · *PP* — a. 138/9

e fragmentum longum dig. 8, latum dig. 3½, crassum dig. ¾.

imp. duor. Augg. A|NTONINI
et veri Armenia|CORVM

H. M. Scarth *proceedings of the society of Antiquaries* 1874 Apr. 16 et *assoc. journ.* 31, 1875 p. 138 s., idem in epistulis scriptis m. Iulio et Octobri a. 1876.

Massam *d* omnium quae adhuc repertae sunt pondo maximam esse recte observavit editor.

Ad n. **1208**. Ad ripam fluvii *Carron* in Caledonia rep. est a. 1850 eiusdem massae exemplum, inscriptum, ut fertur, ita

IMP · CAES · HADRIANI · AVG · T · M · LV ·

The Stirling Observer d. Sept. 15 a. 1850; M'Caul *britanno-roman inscriptions* p. 47 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 354).

Ad n. **1212**. Massam servari Devae in museo societatis archaeologicae et ita inscriptam esse

CAESARI . . . S · ADON

W. Th. Watkin testis est loco indicato supra ad n. 69. Is *Saudonio* sive *Sandonio* mansionem a Ravennate (5, 31 p. 428, 17) indicatam inter Devam et Mediolanium existimat intellegendam esse. Expectandum donec exemplum aliquod massae eius integrum prodeat.

Tegulas has indagavit W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 356.

Ad n. **1224** *e*. *Hilly Wood* prope *Woodcroft, Nothampton shire*, rep. 1867.

LEG · IX · HIS

A. Trollope *transactions of the Lincoln diocesan archaeological society* a. 1868.

Ad n. **1225** *c*. *Whittlebury*, *Northamptonshire*, rep. a. 1822 exemplum simile in duas partes fractum

LEG et XXVV

Baker *history of Northamptonshire* 2 p. 73.

---

122 (ins. post n. 1231). In *South Shields* tegulae tres rep. sunt a. 1875 sic inscriptae

a | COH V G |

b fragmentum tegulae latum dig. 5, altum 6, crassum 2.



R. Blair ectypum misit.

Punctum et A littera eleganter incisa sunt; infra O aut C inverse conlocata videtur esse. Cf. supra n. 98.

Bruce et Robertus Blair miserunt.

Lege *coh(ortis) V G(allorum)*. Cf. VII 1083.

Cohors V Gallorum sub Domitiano in Pannonia militans (vol. III p. 855 dipl. XII) ab Hadriano videtur in Britanniam deducta esse et in valli termino orientali conlocata. Sub Pio deinde fortasse in Caledoniam perrexit, ubi memoria haec eius adhuc unica servata est.

Ad n. **1233**. Tegulam repertam in *Quernmore Park* adhuc servari apud *Miss Ffarington* in *Worden Hall* testatur W. Th. Watkin loco supra ad n. 1173 indicato.

---

123 (ins. post n. 1233). Tegula rep. a. 1865 *in the stone screen of Berkeley church*, *Gloucestershire*, una cum fragmento similiter inscripto.

DEC · L · VI

Intellectual Observer vol. 7 p. 312.

---

124 (ins. post n. 1244). In parietinis villae Romanae prope *Chelmsford*, *Essex*. Cervi cum lupis pugnantes, litterae saepius repetitae, prorsus ut in n. 1244.

C · I · S

infra

Ǝ ꟼ A

F. Chancellor *proceedings of the Essex archaeological society* vol. 1 p. 59.

125 (ins. post n. 1255). *Filey, Yorkshire*, a. 1857 cum aliis reliquiis Romanis repertum est fragmentum argillaceum (*a bit of shale*), a cuius altera parte scariphata erat una cum lineis aliis, quae nihil visae sunt significare, littera

A

Ab altera parte inscriptio erat versuum duorum, quorum hae litterae supererant:

CAESAR · SE
QVAM · SPE

Thom. Wright in ephemeride *the Intellectual Observer* a. 1865 Oct. p. 234 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 349).

---

126 (ins. post n. 1259). Callevae in tegula scariphatum

BIRGAI
VS

I. Wordsworth qui descripsit mihi misit atque edidit *Academy* a. 1874 p. 434.

Birgaius nomen fuisse putat editor.

---

127 (ins. post n. 1263). Tessera ossea longa dig. circiter 5, lata 1½, reperta intra sarcophagum effossum a. 1873 prope Eburacum in statione viae ferreae, supra pectus defuncti. Supra et infra margo ornatus est; a dextra foramen servatum. Litterae sunt elegantes saeculi alterius tertiive.

DOMINE VICTOR
VINCAS FELIX

Descripsi ex imagine photographa a Ioh. Kenrick mihi missa; I. Raine catalogus musei Eburacensis ed. VI 1875 p. 94 j.

Non christianam esse, ut fuerunt qui putarent, sed adclamationem ad gladiatorem paganum directam monui inscr. Brit. christ. n. 13*.

---

128 (ins. post n. 1265).

a Londinii, rep. in *Finsbury* m. Aug. a. 1874, servata apud S. M. Mayhew, tessera rotunda eiusdem formae et magnitudinis atque n. 1265, sed ex terra fictili rubra facta (unde alteram quoque non lapideam fuisse sed fictilem suspicatur editor), inscripta similiter litteris incusis, puncto supra F adiecto

Ḟ
VI

Tesserae fictiles similes apud eundem, emptae a possessore *at the sale of the effects of a Mr. Lucas, in Staffordshire*; ubi repertae sint, ignoratur. Inscriptae sunt ita:

b A
I

c B
VI

d C
VI

e tessera reperta in fovea campi, ut videbatur, Romani *at Elmham, Norfolk*, inscripta

D
VIII

H. Syer Cuming *association journal* 32, 1876 p. 65 ss. qui *a*—*d* vidit, *e* autem sumpsit ex ephemeride *the Gentleman's magazine* a. 1792 m. Mart. p. 214.

a ad *frumentum*, *b* ad *argentum*, *e* ad *denarios*, *c d* ad alias res fortasse referendas esse proposuit editor, sed modestissima cum dubitatione.

Ad n. **1269** (cf. add. p. 313). Tesserarum plumbearum eius generis, cuius duobus adhuc in Britannia locis solis, i. e. in *Brough* Westmorelandiae et in *Felixstowe* ad litus Saxonicum exempla prodierunt, atque priore potissimum loco magno numero (i. e. aliquot milium, ut adfirmavit W. Thompson Watkin), mireris nondum plura publici iuris facta esse. A me compositis pauca nuper addidit H. Ecroyd Smith, reperta illa in *Brough*; edidit ea Henricus Carolus Coote in actis societatis archaeologicae *of London and Middlesex* (*transactions of the L. and M. archaeological society* 4, 1873 p. 50 ss.; cf. *revue archéologique* 1874 vol. 2 p. 131). Sunt autem haec:

41 ꓤCI (aut IϽꓭ)	44 CVĪT — TVD
42 M/ CΛD	45 //VIR — ILM \
43 ΛLΛ — VAL SIIB — DEĊ	46 M F — V̇CT

Accedit alterum ut videtur exemplum tituli n. 1269, 31. Ab altera tantum parte scriptae sunt 41 42. Ad 42 cf. 1269, 17.

43 *Ala Seb(osiana)*, *Val(erius) dec(urio)*? Editor *Ala Sab(iniana)* legit; minus probabiliter.

44 *C(ohors) VI T(hracum)*? cf. 1269, 15.

45 Est fortasse eadem atque 1269, 11.

46 *M... F.. Vict..?*

Optime autem idem Coote meritus est de interpretatione monumentorum exiguorum neque vere spernendorum. Collatis enim narrationibus in martyrum actis (Acta sincera ed. Ruinart ed. II Amstelod. 1713 p. 300) servatis, veluti in actis Maximilliani a. 295, plumba ea esse demonstravit sive signacula, quae milites cum ad sacramentum adigebantur accipiebant atque deinde portabant collo suspensa, scilicet ut cum sacramenti testimonio etiam cuiusnam numeri sint sigillis istis declararetur. Nomina igitur numerorum inde fere a saeculo tertio medio eis inscripta videntur esse. Itaque optandum est quam maxime, ut accurata omnium eius generis tesserarum sylloge paretur et edatur a doctis Britannis. Extra Britanniam ego frustra adhuc similia circumspexi; qui nummorum veterum thesauros servant ex plumborum numero spreto in universum et in ultimis museorum angulis abdito fortasse similia promere poterunt.

---

129 (ins. post n. 1269). Eburaci in effossionibus viae ferreae a. 1873 repertum est sigillum plumbeum, quod secundum titulum inscriptum ad militem aliquem legionis nonae pertinuisse credunt.

I. Raine catalogus musei Eburacensis ed. VI 1875 p. 97 *n.*

Titulum non adscripsit editor; si recte lectus est, videtur plumbum hoc esse antiquissimum eius generis, cuius exempla adhuc nota composui vol. VII 1269.

---

130 (ins. post n. 1294*a*). In ansa patellae aereae rep. in Caledonia prope *Abergele, Denbighshire.*

CA V
LVAM · NVS F

H. E. Smith *proceedings of the historie soc. of Lancashire and Cheshire* ser. II vol. 9 p. 25 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 354).

---

131 (ins. post n. 1294*a*). In ansa patellae aereae rep. saeculo proximo in fluvio Witham.

C · ARAT

Philosophical transactions, abridged edition vol. 18 p. 39 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 354).

---

132 (ins. post n. 1298). *At Wood Eaton, Oxfordshire, a broken piece of thin metal, stamped with the letters*

EDO

R. Hussey *account of the Roman road from Allchester to Dorchester* etc. (Oxford 1841 8.) p. 38 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 357).

133 (ins. post n. 1298). In manubrio corneo, cui inhaerebat fragmentum ferri alicuius, reperto in urna supra n. 57, litterae extabant

P · R · M

Gentleman's magazine a. 1837 Febr. p. 161 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 351).

---

134 (ins. post n. 1298). Manubrium gladii aereum rep. Iscae Dumnoniorum (*Exeter*) dicitur ita inscriptum esse:

Σ MEFITI · T · EQ · FRIS ·

W. T. P. Shortt *Gentleman's magazine* a. 1836 Aug. p. 156.
Memini me titulum consulto omisisse propter auctoris fidem sublestam. A W. Th. Watkin monitus hic eum addo, ut si fieri potest indagetur quid subsit.

Ad n. **1299—1307**. Anuli hi inscripti praeterea dicuntur in Britannia extare.

a Dubris rep., signum ex metallo albo est.

ΗΡΑΚΛΙ
equus
ΑΗΣ

b Camuloduni; servabat *Lord Braybrooke*. Capita duo in auro, supra

I · M · P

c Ibidem; servabat idem. In gemma cum sphinge

ΘΕΡΜΙΑ

d In via Romana prope *Whittlesey*; signum ex auro

ΕΥΤΟΛΜ

e Procolitiae rep. a. 1871

MAT
RES

a *Archaeol. journ.* 21, 1864 p. 263.
b *Transactions of the Essex archaeological society* 2 p. 63.
c *Archaeol. journ.* 10, 1853 p. 350.
d *Gentleman's magazine* a. 1850 Sept. p. 296.
e C. R. Smith in ephemeride *the Builder* Dec. 2 a. 1871.

Ex his W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 296.

135 (ins. post n. 1318). Sigillum medici ocularii rep. prope *the Ballast Hole* iuxta *Biggleswade Station*, aliquot m. p. versus meridiem a *Sandy, Bedfordshire*. Servat *Londinii J. C. Lucas, Esq.*

a	C · VAL · AMANDI DIOXVM AD REVMAC	*C. Val(erii) Amandi* *dioxum ad reumatic(a)*
b	C VAL AMANDI STACTVM AD CA	*C. Val(erii) Amandi* *stactum ad ca(liginem)*
c	C · VAL · VALENTINI DIAGLAVC POST IMP LIP	*C. Val(erii) Valentini* *diaglauc(iu) post imp(etum) lip(pitudinis)*
d	C VAL VALENTINI MIXTVM AD CL	*C. Val(erii) Valentini* *mixtum ad cl(aritatem)*

In superficie tabellae iuxta *a* scariphatum est DIOX
iuxta *b* STAC
iuxta *c* DIAGLAVC
iuxta *d* MIXT

C. Knight Watson *proceedings of the soc. of Antiq.* ser. II 6, 1873 p. 39 ss. (inde ego *archaeol. Zeitung* 31, 1874 p. 138 s.; I. Klein *Bonner Jahrb.* 55/6, 1875 p. 132), qui recte omnino explicuit.

Emendatur inde lectio sigilli vol. VII 1318 *c* et *d*; ibi enim *dioxum* re vera legi ectypa apud societatem servata monstrant teste Watsonio. Medicaminis proprietatem inlustravit Kleinius, quem vide.

---

136 (ins. post n. 1318). Sigillum ex lapide (*drabcoloured limestone, somewhat like honey-stone*) rep. a. 1873 in *Leicester, High Cross Street*; servatur ibi in museo. Facies lapidis longa est dig. 2½. Inscriptum est litteris optimis

C PAL ·
GRACILIS

infra
scariphatum
est caput humanum

Descripsi ex ectypo ab A. W. Franks misso, qui edidit *proceedings of the Society of Antiquaries* ser. II 6, 1875 p. 271 s.

Formam sigilli huius similem esse atque sigilli vol. VII 1308 observavit Franks; unde fortasse hoc quoque attribuendum est medico alicui oculario.

137 (ins. post n. 1321*a*). Eburaci in effossionibus viae ferreae a. 1868 prodiit fragmentum tabellae laevigatae ex lapide fissili coloris viridis (*a portion of a finely polished tablet of green stone or slate*), quae videtur in marginem ligneum inclusa fuisse. Servatur Eburaci in museo dono Guil. Greenwell canonici Dunelmensis. Scariphatum in ea est (*rougly scratched*)

CANDIDVS

I. Raine catalogus musei Eburacensis ed. VI 1875 p. 100 *l.*

Videtur pertinuisse ad idem vel simile sigillorum genus atque medicorum oculariorum.

---

138 (ins post n. 1324). Signaculum aereum rep. Camuloduni ibique servatum in museo.

BIOKNO

W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 355.

Novi, sed genuinum non putavi. Videbunt, qui iterum examinabunt.

---

139 (ins. post n. 1324). Signaculum aereum rep. alicubi in *Oxfordshire*; periit.

ELEPAV

I. E. Nightingale exhibuit instituto archaeologico Britannico; W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 355 edidit.

Vix recte lectum.

---

140 (ins. post n. 1332, 6). In fragmentis amphorarum repertis a. 1876 in *Southshields* haec sunt scariphata

a |BEK SIM

b \\I VLES

Robertus Blair ectypa misit.

---

141 (ins. post n. 1332, 6). Olla cretacea rep. Cantabrigiae in fundamentis carceris; inscriptum erat in parte exteriore circa corpus ollae:

////C · ICC M/IA/PCE

Gentleman's magazine a. 1802 Nov. p. 1000 tab. 2 fig. 1 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 350).

Denique falsarum quoque caput haec nanctum est supplementa.

25* (ins. post n. 4*). Viroconii rep. et alicubi in vicinia servata.

deabus
nymphis
britanniae
l. caractacus
cornavius
v. s. l. m.

Proceedings of the Chester archaeological society vol. 1 (1853) p. 430 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 358).

C. R. Smith apud Watkinum testatur, titulum esse *so very fresh and perfect* et lapidem *apparently so new.* Caractacus Cornavius sane non eget crisi severiore.

26* (ins. post n. 24*). Eburaci, rep. versus *Dringhouses*, signaculum ferreum argento inclusum; in parte anteriore facies hominis est et litterae

FLAVIVS · DOMI ·

In parte aversa eques flagellum gerens et litterae

HOMO ET EQVVS

Gentleman's magazine a. 1845 Sept. p. 302 (inde W. Th. Watkin *archaeol. journ.* 31, 1874 p. 356, qui videtur pro genuiuo habero).

CONSPECTVS NVMERORVM

quibus tituli designati sunt in corporis inscriptionum volumine VII (C) comparatorum cum numeris titulorum in Brucii lapidario septentrionali (L).

C.		L.	C.		L.	C.		L.
292	—	817	301a	—		311	—	742
293			302	—	809	312	—	743
294	—	749	303	—	811	313	—	740
295	—	808	303a	—	752	314	—	938
296	—	746	304			315	—	789
296a	—	744	305	—	750	316	—	939
297			306	—	750	317	—	788
298	—	745	307	—		318	—	790
299	—	810	308	—	739	319	—	797
300			309	—	738	320	—	792
301	—	748	310	—	741	321	—	791

C. 322	—	L. 803	C. 370	—	L. 874	C. 419	—	L. 727
323	—	794	371	—	860	420	—	725
324	—	799	372	—	861	421′		
325	—	796	373	—	854	422	—	728
326	—	802	374	—	853	423	—	715
327	—	800	375	—	850	424	—	716
328	—	795	376	—	855	425	—	718
328a	—	801	377	—	863	426	—	717
329			378	—	856	427	—	720
330			379	—	846	428	—	
331			380	—	857	429	—	722
332	—	793	381	—	862	430	—	726
333	—	530	382	—	847	431	—	687
334			383	—	852	432	—	686
335			384	—	849	433	—	684
336	—	835	385	—	851	434	—	689
337	—	832	386	—	858	435		
338	—	822	387	—	859	436	—	676
339	—	836	388	—	848	437	—	678
340	—	821	389	—	864	438	—	677
341	—	823	390	—	869	439	—	679
342	—	825	391	—	870	440	—	685
343	—	824	392	—	872	441	—	681
344	—	827	393	—	875	442	—	688
345	—	819	394	—	865	443	—	692
346	—	829	395	—	867	444	—	691
347	—	828	396	—	866	445	—	699
348	—	830	397	—	868	446	—	700
349	—	834	398	—	871	447	—	702
350	—	833	399			448	—	703
351	—	820	400	—	887	449	—	704
352	—	818	401	—	891	450	—	682
353	—	841	402			451	—	683
354	—	839	403	—	892	452	—	541
355	—	837	404	—	884a	453	—	543
356			405	—	880	454	—	542
357	—	840	406			455	—	544
358	—	838	407	—	881	456	—	545
359	—	911	408	—	879	457	—	664
360	—	917	409	—	882	458	—	665
361	—	905	410	—	883	459	—	666
362	—	913	411	—	885	460	—	672
363	—	914	412	—	884	cf. 1344d		
364	—	912	412a	—	886	461	—	671
365	—	915	413			462	—	674
366	—	916	414	—	893	463		
p. 85	—	878	415			464	—	673
367	—	876	416	—	906	465		
368	—	877	417	—	903	466		
369	—	873	418	—	904	467		

C. 468	—	L.	C. 515	—	L. 29	C. 558	—	L. 83
469	—		516	—	26	559	—	84
470	—	669	517	—	33	559a	—	85
p. 97	—	637	518	—	34	560	—	86
p. 97	—	636	519	—	35	561	—	104
471	—	639	520	—	36	562	—	92
472	—	638	521a	—	37	562a	—	93
473	—	642	521b	—	38	563	—	94
474	—	645	522	—	39	564	—	95
475	—	647	523	—	40	565	—	96
476			524	—	41	566	—	97
477	—	937	525	—	55	567	—	98
478	—	640	526	—	42	568	—	99
479			527	—	43	569	—	100
480	—	659	528	—	50	570	—	105
481	—	656	528a	—	44	571	—	87
482	—	660	528b	—	45	572	—	91
483	—	658	529	—	46	573	—	89
484	—	662	530a	—	54	574	—	88
485	—	661	530b	—	46	575	—	90
486	—	10	530c	—	47	576	—	101
487	—	4	531	—	52	577	—	108
488	—	5	532	—	53	578	—	107
489	—	8	533a	—	48	579	—	111
490	—	6	533b	—	49	580	—	112
491	—	7	534	—	51	581	—	110
492	—	9	535			582	—	109
493	—	1	536	—	56	583	—	113
494	—	2	537	—	28	584	—	122
495	—	106	538	—	30	585	—	121
496	—	537	539	—	31	586	—	123
497			540	—	32	587	—	116
498a	—	538	541	—	63	588	—	117
498b	—	539	542	—	62	589	—	120
499	—	12	543			590	—	118
500	—	11	544	—	65	591	—	146
501	—	13	544a	—	61	592	—	124
502	—	14	545	—	70	593	—	125
503	—	20	546	—	71	594	—	126
504	—	21	547	—	73	595	—	
505	—	17	548	—	75	596	—	139
506	—	16	549	—	76	597	—	127
507	—	23	550	—	74	598a	—	128
508	—	19	551	—	81	598b	—	129
509	—	18	552	—	77	599		
510	—	22	553	—	80	600	—	130
511	—	24	554	—	79	601	—	131
512	—	25	555	—	78	602	—	132
513	—	27	556			603	—	133
514	—	16	557	—	67	604	—	134

C. 605	—	L. 135	C. 652	—	L. 186	C. 701	—	L. 257
606	—	138	653			702	—	250
607	—	143	654	—		703	—	251
608	—	136	655	—	181	704	—	244
609	—	142	656			705	—	245
610	—	147	657			706	—	246
611	—	145	658	—	194	707	—	248
612	—	140	659			708	—	247
613	—	144	660	—	199	709	—	254
614	—	137	661	—	200	710		
615	—	141	662	—	201	711	—	253
616	—	119	663	—	202	712	—	255
617	—	153	664	—	203	713	—	260
618	—	154	665	—	204	714		
619	—	155	666	—	205	715	—	262
620			667	—	210	716	—	264
620a	—	158	668	—	211	717	—	266
621	—	157	669	—	212	718	—	265
622	—	161	670	—	213	719	—	267
623	—	159	671	—	214	720	—	268
624	—	160	672	—	215	721	—	269
625	—	162	673	—	216	722		
626	—	163	674			723	—	258
627	—	164	675	—	217	724	—	259
628a	—	165	676	—	218	725	—	274
628b	—	166	677	—	219	726	—	275
629	—	167	678	—	220	727	—	278
630	—	169	679	—	221	728	—	277
631	—	168	680	—	225	729	—	276
631a	—	932	681	—	223	730	—	284
632	—	193	682			731	—	286
633	—	187	683	—	222	732	—	285
634			684	—	226	733		
635	—	179	685	—	224	734		
636	—	177	686a	—	227	735a. b	—	290
637	—	178	686b	—	228	736	—	292
638	—	173	687	—	229	737		
639	—	176	688			738	—	293
640	—	172	689	—	209	739	—	282
641	—	175	690	—	196	740	—	283
642	—	182	691	—	195	741	—	289
643	—	184	692	—	198	742	—	287
644	—	183	693	—	197	743	—	281
645	—	189	694			744	—	298
646	—	190	695	—	206	745	—	309
647	—	191	696	—	207	746	—	310
648	—	185	697	—	208	747	—	308
649			698			748	—	301
650	—	675	699			749	—	302
651	—	180	700			750	—	304

C. 751	—	L. 934	C. 801	—	L. 376	C. 850	—	L. 457
752	—	296	802	—	374	851		
753	—	297	803	—	373	852	—	398
754	—	299	804			853		
755	—	300	805	—	371	854	—	399
756	—	305	806	—	357	855		
757	—	307	807	—	358	856*a*	—	407
758	—	303	808	—	354	856*b*	—	408
759	—	306	809	—	350	857	—	403
760	—	316	810	—	349	858	—	404
761	—	320	811	—	367	859	—	405
762	—	319	812	—	361	860		
763	—	318	813	—	355	861		
764	—	315	814	—	362	862		
765	—	314	815	—	356	863	—	409
766	—	317	816	—	348	864	—	401
767	—	311	817	—	364	865	—	383
768	—	313	818	—	351	866	—	382
769	—	295	819	—	352	867	—	384
770			820	—	359	868	—	380
771			821	—	363	869	—	388
772			822	—	360	870		
773	—	327	823	—	353	871*a*	—	411
774	—	328	824	—	365	871*b*	—	412
775	—	337	825	—	366	871*c*	—	413
776	—	336	826	—	369	871*d*		
777	—	331	827			871*e*	—	414
778	—	334	828	—	378	871*f*	—	410
779	—	333	829	—	377	871*g*	—	415
780	—	335	830	—	370	872	—	402
781	—	338	831	—	372	873	—	435
782	—	344	832	—	381	874	—	434
783			833	—	386	875	—	440
784	—	339	833*b*	—	387	876	—	433
785	—	341	834			877	—	426
786	—	342	835	—	374	878	—	427
787	—	345	836	—	385	879	—	424
788	—	346	837	—	368	880	—	425
789	—	340	838	—	389	881	—	428
790	—	343	839			882	—	423
791			840	—	390	883	—	429
792	—	330	841	—	391	884	—	430
793	—	321	842	—	394	885	—	431
794	—	322	843	—	393	886	—	432
795			844	—	395	887	—	441
796			845	—	392	888	—	438
797	—	323	846	—	804	889	—	437
798	—	329	847	—	396	890	—	436
799	—	324	848	—	397	891	—	443
800	—	375	849	—	406	892		

C. 893	L. 439	C. 941	L. 514	C. 989	L. 593
894	449	942	517	990	595
895a. b	451	943	509	991	590
896	445	944	516	992	596
897	465	945		993	597
898	455	946	529	994	606
899	456	947	522	995	558
899a	464		523	996	603
900	458	948	520	997	604
901	460	949	526	998	607
902		949a	527	999	608
903	461	950	521	1000	610
904	462	951	528	1001	627
905	463	952		1002	628
906	446	953	764	1003	626
907	447	954	763	1004	629
908	448	955	769	1005	594
909		956	761	1006	
910		957	762	1007	630
911	452	958	765	1008	632
912	469	959	767	1009	611
913	470	960	766	1010	633
914	478	961	770	1011	622
915	479	962	783	1012	624
916	499	963		1013	619
917		964	772	1014	616
918	459	965	774	1015	620
919		966	776	1016	618
920	480	967	777	1017	612
921a. b	505	968	778	1018	615
921c	506	969		1019	617
922	468	970		1020	609
923		971		1021	623
924	488	972	771	1022	621
925	487	973	773	1023	625
926	486	974	732	1024	613
927	490	975	730	1025	614
928	489	976	731	1026	
929	498	977	733	1027	
930	496	978	736	1028a	631
931	497	979	737	p. 178	555
932	495	980	605	1029	534
933		981	936	1030	552
934	512	982	600	1031	553
935	513	983	601	1032	549
936	511	984	602	1033	548
937	507	985	599	1034	547
938	518	986	598	1035	546
939	515	987	591	1036	554
940	508	988	592	1037	551

C. 1038	—	L. 550	C. 1058	—	L. 562	C. 1285	—	L. 535
1039	—	557	1059	—	563	1286	—	652
1040	—	559	1153	—	747	1287	—	651
1041	—	567	1166	—	261	1289	—	453
1042a	—	569	1176	—	815	1291	—	416
1043	—	568	1178	—	843	1299	—	536
1044	—	570	1186	—	69	1300	—	655
1045	—	571	1188	—	326	1329	—	908
1046	—	572	1190	—	450	1338b	—	152
1047			1193	—	p. 3	1344	—	798
1048			1194	—	p. 5	1344b	—	719
1049	—	574	1195	—	p. 6	1345	—	657
1050	—	573	1223d	—	72	1346	—	922
1051	—	575	1223h	—	649	1347	—	931
1052	—	576	1223k	—	577	1348	—	379
1053			1228	—	288	1350	—	643
1054	—	560	1229	—	670	1349	—	634
1055	—	565	1232	—	894	1350a	—	653
1056	—	561	1234	—	721	1353	—	923
1057	—	564	1248	—	501			

AEM. HÜBNER.

SENATVS CONSVLTVM FACTVM DE CYZICENIS
INTER A. CXXXVIII—CLX.

In hac ephemeride (2, 271 seq.) cum nuper Wilmannsius noster proposuerit senatus consultum a. 138 omnium ad id usque tempus in aere lapideve repertorum recentissimum, huic, quod Africa nobis restituit, iam supervenit alterum ex Asia etiam recentius, quod illi statim placet adiungere, cum praesertim Newtoni quique cum eo museo Britannico praesunt officiosa sedulitas ectypum eius tituli optimum subministraverit.

Prodiit lapis nuper ex Cyzici ruinis, unde translatus est Londinium in museum Britannicum. Edidit eum ad ectypum a Tito Carabella missum Georgius Perrot in eph. *Revue archéologique* vol. 31 (1876) p. 350—353. Superest principium tantum et hoc quoque pluribus locis hiatibus interruptum; nihilominus utilia quaedam inde intelleguntur.

*s. c. de p*OSTVLATIONE · KYZICENOR · EX ASIA
QVI DICVNT VT · CORPVS · QVOD APPELLATVR NE
· ON ET·HABENT IN CIVITATE SVA AVCTORITATE
*amplissimi o*RDINIS CONFIRMETVR · SCRI
*bendo adfue*RVNT · M · AELIVS · IMP · TITI AELI
*hadriani an*TONINI · F · PAP · AVRELIVS · VE
rus S · M · F · GAL · VERVS · M HOSIDIVS
M I A *get*A · M · ANNIVS · M · F · GAL · LIBO Q ·
POMPI Q · F · HOR · BASSIANVS · L · FL · L · F ·
QVIR · IVLIANVS · L · GELLIVS · L · F · TER · SEVERVS ·
Q · SENTENTIA · DICTA · AB · APPIO GALLO
COS · DESIG · RELATIONE · IIII · CONCEDENTE
IMP · CAES*are Tito a*ELIO HADRIANO AN
TO*nino aug. pio* IIII · RELATIONE SVA
*kyzicen*OS · EX · ASIA
*quos neos a*PPELLANT

Supplementa quae adscripsi sunt fere Perrotiana exceptis iis de quibus infra monui. Videamus autem primum de sollemnibus, deinde de personis, denique de ipsa re.

V. 1 Perrotus [*S. c. de condi*]*tione Kyzicenorum* non recte; id enim vocabulum per *c* scribendum fuit. Immo in ectypo mihi misso cum deprehenderim ꞏSTVLATIONE, certo efficitur fuisse in lapide [S · C · DE · P]OSTVLATIONE, quo hiatus iuste expletur. Similiter senatus consultum Africanum supparis aetatis incipit *s(enatus) c(onsultum) de nundinis saltus Beguensis ... descriptum et recognitum* cet., videnturque eiusmodi praescriptiones ab antiquiore consuetudine abhorrentes hac aetate inter sollemnia receptae esse. Eo nomine autem differunt duo haec senatus consulta, quod petitio, de qua senatus decernit, in Africano secundum usum antiquum in ipsum tenorem consulti receptum est: *quod ... consules verba fecerunt de desiderio amicorum Lucili Africani c. v., qui petunt, ut* cet., in Asiano hoc consultum praecedit: *qui dicunt, ut* cet. Inde item explicatur quae sine causa Perrotum offendit particula *ut* post dicendi vocabulum; ea enim legitima est, ubi id ad iubendi petendive significationem deflectit, ut exempli causa legitur apud auctorem ad Her. 4, 50, 63: *ei dicit in aurem ut domi lectuli sternantur.*

Praescriptionis capita duo quae sequuntur in Africano de descriptione et recognitione, item de loco senatus consulti facti in Cyziceno omissa sunt. Sequuntur in utroque nomina eorum qui scribendo adfuerunt, habentque duo senatus consulta hoc proprium, quod in utroque adhibentur testes septeni, in his autem bini extremo loco nominati quaestores sunt. Nam quod Wilmannsius cum illud edebat recte in incerto reliquit (p. 277), ille numerus utrum casui tribuendus sit an communis lex de septem testibus adhibendis ea aetate ad ipsa senatus consulta pervenerit, id post alterum consultum prolatum iam videtur ita diiudicatum, ut haec sententia obtinuerit.

De quaestoribus autem quod ipse dixi l. c. p. 283, egregie hoc secundo consulto confirmatur. Perperam Perrotus litteram singularem a qua incipit v. 11 Q· *quod* significare sibi persuasit; nam neque eiusmodi notatio recepta est nec recte sic procedit oratio, cum particula *quod* ita plane abundet. Ceterum cautius in senatus consulto Africano littera Q utrique eorum qui postremo loco nominantur adscripta est quam semel ponitur in Cyziceno, cum ita ex hoc ipso non appareat, utrum *quaestor* legendum sit an *quaestores* et hoc posito quatenus pluralis is perveniat.

Iam subicitur relatio, de qua senatus decrevit; sed recedit ea a forma consueta. Scilicet cum senatus consultum incipere soleat a relatione magistratuum (*quod consules verba fecerunt*), sequantur sententiae ita contracae, ut singularum mentio nulla fiat, sed summa per capita declaretur (*cum illa ita se haberent*), denique veniat ipsum decretum (*placere senatui*), hic e contrario refertur praeter locum, quo haec quaestio eo die in senatu tractata est, sententia eius qui primus censuerit cuique probabile est reliquos adsensisse. Comparari poterunt municipalia decreta quaedam (v. Huebner de senatus populique R. actis p. 27), maxime Tergestinum vol. V n. 532,

in quo rationes decernendi exponuntur praemissis verbis *primo censente* illo, item Aquileiense vol. V n. 961, cui in fine adscriptum est *prim(us) cens(uit)* ille. Similia tamen haec magis sunt quam paria, videturque quod pro sententia dixit is qui primus censuit in hoc consulto enuntiatum esse per accusativum cum infinitivo pendentem a dicendi vocabulo; nam extrema v. 14 seq. sic fere apparet formata fuisse *se in relatione sua priore dixisse Kyzicenos ex Asia ut eorum quos neos appellant corpus auctoritate amplissimi ordinis confirmetur iure requirere sibi videri.* At plane novum est in eiusmodi decretis, quod quo loco senatus inter eius diei res actas hanc petitionem expedierit enuntiatur itemque adicitur quartum locum ei datum esse concedente imperatore. Ita tandem aliquando illustratur quod adhuc plane obscurum fuit ius tertiae, quartae, quintae relationis imperatori permissum, de quo iure quae apud auctores reperiuntur composui in iuris publici vol. 2 p. 837. Et hoc quidem satis ibi mihi videor demonstravisse ius relationis non pertinuisse ad imperatorem praesidentem, sed eo dato constitutum esse, quid fieret si absens ipse de scripto relationem ad senatum faceret: scilicet id cum alii magistratui nulli liceret ipsi ita permissum est, ut ad certum numerum eiusmodi relationes ei concederentur. Hoc tamen ignorabatur item adiectum esse de iis relationibus ad eum usque numerum ut ante reliquas omnes senatus decerneret; qua de re post inventum senatus consultum Cyzicenum iam satis constat.

Septem testes qui nominantur sunt hi.

1. *M. Aelius imp. Titi Aeli [Hadriani An]tonini f. Pap. Aurelius Ve[rus]*, scilicet Marcus Caesar patre vivo inter a. 138 et 161. Patrocinium quoddam Cyzicenorum apud eum domumque eius fuisse non sine veri specie conicietur, cum praeterea laudetur eiusdem Marci Augusti facti oratio Cyzicena (Fronto ad Anton. ep. 1, 2 p. 99 Nab.) et praeter ipsum Marcum patruelis certe eius Annius Libo, fortasse etiam Annius Verus nescio qui item Marco sanguine coniunctus inter testes senatus consulti recenseantur. — Notanda est tribus, quae ut in senatorii ordinis viris in universum raro enuntiatur, ita nusquam praeterea quod sciam imperatori domusve imperatoriae cuidam attribuitur; hic autem omitti non potuit, cum in senatoribus qui scribendo adessent sollemnis esset. Tribus ea cum Papiria sit, inde videtur recte colligi familiam imperatoriam, ex qua Marcus fuit, oriundam esse ex municipio aliquo ei tribui adscripto; idque vere ita se habet. Nam princeps eius familiae Nerva fuit civis Narniensis (Victor epit. 12); Narnienses autem in Papiria tribu fuisse efficitur ex titulo Henzeni n. 5129 et laterculo militum urbanorum nuper reperto vol. VI n. 3884. — Deinde recte huc referemus quae biographus Marci c. 10 narrat: *semper cum potuit interfuit senatui, etiamsi nihil esset referendum, si Romae fuit, si vero aliquid referre voluit, etiam de Campania ipse venit ... neque umquam recessit de curia, nisi consul dixisset: 'nihil vos moramur, patres conscripti'*, etsi haec magis de principe quam de Caesare scripta esse videntur. Erravit me iudice Perrotus, cum sibi persuasit haec animi civilis documenta non potuisse edi a Marco nisi in ipsa adulescentia et propterea consultum refert ad annos

Pii priores. Nulla enim causa est, quae Marcum ad tribuniciae potestatis fastigium iam a. 146 provectum, deinde vero ad patris mortem usque eundem locum obtinentem a senatoriis officiis arcuerit, modo ea in se recipere vellet.

2. .....*s M. f. Gal. Verus* qui fuerit, nescio; nam de Pii socero, avo Marci M. Annio Vero consule ter cogitari non poterit, quamquam ad a. usque 138 eum constat advixisse (vita Pii 4). Ad ipsam Marci familiam hunc hominem nihilominus ut referamus praeter cognomen tribus quoque suadet, de qua dicemus ad nomen quartum.

3. *M. Hosidius M. f. A* ... [*Get*]*a* item ignotus descendit fortasse ex Cn. Hosidio Geta consule inter a. 41 et 46 (v. quae dixi in actis minoribus soc. Saxonicae a. 1852 p. 276), qui cum collega senatus consultum fecit de aedificiis non diruendis.

4. *M. Annius M. f. Gal. Libo* videtur esse Marci patruelis, scilicet filius patrui eius cognominis consulis a. 128, is qui legatus Syriae periit a. 165 (vita Veri c. 9). Tribus Galeria apta est; nam Annius Verus huius familiae princeps *ex Succubitano municipio ex Hispania factus senator* est (vita Marci 1); Succubi autem oppidum quamquam proprie ubi fuerit traditum non habemus, Hispaniam magna ex parte in Galeria censam esse satis constat. — Borghesius tamen in fastis ineditis nomina diversa posuit, scilicet pater ad a. 128 ibi appellatur *L. Annius M. f. Libo*, filius inter incertos sub Pio consules collocatus dicitur *M. Annius L. f. M. n. Sabinus Libo*, quibus obsecutus Perrotus nostri decreti Libonem alium esse iudicavit. At videndum ne errarit Borghesius. Scilicet patri consuli a. 128 praenomen mutavit propter figlinam relatam in adnotatione Renieri opp. 3, 244: EX P L ANN LIBO SAL EX OFF AN DEC | SERVIANO III ET VARO | COS; filii nomen praeterea formavit ad titulum Lavinatem Orell. 124 consecratum divo Antonino curatore *M. Annio Sabino Libone c. v.* At praeterea si Borghesio innotuisset senatus consultum Cyzicenum, vix retinuisset quam ex tegula illa de praenomine consulis a. 128 ceperat opinionem, sed magis dominum eius praedii a consule diversum iudicavisset, ut iam nos iudicamus.

5. *Q. Pompe*[*ius*] *Q. f. Hor. Bassianus* praeterea ignotus est. Pomponium in lapide non fuisse intellegitur ex litterae quintae fractae apice inferiore, qui non potest fuisse O, sed fuit I aut E similisve.

6. *L. Flavius L. f. Quir. Iulianus* } huius anni quaestores urbani item
7. *L. Gellius L. f. Ter. Severus* } quod sciam alibi non nominantur.

Ad testes hos septem accedit

8. *Appius Gallus* consul designatus. Nepos is videtur fuisse Ap. Annii Galli, consulis cum L. Verulano Severo imp. Vespasiano (Maffei M. V. 126, 1; Borghesi opp. 5, 324. 6, 251), cuius Tacitus et Suetonius passim meminerunt, filius Ap. Annii Trebonii Galli consulis ordinarii a. 108 cum M. Atilio Bradua (Grut. 65, 7 = C. I. L. VI, 680; Henzen 7165). Ipsum Perrotus probabiliter credit Gallum eum, quem fasces gessisse cum Marcello quodam colligitur ex diplomate vol. III p. 883 scripto et ipso imperante Pio. Id cum eosdem fere testes habeat atque alterum l. c. p. 882 anni p. C. 157, eiusdem fere aetatis esse ego iudicaram; quod si de Gallo verum vidit Perrotus

item ad senatus consultum pervenit. Nullam enim causam esse, cur Marcum Caesarem eo tempore scribendo senatus consulto adesse potuisse negemus, supra iam diximus.

Corpus quod appellatur neon, id est opinor νέων sive iuvenum, quale fuerit et num possit componi cum iuvenum corporationibus in Italia passim inventis, videant quorum interest; ego unum addo Perrotum scripsisse *ne*[*o-cor*]*on* contra lapidem, cum v. 3 integer supersit eiusque prima littera quae est O cernatur sub prima versus secundi quae est Q. — Maioris momenti est, quod ex hoc decreto de iure coeundi in Asiae urbe alteroque de iure nundinarum Africano iam certo colligitur eiusmodi auctoritatem ut in Italia, ita in provinciis populi Romani sub imperatoribus a senatu petendam fuisse. Dixi de ea re in iuris publici vol. 2 p. 827, quo sufficit lectores remisisse.

TH. MOMMSEN.

TESSERAE GLADIATORIAE.

ADDITAMENTVM AD CORPORIS VOL. I.

Anno MDCCCLXVII e Britannia redux additamenta non nulla composui ad titulos tesserarum illarum, quas gladiatorias dicere consuevimus, ex musei Britannici thesauris deprompta[1]). Titulos illos varias ob causas memorabiles Mommsenus primus a. 1863 collegit et commentario brevi sed dilucido illustravit in corporis inscriptionum vol. I p. 195 ss. (n. 717—776[b]). Eum secutus Ritschelius monumenta ipsa quotquot nancisci potuit delineata proposuit addita disputatione ampla[2]), qua quaestionem de interpretatione titulorum satis impeditam ad finem perducere atque, quo de Mommsenus non ultra prudentem dubitationem processerat, re vera ad gladiatores eos referendos esse probabili ratiocinatione efficere conatus est. Probabilitatem eius opinionis confirmare studui in disputatione de tessera Hispana, quam indicavi; neque vero tacui, de singulorum vocabulorum interpretatione adhuc restare dubitationem non levem.

Non multa inde ab illo tempore videntur innotuisse eius generis monumenta; sane nemo, quantum equidem scio, eorum indagandorum causa musea publica privataque, in quibus talia solent fere delitescere, dedita opera perscrutatus est. Memini in descriptione musei *Fol*, quod Genevae est, eius generis quaedam me vidisse[3]); complura sine dubio adhuc latent in Italiae Galliae Germaniae Russiae museis.

---

[1]) Prodierunt additamenta illa una cum illustratione tesserae in Hispania repertae anni p. C. 27 (C. I. L. II 4963) in actis academiae Berolinensis minoribus a. 1867 p. 760 ss. versaque est commentatio mea integra in Gallicum sermonem ab Henrico Gaidoz editaque cum supplementis aliquot meis in ephemeride *revue archéologique* vol. XVII 1868 p. 408 ss.

[2]) In actis academiae Monacensis class. philos. philol. et hist. vol. X parte II a. 1864 p. 293 ss. cum supplementis mus. Rhen. a. 1864 p. 459 et a. 1866 p. 292. 468 editis. Vide etiam Henzenum *bullet. dell' inst.* a. 1865 p. 103.

[3]) *Catalogue du musée Fol* vol. II (Genevae 1875 8.) p. 555 ss. recensentur tessera gladiatoria anni incerti inscripta ita T·CARISI | L·CESTI | SP·ID·APRI· | Q· METEL·P aut eadem, quam Ritschelius edidit in mus. Rhen. a. 1866 p. 292. 468, aut eiusdem exemplum alterum (effigies eius data tab. XIX fig. 4 eiusdem voluminis genuinam esse minime demonstrat); praeterea tesserae rotundae eburneae osseaeve aliquot amphitheatrales, ut videntur, inscriptae COS-VIII et in parte postica IIII una, aliis numeris (XVI, X, V, III) reliquae.

Ut plena omnium sylloge paretur priusquam ad quaestionem universam denuo tractandam procedatur sane optandum est. Interea iuvabit hic commemorare monumentum eius classis unum, quo memorabilius nullum haec tempora tulerunt.

Tria, ut olim exposui, iam nota erant exempla tesserarum ab reliquis sexaginta plus minus diversa eo, quod titulum plene perscriptum exhibent, quem illae compendiis tantum scriptum habent. Ab his, quae perscriptae sunt, repetendos esse interpretationis conatus omnes manifestum est. In illis enim ad gladiatoris nomen solet addi vocabulum scriptum *sp* saepissime, rarius *spe* aut *spect*, semel (si fides habenda exemplo, ut videtur, accurate excepto) *spectat*, quod post alios Ritschelius potissimum nos iussit de gladiatore

spectato satis et donato iam rude

cum Horatio accipere. Contra in hisce *spectavit* perscriptum est:

1.

DIOCLES
VECILI
SPECTAVIT
A·D·V·K·FEBR

Guasco solus servavit (inde Ritschl n. *70).

2.

PILOMVSVS PERELI
SPECTAVIT

In lateribus duobus reliquis tridens et palmae ramus incisi sunt.

Tomasinius et Pignorius servaverunt (inde C. I. L. I p. 200[b]; Ritschl n. *71).

3.

PROTEMVS FALERI
SPECTAVIT
N · S

Vidi ego in museo Britannico et edidi act. acad. Berol. menstr. a. 1867 p. 762; a Wieselero acceptam Ritschelius mus. Rhen. a. 1866 p. 469.

N. S. est *nonis Sextilibus* aut *Septembribus*.

Pilomusi et Protemi tesseras sermonis et litteraturae forma (inprimis ᒥ angulata et prorsus aperta) liberae rei publicae temporibus adsignat; Dioclis videtur recentior esse. A Ritschelio damnatas omnes propter ipsam *spectavit* formam vindicare olim iam conatus sum nisus Protemi tessera sola tum superstite. Ecce quartum nuper accessit exemplum reliquis simillimum.

Etenim Corneti in veteris Tarquiniae situ, quem fuisse putant locorum periti, in praedio dicto *Città e Casalta* inter rudera templi aliorumque aedificiorum vetustorum hoc ipso anno MDCCCLXXVI reperta est, ut didici ex relationibus a Iosepho Fiorelli collectis et editis[1]), tessera ossea, formae

[1]) *Notizie degli scavi di antichità comunicate alla R. Accademia dei Lincei, Febbrajo 1876* (Romae 1876 4.) p. 19.

oblongae solitae cum ansa rotunda circulisque ornata ad rosae modum, neque vero, ut videtur, perforata (*ha forma di rettangolo terminato in un disco con rosetta a linee concentriche*); longa est m. 0. 5, alta 0. 1, crassa 0. 05. Inscripta est, ut n. 2, a duobus tantum lateribus; latera reliqua duo ornata sunt alterum caduceo supra tridentem, alterum corona supra palmam; ut hic similiter atque in n. 2 tridentem ad retiarium referre pronum sit. Verba autem tituli haec sunt.

4. GENTI · PACONI · T · S
SPECTAVIT

Infra in basi tesserae scariphata est littera singularis

S

Id est *Genti(us) Paconi T(iti) s(ervus) spectavit.* Quid S illa extra ordinem tituli addita significet nemo facile divinaverit; diei nota, ut in N · S tesserae Protemi, non videtur intellegenda esse. De litterarum forma nihil adnotatur; servilis condicionis indicatio, item *Genti* nominativus non perscriptus ad liberae rei publicae usum spectant. Gentius servile nomen originis Illyricae notum est amicis musae Lucilianae, Paconia gens ex Ciceronis Miloniana atque ex titulis non nullis, quorum unum vetustum Setiae repertum (C. I. L. I 1159) nominare sufficiat.

De tesserae Tarquiniensis vetustate nemo dubitabit; Arelatensis, in qua *spectat* vocabulum item videtur perscriptum esse, ad quattuor, quas hic composui, accedit. Quid spectasse vel spectare dici potuerit servus gladiator aliquis certo quodam die anni certi adhuc nos latet; in tesseris vero reliquis omnibus, in quibus *sp* vel *spe* aut *spect* legitur, nihil aliud indicari probabile est.

In mentem venit Mommseno (mihique visum est prohari posse) gladiatores rude donatos fortasse transiisse ex arena in caveam spectandique ius adeptos esse ibi, ubi antea spectabantur. Eius iuris initium memoriae tradi potuit veluti honesta missio quaedam in tesseris gladiatoriis. Horatii versus sane non obstat huic opinioni.

AEM. HÜBNER.

Prodiit d. 16 Decembris 1876.

Formis Academicis (G. Vogt).

LEX METALLI VIPASCENSIS.

ADDITAMENTVM AD CORPORIS VOL. II.

Aljustrel vicus est in Lusitania meridionali situs medio fere inter Anae cursum et oram maritimam itinere, a montibus, qui *Algarve* regnum claudunt, versus septentriones, in planitie alta, quam Lusitani nunc campum *de Ourique* dicunt[1]. Ab Ossonoba portu meridionali, qui fuit prope hodiernam *Faro* urbem, Olisiponem per regionem illam viam fuisse certum est; sed cum itinerarii Antoniniani itinera, quae huc pertinent, plane confusa sint, de viae eius mansionibus certi nihil statui potest. Tamen probabile est castellum vetus, cuius supra vicum *Aljustrel* parietinae supersunt, a Mauris saeculo decimo occupatum tantum esse, non funditus extructum. Scilicet Romanae aut antiquioris etiam originis illud videtur esse, quanquam aliae vitae Romanae reliquiae quod sciam adhuc ibi repertae non sunt. Reperti vero sunt in campo illo *de Ourique* tituli aliquot sepulcrales scripti litteris ignotis quidem, sed eisdem, quas nummi habent ex eadem regione provenientes et probabiliter attributi Salaciae et Caetobrigae oppidis paullo magis versus septentriones sitis[2]. Has autem litteras a Phoenicibus olim didicisse Lusitanos, ut ab eisdem reliqua scripturae genera derivantur, quae in Hispania usurpata fuisse nummi titulique demonstrant, ipsa eorum forma docet. Itaque certum est per loca haec hodie deserta et paene inculta inde a vetustissimis temporibus commercii causa incolas commeasse; idemque etiam Avieni narratio testatur[3], cuius quanta vetustas sit Muellenhoffius noster nos edocuit[4]. Portus orae occidentalis proximus Merobriga videtur fuisse (*Santiago de Caçem* hodierna), Celticae ut nomen docet originis oppidum, cuius cum incolas plumbarios appellari Plinius (n. h. IV § 118) testis sit, plumbum in fodinis vicinis effossum credendum est inde

Origo aeris

[1] In tabula geographica inscriptionibus Hispanis adiecta priore *Aljustrel* locum medium fere deberet obtinere inter *Ourique* et *Messejanam.*

[2] Ut Iacobus Zobel demonstravit in ephemeride numismatica Parisina, ser. novae vol. 8, 1863 p. 369.

[3] Orae marit. v. 200 ss.

[4] *Deutsche Alterthumskunde* 1 p. 105 ss.

exportari solitum esse. Atque propter metalla ut multas alias Hispaniae regiones ita illam quoque quam dixi antiquitus cultam videri id ipsum docet novum repertum, de quo iam acturus sum.

Forma Vere enim anni MDCCCLXXVI in aerifodinis vetustis, sitis illis prope *Aljustrel* vicum quem dixi, quae nuper demum a societate negotiatorum (nomen ei est *la compagnie de minération transtagane*) denuo effodi coeptae sunt, reperta est tabula aenea alta 0.72, lata 0.53, crassa 0.08 ad 0.013 m. Accurata de inventione relatio desideratur; num spes supersit plura eodem loco detegendi aliaque scitu non indigna velimus nobiscum communicari. Tabula integra est superne et infra, item a latere laevo; a dextro manca est ita, ut scripturae, quam continet, desit clavus angustus latus circiter 0.15 m. Eius fere eum fuisse mensurae certa ratiocinatione efficitur. Miro enim casu accidit, ut tabula a postica quoque parte inscripta sit eisdem paene verbis quibus antica, sed versibus ratione paullo diversa dispositis. Praeterea pars antica initio undecim versus plus habet quam postica, postica vero in fine plus septem quam antica. Hiat autem posticae exemplum lacunis compluribus insuntque ei vitia nonnulla scribendi. Lacunae sunt in vv. posticae 1 7 9 10 11 22; praeterea sculpta sunt v. 16 *cape* pro *capere* anticae, v. 20 *pr. ka* pro *pr. k* errore sane proclivi, v. 23 *offiois* pro *officis*, v. 40 *curaverit* pro *curaverint*. Deinde posticae scriptura in compendiorum usu aliisque quibusdam minutiis ab anticae differt, quae infra adnotabuntur. Apparet igitur quadratarium fortasse provincialem libellum scriptum, quem sculpendo expressurus erat, non ubique intellexisse et propterea inter sculpendum pessum dedisse. Ne vero perderet aes iam laevigatum et in certam formam circumcisum vertit tabulam textusque partem in aversa male insculptam repetivit libello interim melius lecto atque intellecto. Cum quae in postica parte scripta sunt non prorsus respondeant eis quae antica habet, apparet restitutionem per tabulas paginasve plures pertinuisse. Ita igitur accidit ut quae desunt a dextro latere versuum singulorum particulae suppleri possint magna ex parte. Duorum versuum (15. 16) ne una quidem littera periit; aliorum duorum (17. 31) duo tantum tresve. In versibus illis plene servatis insunt litterae viginti sex ad triginta et unam; reliquorum igitur supplendorum eum inde nanciscimur modum, ut intra triginta plus minus litteras supplementa necessario se continere debeant. Incertum vero est, num ea sola quam dixi scripturae particula in tabulae fractura perierit; poterat enim illa inscripta esse paginis columnisve duabus pluribusve, quod factum videmus in instrumentis ex Hispaniae solo erutis reliquis, in tabulis Malacitana Salpensana Ursonensibus. Itaque is quem ex scriptura partis anticae posticaeque coniuncta nanciscimur textus versuum sexaginta fieri potest ut ne unius quidem tabulae integer sit. Accedit quod in parte antica ima a laeva insculptus est numerus III. Tabulae igitur I et II minimum interierunt; num post tertiam in alia aliisve praeterea scriptura continuata fuerit sciri nequit. Foramina clavibus figendis destinata in marginibus superiore et inferiore, item in sinistro, singula supersunt, ita tamen disposita, ut infra et

II.

MAIOREM ·
VE NVMERVM VENDIDERIT CAPIT
SINGVLA · CAPITA · X · III · CONDV
FISCI VENDET · LOCABITVE · IIS · REI
VM CVIVSQVE REI VENDVNDAE N
PROC · METALLORVM VENDIDERIT EI
CONDVCTORI · SOCIO · ACTORIVE EI
PRAECONE VENDIDERIT IN K · SING
XXX · DECONDICIONE V DERIT
BALINEI FRVENDI CONDVC
BIT · IN PR · KA
ET AB HORA OCTAVA IN HORAM
SVMMAM RANAM HYPOCAVSTIS ET
CONDVCTOR · A VIRIS SING AERI
IN OFFIOIS ERVNT VEL COMMODA
TA OMNIA QVAE EI ADSIGNATA EI
AENA QVIBVS VTETVR LAVARE TERGERE
ERIT QVO MINVS · LAVARE RECTE P
HAEC · ET SIQVID ALIVT EIVSDEM
NISI EX RECISAMINIBVS RAMORVM
CENTENOS · N̄ · FISCO · D · D · SI I
EIVS RECTE PRAEBITVM NON ERIT VSC
LIGNVM CONDVCTOR REPOSI
SVTRINI · QVI CALCIAM
GAREM FIXERIT VENDITAVERITVE S
CONDVCTORI SOCIO ACTORIVE EIV
O ACTORIVE EIVS · PIGNVS CA
RITVE CONDVCTOR OMNE G
IVS ESTO TONSTRI
RIS EIVS · TONSTRINVM · QVAESTVS
CONDVCTORI · SOCIO · ACTORIVE
QVI DOMINOS · AVT CONSERV
TO · CONDVCTORI · SOCIO ACTORI
BITIONIS · X V · D D CONDVC
TABERNARVM · FVLLONIA
CIVS ACTORVE EIVS LOCAVERIT
CINIAS · X II CONDVCTORI · SOCI
SCRIPTVRAE · SCAVRARIORVM
RIAS · ARGENTARIAS · AERARIAS
RE EXPEDIRE FRANGERE CERNERE
FACIENDVM SERVOS MERCEN
QVE MENSE INTRA · PR · KAL · QV
TRAMINA IN FINES METALLORVM
LEGIS CONDVCTORI SOCIO ACTOR
D D D CONDVCTORI SOCIO ACTO
TVM CRETVM LAVATVMQVE ERIT

Postica pars tabulae.

ɑ N

VLARIVM IN SINGVLA CAPIT
CTORI · SOCIO ACTORIVE EIVS
BVS CONDVCTOR SOCIVS ACTO
OMINE · PROPOSVERIT COND
MPTOR · CENTESIMAM · D · D ·
VS PIGNVS CAPE LICETO QVI MVLOS · M
X III · D · D · QVI MANCIPIA · ALIAMVE QVAM REM
· CONDVCTORI SOCIO ACTORIVE EIVS
TOR BALINEI
/ LFACIET ET PRAESTARE DEBETO A PRI
SECVNDAM NOCTIS VIRIS ARBITRATV · PROC · QVI
IN LABRVM TAM MVLIERIBVS QVAM VIRIS PRC
S · SEMISSES ET A MVLIERIBVS · SING ASSES EXIGIT
PERCIPIENT · ITEM INPVBERES ET MILITES CONDV
RVNT INTEGRA CONDVCTIONE PERACTA REDDERE DE
VNGVERE ADIPE E RECENTI TRICENSIMA QVAQVE D
OSSIT · EIVS TEMPORIS PRO RATA PENSIONEM · CONDVC
BALINEI · EXERCENDI CAVSA FECERIT REPVTARE NIHIL
QVAE OSTILI · IDONEA NON ERVNT NE LICETO SI ADV
D BALINEVM RECTE PRAEBITVM NON ERIT TVNC PROC
VE AD HS CC DICERE LICETO
TVM OMNI TEMPORE HABETO QVOD DIEBVS
NTORVM · QVID LORAMENTORVMVE QVAE SVTORE
IVE QVID ALIVT QVOD SVTORES VENDERE DEBENT V
DVPLVM · D · D CONDVCTOR CLAVOM EX LEGE F
ERE LICETO · REFICERE CALCIAMENTA NVLLI LICEB
INVS CALCIAMENTORVM PRAESTARE DEBETO NI
N I CONDVCTOR FRVI DEBETO ITA NE ALIVS INV
CAVSA FACIAT QVI ITA TONSTRINVM · FECERIT · IN S
IVS · D · D · ET EA FERRAMENTA COMMISSA CONDVCT
OS SVOS CVRAVERIT CIRCITORIBVS · QVOS · C
E EIVS · PIGNORIS CAPTIO ESTO · QVI PIGNVS CA
OR VNVM · PLVRESVE ARTIFICES · IDONEOS IN P
RVM VESTIMENTA RVDIA VEL RECVRATA N
PERMISERITVE LICETO QVI CONVICTVS · FVERIT ·
ACTORIVE EIVS · D D · PIGNVS CONDVCTORI SOC
ET TESTARIORVM · QVI IN FINIB
VLVEREMVE · EX SCAVREIS · RVTRAMINA AD MES
LAVARE VOLET · QVIVE · LAPICAEDINIS OPVS QV
ARIOSQVE MITTENT IN TRIDVO PROXIMO PR
SQVE · NI · ITA FECERINT DVPLVM · D D QVI EX AL
NFERET IN P · C X I · CONDVCTORI · SOCIO ACTO
E EIVS DEBEBITVR · NEQVE · EA DIE · QVA DEBEP
S PIGNVS CAPERE LICETO ET QVOD EIVS SC
LAPIDES LAVSIAE EXPEDITAE IN LAPICAEDI

ad ʜs cc dicere liceto. [23] Lignum conductor reposi[
[24] Sutrini. Qui calciamentorum quid loramentorum
rem fixerit venditaveritve sive quid aliut, quod su[
[26] conductori socio actorive eius duplum d. d. Cond
actorive eius pignus capere liceto. Reficere cal
ve. Conductor omne genus calciamentorum pr
esto. Tonstrini. Conductor frui de
[30] territoris eius tonstrinum quaestus causa faciat. Qu
[31] conductori socio actorive eius d. d. et ea ferramenta
dominos aut conservos suos curaverint.
ductori socio actorive eius pignoris captio esto. Qui
debeto. Conductor unum pluresve artifices idon
[35] Tabernarum fulloniarum. Vestimenta ruc
[36] cius actorve eius locaverit permiseritve liceto. Qui c
x ɪɪɪ conductori socio actorive eius d. d. P
[38] Scripturae scaurariorum et testariorum.
as argentarias aerarias pulveremve ex scaureis rut
dire frangere cernere lavare volet quive lapicaedinis
servos mercennariosque mittent, in triduo prox
intra pr. k. quasque: ni ita fecerint, duplum d. d.
fines metallorum inferet, in p. c x ɪ conductori soci
tori socio actorive eius debebitur neque ea die, qua
Conductori socio actorive eius pignus capere licet
[*aes II* 46] tum cretum lavatumque erit quive lapides la
quid debitum erit conductori socio actorive eius solu
flatorum argentariorum aerariorum qui flat
Ludi magistri. Ludi magistros a
[50] Usurpationes puteorum sive pittaciarium.
que putei iuris retinendi causa usurpabit occupabit
verit apud conductorem socium actoremve

31 *Post* ʜcc *fortasse* ɴ̄ *excidit* [diebus xxx] *Buecheler*
rit permise]rit *Buechelerus* 40 curaverit *aes II*
47 rutramina *aes* pondu[sve emet quive purgare t
51 *solve* p(ondo) c (centum) 52 d. d. d. *solve* d(u

:um omni tempore habeto, quo*d diebus ...... satis sit.*

ve, quae sutores tractare so*lent, fecerit clavomve* [25] *caliga* (25)
tores vendere debent, vendidis*se intra fines convictus erit, is* (27)
luctor clavom ex lege ferraria*rum vendito. Conductori* [27] *socio* (24)
.ciamenta nulli licebit nisi cu*m sua dominive quis curaverit refec*[28]erit- (34)
aestare debeto: ni ita fecer*it uni cuique ubi volet emendi* [29] ius (28)
beto ita, ne alius in v*ico metalli Vipascensis inve* (35)
i ita tonstrinum fecerit, in sin*gulos ferramentorum usus* x.. (25)
commissa conductori sunto. *Excipiuntur servi* [32] qui
Circitoribus, quos conductor *non miserit, tondendi ius ne* [33] *e*sto. Con- (30)
pignus capientem prohibuerit, i*n singulas proh*[34]ibitiones x v d. (25)
eos in portionem recipito.

lia vel recurata nemini m*ercede polire nisi cui conductor so-* (30)
:onvictus fuerit adversus ea qui*d fecisse, in singulas la*[37]cinias (26)
'ignus conductori socio actoriv*e eius capere liceto.*

Qui in finibus met*alli Vipascensis .... scau*[39]ri-
ramina[*ve*] ad mesuram pondu*sve purgare .....* [40] re expe-
s opus quo quo modo facien*dum suscipiet, quos ad id* [41] faciendum (29)
umo profiteantur et solvan*t* x ... *conductori quo*[42]que mense
Qui ex alis locis ubertumbis ae*ris argentive ru*[43]tramina in (33)
ɔ actorive eius d. d. Qu*od ex hoc capite* [44] legis conduc- (34)
, die deberi coeptum erit, solu*tum satisve factum erit* [45] d. d. d.
ɔ et quod eius scauriae pu*rgatum ..... expeditum frac-* (30)
ısiae expeditae in lapicaedi*nis erunt, commissa ei sunto, nisi quid-* (31)
tum erit. ex*cipiuntur servi et liberti* (23)
:uris dominorum patron*orumque operam dant.*
proc. metallorum immunes es*se placet.*
Qui intra f*ines metalli Vipascensis puteum locum-* (33)
ve e lege metallis dicta, b*iduo proxumo quod usurpaverit occupa-* (32)
huiusce vectigalis profiteatu*r ......*

ıs 32 fecerit *Buechelerus* 35 *Supplevit Mommsenus*, cu[i conductor locave-
42 *in.* d. *aes II* 43 r) *aes*; mercede *Buechelerus* 45 x II *aes II*
olle]re *aut* tunde]re *Buechelerus* 50, pr. kal. *aes II*; *solve* pr(idie) k(alendas)
ılum) d(are) d(ebeto) 53 pu[rgatum sublatum expeditum frac]tum *Buechelerus*

supra singula periisse cum margine dextro appareat, in sinistro vero unum tantum fuisse inferne positum.

Ectypa tabulae chartacea imaginesque photographas sumptu ministerii regii Portugallici, quod cultum studiaque fovet, et arte eximia factas Augustus Soromenius Olisiponensis, qui tabulam ipsam ab interitu vindicavit, mecum communicavit amicissime. Idem editionem eius curavit principem[1]) usus eis quae ego subministravi supplementis. Recensio

Ipse postquam ectypa accepi textu scripto addito nullo, continuo ea descripsi et communicavi cum Mommseno. Is qua est et doctrina et acumine quae ego proposueram supplementa pleraque emendavit et auxit, ex parte redarguit; quae nova invenerat non pauca ego deinde denuo examinavi correxi, ex parte non probavi. Ita viribus iunctis textum non certum quidem et usque quaque emendatum, sed qui legi edique posset constituimus. Tamen cum lubrica res nobis videretur nec quae facile unius duorumve opera posset ad liquidum perduci, communicavi textus exempla cum amicis, qui haec studia nobiscum fovent, Buechelero Buechsenschuetzio Hirschfeldio Jordane Kruegero aliis. Hi quae coniecerunt adnotaveruntve promptissimo acumine, eis usus sum religiose; plurima vero et felicissime inventa Buechelero debentur. Aliquanto post demum quam hoc factum erat Soromenius tabulas photographas subministravit; inde posticae ultimam partem, quae in ectypis vix legi poterat, aliquanto certius quam antea licuit constituere. Scriptura enim in universum tam anticae quam posticae facillime legitur; posticae autem versus viginti ultimi a sinistra potissimum aerugine crassa tecta in ectypis vix apparebant. Tabulae autem photographae lectionem a Soromenio ex ipso aere haustam plene confirmaverunt.

Exhibeo textum primum sicut scriptus est in utraque tabulae parte ad ectypa et imagines photographas quam accuratissime expressum. Sequitur transcriptio cum supplementis et adnotatione critica brevi, in qua utriusque partis scripturam ita coniunxi, ut quae in postica quoque leguntur linea subducta distinguerem versuumque etiam posticae numeros adscriberem. Supplementa quae Mommsenus suppeditavit a meis distingui noluit; reliquis quae debemus, singulis accepta tulimus. Ceterum more solito supplementa lacunarum exhibentur scriptura quam dicimus cursiva, supplementa compendiorum ponuntur intra uncos rotundos. In commentario quoad fieri licuit lectionem explicare supplementaque defendere suscepi. Editio

(*Vide tabulas iuxta positas.*)

Legis huius (id enim nomen ipsa sibi vindicat) scripturam sermonemque primum quales sint exponam breviter.

---

[1]) *La table de bronze d'Aljustrel, rapport adressé à Monsieur le Ministre de l'Intérieur par Augusto Soromenho, professeur d'histoire à l'école supérieure de lettres* etc. etc. Olisipone 1877 (pp. 12) 8. cum tabulis sex.

Scriptura legis

Litteratura anticae posticaeque aequabilis est et ut dixi perspicua, quanquam non elegans. Litterarum forma eadem fere atque in tabulis Hispanis legum municipalium reliquis, scilicet saeculi primi exeuntis. A littera paene ubique linea transversa caret; A M N apicibus supra angulos eductis scribuntur, L cauda interdum curvata et brevicula, G cauda transversa et infra lineam deducta; I F P potissimum non raro altiores sunt quam reliquae litterae; E T L I facile confunduntur. Puncta ubi ponuntur formam monstrant triangulam sollemnem; sed saepe omittuntur neglegentia puto quadratarii; in fine enuntiatorum vix unquam ponuntur (v. 19 post titulum capitis; cf. posticae v. 24 et 38).

Compendia scripturae non adhibentur nisi communis usus facilisque interpretationis haec

pr(idie) k(alendas) v. 50 *pr(idie) k(alendas) Iul(ias)* 20 [1]); *ka* v. 20 in postica

in k(apita) I v. 17, *in k(apita) sing(ula)* in postica

proc(urator) v. 2 3 21 30 57

HS *sestertium* et N̄ *nummum* 29 31

p(ondo) C *(centum)* v. 51 [2])

sing(uli) v. 22 23 in postica, in antica *singulis*

E iuris civilis formulis consuetis una tantum

d(are) d(ebeto) paene constanter (v. 8 15 16 17 29 34 39 41 45 50 51) per litteras singulares scribitur; bis tantum (v. 13 42 ubi postica tamen litteras singulares videtur habuisse) perscripta est. Perscribitur *debeto* ubicunque cum aliis verbis iungitur (v. 5 13 22 25 26 27 36 37 41). Semel praeterea in postica errore fortasse quadratarii *d. d. d* scriptum est pro *duplum dare debetur* (v. 52); duplum enim vocabulum per compendium scribi non posse certum est.

Denarii nota ubique adhibetur singularis et a consuetis X vetustiore et recentiore X̄ diversa ita ut X litteram linea transversa mediam tantum, non totam, transgrediatur, sic X. Comparari potest quod in hac quoque lege ut in tabulis Malacitana Salpensana Ursonensi in sestertium nota similiter linea transversa duas tantum numeri hastas, non S litteram transgreditur, sic HS.

Scripta est lex per cola et commata, neque vero ita ut singula enuntiata in fine versuum desinerent, sed ut spatiis vacuis interpositis distinguerentur. Distributa est in capita (ita enim in ipsa lege appellantur v. 8 51), quorum inscriptiones sive rubricae litteris maioribus initio plerumque versuum, interdum autem etiam mediis in versibus positae sunt. Numeri rubricaeve litterae singulares (R) adduntur nusquam. Syllabarum distinctio vulgaris est a syllaba nova ubique incipiens, sed inter duas consonas quae conveniunt distinguens (v. 52 *conduc|tori*, 54 *frac|tum*; sed 16 *em|ptor*).

---

1) Soromenius *pr(oximas) k(alendas)* solvit exemplo nullo.

2) Quod Soromenius legit *p(roximas) c(alendas)* ferri omnino nequit, cum nec *p* littera proximas nec *c* kalendas significet.

Non desunt omnino, ut solet accidere etiam in publicae auctoritatis instrumentis, errores quadratarii. Vitia in postica ab eo commissa supra indicavi; in antica scripta sunt v. 9 *debere* pro *deberi* (sed *lavare* v. 27 non videtur mutandum esse in *lavari*), 11 X C pro X L (ut videtur), 22 *tan mulieribus* (in postica *tam* scriptum est); nisi hoc sermonis rusticitati cuidam attribuere mavis. Quod v. 27 *lavare tergere unguereque* scriptum est fortasse et ipsum errori tribuendum; nam quod in postica legitur *lavare tergere unguere* omissa particula copulativa magis respondet consuetudini sermonis. Semel vocabulum omissum est, sed errore proclivi, cum idem praecedat (*eius* v. 6); semel *ve* syllaba excidit v. 47.

Dicendi scribendique ratio in hac lege observata vetustatem quandam, qualis in iure civili et publico diutius mansit quam in litteratorum hominum usu, temperatam fere exhibet consuetudine per totum saeculum primum observata. Ita, si a vocalium usu incipimus, vetusto more scribuntur *clavom* v. 23, *vendundae* 14, *proxumo* 49 (sed *faciendum* 48 bis et *tricensima* 26). Etiam quod *lapicaedinae* scribitur v. 48 54, non *lapicidinae*, forma iusta atque aliunde iam nota (C. I. L. III 75), et *aena* 25 pro *ahena* optimae aetatis indicia sunt. In *calciamenta* scriptura v. 32 35 pro *calceamenta* lex tenetur in brevis vocalis cum *a* littera concursu paene constanter observata a vetustioribus; fortasse etiam *pittaciarium* forma v. 58 huc trahenda pro eo quod esse potuit *pittacearium*. Similiter recte *scauriae* v. 53 scribitur, non *scaureae*; sed tamen *scaureis* v. 47 non *scauriis* nec *scauris* cum quadam inconstantia, quam etiam in eo observare licet quod bis *iis* scriptum est v. 2 14, item *praeconii* 10, sed contra *alis* pro *aliis* 50 et *territoris* 38. Neque contractum est, ut fere obtinet apud vetustiores, *praeerit* in *praerit* v. 21. Vides igitur non unam aliquam certam observari disciplinae grammaticae normam. Sermo legis

Huc etiam trahendum videtur quod I longa in scribendo adhibetur recte quidem, id est in vocali producta sola, neque vero constanter. Scriptum enim est IIS v. 2 14 TERRITORIS 38 ALIS 50, PRAECONII 10 EI 25 ACTORI CONDVCTORI 39 41 51 53 SI 30; praeterea ADDIXERIT 7 PRIMA 20 TONSTRINVM 38 *bis*. Sed hoc quoque, cum alias quoque litteras supra lineam extolli videamus, ut dixi, vix certae consuetudini tribuendum. Productae enim *i* litterae multo plures a correptis non distinguuntur. Similis inconstantia in reliquis tabulis Hispanis observatur.

In consonantibus quod *k* scribitur ante *a*, ut oportuit, in *kalendis* 17 20 50 et *kapitibus* 17 20, sed *capita* et *capitularium* 12 13, tenemus eandem inconstantiam. Nota deinde vetustiorum consuetudine dentalis in fine acuitur in *aliut* 28 33, sed *apud* scribitur 60 et cavetur a *quod* et *quot* confundendis. Geminatur consonans in *mercennariis* 49 recte; recte item *quotiens* 30 scribitur et *tricensima* 26, sed *mesura* 47 paene rustice. Non assimilantur consonantes in *adsignata* 25 et *inpensa* 19 *inpuberes* 24; recte contra *commissa* 39 scribitur. Errore potius quam certa ex lege *tan mulieribus* 22 scriptum esse supra iam dixi. Constanter consonantium concursus vitatur in *balineo* 19 ter 28 30; sed *calfacere* 20 scribitur non *calefa-*

cere. Scribendo recte coniunguntur *siquas siqua siquid* 13 25 27, seiunguntur *quod si* 16 *quo minus* 27 *quo quo modo* 48.

Sermo in universum planus et castus est atque ea, quam iuris periti exigunt, perspicuitate; ut unum delibem, *ea die qua die* v. 52 adnoto, quo de usu nuper denuo moniti sumus. Ex usu vocabulorum haec adnotanda videntur, *recurandi* v. 43 verbum Catullianum *reputandique* 27 28 usus e iure civili notus; equae *caballis* 17 oppositae non equis (vocabuli peregrini certe quamquam ab Lucilio et Horatio in sermonibus non spreti origo nescio an Hispana fortasse fuerit); adverbia *e recenti* 26 et *universaliter* 4; *ni* pro *nisi* 50 positum, *tum* et *tunc* 30 promiscue usurpata (hoc enim postica, illud antica v. 21 habet); *tabernae fulloniae* 43, non *fullonicae*, cum utrumque fuerit in usu; *commoda percipere* 24 et *sub praeconem subicere* 17 locutiones fortasse in iure civili sollemnes.

Vocabula praeterea non pauca pro legis ambitu non magno primum ex ea innotescunt, *lausiae pittaciarium recisamen rutramen scaurarius testarius ubertumbus ustile*; ea infra explicare conabor.

Haec omnia eodem ducunt, quo litterarum formam ducere supra dixi, ut conscriptam esse legem credamus ea aetate, qua vetusta dicendi scribendique consuetudo nondum plene exoleverat, nova nondum usque quaque locum obtinuerat; id est sub finem saeculi primi.

Tempus

E rebus in ipsa lege memoratis cum certam temporis definitionem capere non liceat, ut infra videbimus (desunt enim praescripta legis neque usquam sive consules sive imperatores sive aliud quidquam profertur, quod temporis notam in se habeat), conveniunt tamen cum temporis definitione ex litteratura et sermone derivata quae in universum e legis verbis edocemur; in primis procurator metallorum saepius nominatus non potest referri nisi ad imperatoriam aetatem eamque non ineuntem, sed iam provectiorem. Certe ultra medium fere saeculum primum in tempore definiendo adscendere vetamur munere illo.

Priusquam ad singula accedam, complectar quae ad verba tituli in universum recte intellegenda sive ex ipso illo sive aliunde adscisci possunt. Atque primum dicam de nomine et condicione metalli Vipascensis.

Metallum Vipascense

Loci eius, ad quem hunc titulum pertinuisse ex ipso eo discimus, nomen semel tantum perscriptum est v. 2, ubi *fines metalli Vipascensis* memorantur. Eandem loci designationem cum probabilitate bis praeterea supplere licet v. 46 58. Semel praeterea nominantur *fines metallorum* v. 51, semel v. 10 *intra fines* scriptum est non addito metalli metallorumve vocabulo. Cum finibus componenda sine dubio *territoria eius* v. 38; quod praeterea ibi supplevimus *in v[ico metalli Vipascensis eiusve] territoris* probabile, non certum est. Loci nomen hic primum comparet; vicus, siquis fuit, Vipasca fortasse aut Vipascum dictus metallo Vipascensi nomen dedit. Nam a Vipasci Vipascitanus, a Vipascone Vipasconensis potius derivandum erat secundum similium nominum in Hispaniis flexionem. Variari autem videtur inter metalli metallorumque designationem; idemque in huius vocabuli usu tam Graeco quam Latino apud scriptores quoque observatur. Scilicet unum

quodque metallum cum fodinas puteosque multos habere soleret, singula metalla plurali numero saepe dicta sunt[1]). Metalli metallorumve horum territorium cum intra certos fines collocatum fuisse appareat, quaeritur cuius generis ea res publica fuerit. Cum nulli eius memorentur nec magistratus nec cives incolaeve, attamen de immunitate aliquid caveatur v. 49 quaeque ibi fuisse videmus balneum tonstrinum tabernae fulloniae et reliqua vitam quodam modo municipalem aperte indicent, adsentior Mommseno, cuius ea de re opinionem infra expositam vides in adnotatione eius. Scilicet metallum Vipascense vici pagive fere condicionem habuisse mihi persuadeo summumque eius magistratum fuisse procuratorem metallorum, de quo iam exponam.

Procurator metallorum

Lusitaniam provinciam inde ab origine Caesaris fuisse constat. Metalla autem non solum in Caesaris sed etiam in senatus provinciis scimus[2]) pleraque aut fisci fuisse aut patrimonii imperatoris ac propterea a procuratoribus Caesaris administrata esse. Fisci fuisse metallum Vipascense titulus hic diserte testatur: venditiones locationes a procuratore metallorum *nomine fisci* fiunt v. 13; multa *fisco* solvenda dicitur v. 29. Cum vero nec omnia totius imperii metalla ab uno quodam procuratore summo nec unius cuiusque provinciae a singulis procuratoribus administrata esse probabile sit[3]), quod in hoc titulo procurator sollemni, ut apparet, muneris designatione saepe dicitur *procurator metallorum* v. 2 3 15 30 57 (unde supplevimus v. 13) aut *procurator qui metallis praeerit* v. 21, id aut ita explicandum erit, ut statuamus eum non Vipascensi tantum metallo sed etiam aliis vicinis puto metallis praefuisse, aut simpliciter ita, ut etiam unius alicuius regionis metalla plurali numero interdum designata esse putemus. Certe quod Soromenius proposuit v. 2 extr. legendum *proc(urator) metallorum Lu[sitaniae]* stare non potest. Casu enim tantum, ut ectypum et imago photographa demonstrant, I illa L litterae similis evasit, cum infra lineola appareat, quae ne recta quidem est, ut esse debuit, sed obliqua.

Lex metalli

Ad metallum igitur Vipascense regionemve eam, in qua fines territoriave eius metalli fuerunt, lex haec pertinuit. Legem esse ter ipsa testatur: *quod ex hoc capite legis . . . datum . . . erit* v. 8, *qu[od ex hoc capite] legis . . . debebitur* v. 51, *e lege metallis dicta* v. 59. Etiam hoc ultimo loco hanc ipsam legem indicari equidem puto; sed potest ea de re etiam aliter iudicari. Restant reliqua testimonia duo certa, quae non posse spectare nisi

---

1) Ita in nummis quoque Traiani et Hadriani pluralis numerus iuxta singularem usurpatur discrimine, si fuit, nobis obscuro: *metalli Ulpiani, Pannonici, Dardanici* eis inscriptum est, sed etiam *Aeliana Pincensia, metal(lis) Aurelianis* (Eckhel d. n. VI p. 445 ss.).

2) Vide Marquardtii *röm. Staatsverwaltung* II p. 255 ss. quaeque nuper Hirschfeldius de eis exposuit in libro suo *Untersuchungen auf dem Gebiete der römischen Verwaltungsgeschichte* I (Berol. 1876) p. 72 ss.

3) Cf. Hirschfeldius l. s. s. p. 87.

ad hanc ipsam legem capitum eius indicatio demonstrat. Leges autem scimus appellatas esse imperatorum constitutiones de iure municipali deque civitate Romana viritim tribuenda[1]). Notus praeterea est communis in lingua Latina usus vocabuli, quod est lex, ad designanda praecepta regulasve quibus collegia sodalicia templa fana et quae sunt similia utebantur. Eius vero generis legem, ubi de vectigali metallorum agitur, ut infra apparebit, deque locatione conductione non posse constitutam esse nisi aut ab imperatore ipso, cuius metalla erant, aut a procuratore metallorum, summo, ut dixi probabile esse, eius magistratu, certum est. Cum quae initio praescripta fuerunt legi interierint, ex eis quae supersunt capitibus qualis illa fuerit generis ratiocinatione certa recuperari nequit. Non huic autem metallo tantum, sed aliis quoque eisque, quae fisci fuerunt, fortasse omnibus tales fuisse leges inde deduco, quod in hac ipsa lege *lex ferrariarum* memoratur v. 34; eam huic legi similem fuisse probabile est.

Capita legis

Universa lex, cuius exigua fortasse tantum superest particula, quid continuerit, non magis certa coniectura assequi licet, quam quali ea forma fuerit. Illud autem apparet, in capitibus eius quae supersunt paene omnibus agi de locatione conductione rerum officiorumque diversissimi generis a procuratore metallorum instituenda. Certe eius generis praecepta potuerunt proposita esse lege edictove singulari de conductione locatione. Tamen magis probabile est inserta ea fuisse legi alicui universae metallo illi Vipascensi dictae, qua administratio ususque eius tralaticio puto more regebantur. Eam indicari v. 59 supra iam dixi probabile esse. In novem autem legis capitibus, quorum titulos infra composui, negotia et officia enumerantur ea, quae credenda sunt metalli domino, id est imperatori fiscove eius, iure reservata fuisse. Ea procurator metallorum conductoribus locabat ita, ut pensionem illi fisco solverent annuam. Unum caput breve quod est de ludi magistris conductionis locationis praeceptum non continet neque ullam huius negotii exercendi causa pensionem fisco solvendam esse praecipit. Capitibus autem novem servatis, quae brevitatis causa numeris distinguo in ipsa lege, ut dixi, non adscriptis, hi praepositi sunt tituli:

I *centesimae argentariae stipulationis*
II *scripturae praeconii*
III *balinei fruendi*
IV *sutrini*
V *tonstrini*
VI *tabernarum fulloniarum*
VII *scripturae scaurariorum et testariorum*
VIII *ludi magistri*
IX *usurpationes puteorum sive pittaciarium*

Quattuor horum titulorum (III IV V VI) possis putare genetivo casu proferri aut ita explicando, ut intellegatur conductio locatio balinei fruendi, su-

[1]) Vide quae ea de re Mommsenus exposuit in commentario ad leges Malacitanam et Salpensanam p. 390 ss. itemque in enchir. iuris publici Romani II p. 328 ss.

trini, tonstrini, tabernarum fulloniarum, aut fortasse suspenso a praescriptionis totius legis tali fere formula: *quae negotia officiave procurator metallorum ex hac lege locaverit, eorum negotiorum officiorumve conductores singuli pensiones fisco solvunto eis condicionibus quae infra scriptae sunt*; videlicet *balinei fruendi* pensio ita solvenda vel similiter. Tres alii tituli (I II VII) utrum genetivo an nominativo concepti sint ex vocabulorum formis ipsis certo non sequitur. Centesimae enim et scripturae illae etiam plurali numero dictae esse possunt, ita ut intellegantur centesimae pro una quaque stipulatione argentaria solvendae. Scripturas tum dictas esse putaverim, similiter ut vetustam pascuorum scripturam, pensiones praeconibus pro uno quoque praeconio solvendas. Haec incerta esse scio; sed non magis certam puto quam Mommsenus proposuit in adnotatione infra posita explicationem. Magis hic quoque videtur intellegenda esse conductio sive pensio centesimae argentariae stipulationis, scripturae praeconii, scripturae scaurariorum et testariorum. Nam quod in titulis hisce ab altero genetivo alter suspensus est non offendit in sermone legis non ad dicendi artem anxie formato, sed potius inculto quique perspicuitati tantum inserviat. Restant tituli duo nominativis certis concepti VIII *ludi magistri* et IX *usurpationes puteorum sive pittaciarium*. Nam *ludi magistri* verba non pro genetivis habenda esse verba ipsius capitis (*ludi magistros . . . immunes esse* [*placet*]) suadent; *usurpationes* autem, non *usurpationis*, videtur revera scriptum esse in aere, quamvis eo loco corroso neque prorsus perspicuo. Sed etiamsi *usurpationis* dedisse quadratarium aut certe dare voluisse statuimus, restat *pittaciarium* forma, quae quanquam et ipsa potest genetivus esse a nominativo *pittaciares* aut *pittaciaria* recte formatus, tamen vix probabiliter poterit coniungi cum usurpationis vocabulo, quidquid praeterea de huius tituli significatione sane subobscura iudicaveris. Itaque in titulorum forma aequabilitatem non magis videmus servatam esse quam in scriptura et in sermone huius legis. Multo etiam minus in titulorum serie certus ordo videtur observatus esse. Licet enim post centesimam argentariae stipulationis recte sequatur scriptura praeconii possintque etiam non inepte iungi balineum sutrinum tonstrinum fullonica, tamen caput breve quod est de ludi magistris interponitur ratione nulla inter scripturam scaurariorum et usurpationes puteorum. Ceterum ne in legibus quidem populi Romani ordinem servari certum et perspicuum lex Iulia municipalis testatur; in lege Ursonensi idem nuper observare licuit. De universae igitur legis genere et indole etiam ex titulorum servatorum ordine certi nihil deducitur.

Conductores

Notum est negotiatores Romanos peregrinosque qui vectigalia publica conducerent secundum vetustam consuetudinem, quam fortasse ex Poenorum aliorumve barbarorum exemplo licet derivare, in societates saepe coiisse, unde de conductore aliquo singulari paene nunquam, sed constanter fere de conductoribus mentio fit[1]). In Hispania metalla potissimum multa sociis lo-

[1]) Vide quae Hirschfeldius adnotavit l. s. s. p. 75 quaeque Marquardtius collegit *röm. Staatsverwaltung* II p. 256 adn. 9.

cata erant (cf. Plinius n. h. XXXIII 118 XXXIV 165) idemque etiam alibi obtinuit. Ex lege Vipascensi discimus negotia officiaque omnia, quae secundum eam locantur, a sociis conduci solita esse. Conductores socios illos servos mancipesque habuisse, quibus pecuniae potissimum exigendae operam mandarent, consentaneum est. Hinc formula sollemni locis plus viginti in hac lege nominari videmus *conductorem socium actoremve eius* (v. 3 4 7 bis 13 14 15 16 18 24 34 40 43 45 bis 51 bis 53 55 60). Semel neglegentia fortasse tantum quadratarii *conductor sociusve* ponitur omisso actore (v. 19). Quaeritur autem num certa ex causa *conductor* solus nec actore nec socio adiecto nominetur item non raro, scilicet duodeciens (v. 1 3 22 27 28 30 31 36 37 39 40 42). Semel similiter pro conductore scriptum est *qui conduxerit* (v. 10). Credere aliquis possit id ibi fieri ubi non quid conductori praestandum sit ab aliis indicetur, sed quid ipse facere aut praestare debeat; sed illud in v. 1 3 non quadrat. Brevitatis igitur tantum causa formulae sollemnitas videtur interdum neglecta esse.

Quaeritur deinde conductores illi socii, quibus singula negotia officia locantur, utrum iidem fuerint homines, an in singulis rebus diversi. Hoc quanquam consequens est ex verbis legis, tamen re illud fere evenisse puto, scilicet unam fuisse conductorum societatem, quae metalla ipsa omniaque quae metallorum operis praestanda essent conduxerit, conductores scilicet metalli Vipascensis.

Procedo nunc ad singulorum capitum explicationem.

I Centesimae argentariae stipulationis v. 1-9

Quam frequentes in vita Romana tam publica quam privata auctiones fuerint Mommsenus nuperrime exposuit, cum tabellas perscriptionum Pompeianas a Iulio de Petra primum editas explicaret (in Hermae vol. XII p. 91 ss.). Ipsae tabellae illae eodem anni proximi vere repertae, quo tabula Vipascensis prodiit, auctiones quem ad modum institui solitae sint accuratius et plenius quam antea nos edocuerunt. Stipulationem vero argentariam eam dictam esse, quae inter argentarium venditoremque fiebat, ex hac demum lege innotuit. Unde hoc legis caput una cum sequenti Mommsenus primum edidit loco supra indicato, propterea quod inde demum codicillis Pompeianis plena lux affulsit. Centesima rerum venalium sive auctionum ab Augusto instituta et post aliquot mutationes a Claudio restituta in Italia tantum valebat; agitur hic de centesima, quam a venditoribus exigebant qui eorum nomine auctiones instituebant, id est argentarii. Inde stipulationis argentariae nomen explicatur. Quod alibi argentariis, id ex hac lege conductori centesimae soli licet in omnibus eius generis stipulationibus praeter eas, quas summus regionis magistratus procurator metalli iussu imperatoris (ita enim lacuna videtur suppleri posse probabiliter) in fisci commodum instituerit. Unde si procurator puteos metalli vendit, quod quid significet infra quaeremus, conductori a venditore centesimam exigere non licuit, licuit fortasse ab emptore; utrumque enim suppleri potest. Alioquin venditor, etiamsi omnia sua in auctione foras dedit (quod inter metallorum operas fortasse non raro accidit), tamen centesimam conductori praestare cogitur, neque liberantur a centesimae solutione eae summae, quas venditor in auctione

excipere voluit, veluti praedii usum fructum similiaque. Interpositum est loco minus apto — in universum enim valet videturque aptius praemitti debuisse — de stipulatione praeceptum, quam conductorem cum venditore fecisse aut certe facere potuisse dixi. Etenim quod Mommsenus proposuit huius sententiae supplementum *is promittito* quamquam non certum, tamen simplicissimum est. Quod sequitur praeceptum ab eodem probabiliter suppletum est in eam sententiam, ut etiam quae frustra in auctione vendenda proposita essent et intra dies decem venum iissent ea condicione, quam cum conductore stipulatus erat venditor, a centesimae solutione non liberari iuberentur; id quod in universum valuisse probabile est. Sane in capite quod sequitur de praeconio simile praeceptum redit (v. 17). In fine capitis demum multa dupli solvendi ei dicitur, qui tridui spatium solvendo hic ut alibi constitutum non servaverit.

Auctiones institui non potuisse sine indicio, quod per praecones ad hoc negotium legitime, ut videntur, exercendum destinatos in publico propositum esset, consentaneum est et demonstratur frequenti praeconum in talibus negotiis mentione. II Scripturae praeconii v. 10-18 Itaque praeconium cum stipulatione argentaria vinculo necessario coniunctum suo loco conductori hic locari videmus. Qui praeconium conduxit, unum minimum intra fines metalli praeconem praebere iubetur. Merces praeconii (illud enim vocabulum hic maxime requiri praeter alia etiam codicilli Pompeiani probant) ex venditionis reditu qui infra denarios centum erit (quinquaginta enim numerus qui traditur videtur errori quadratarii deberi, quoniam de eis quae plus quinquaginta sed minus centum denarios produxissent tum omnino nihil statutum esset) centesimae duae, qui supra, centesima a venditore solvenda est. De mancipiis venum datis pro mercede praeconii capitularium exigitur secundum numerum eorum diversum, de quinque minoreve numero denarii fortasse quini, de maiore numero terni. Similiter de mulis asinis equis utriusque sexus capitularium praeconi solvendum est denarium singulorum; quod praeceptum loco minus apto infra post alia additur (v. 17). Neque quidquam mutatur, siquis auctione non instituta quae per praeconem vendenda proposuerat intra dies triginta ea condicione vendidit, quam cum praecone stipulatus erat. Simile praeceptum supra habuimus in stipulatione argentaria (v. 6). Siquis sine praecone aliquid vendendum offert inventario publice exhibito, conductor praeconii denarium unum ab eo accipit.

Interpositae sunt praeceptis his, quae de praeconio in venditionibus privatis valent, exceptiones similes earum quas in primo capite habuimus, scilicet spectantes ad venditiones a procuratore metallorum institutas. Puteorum emptor centesimam solvere debet conductori (v. 15) intra triduum sub poena dupli solvendi conductorique pignoris captio in eum conceditur. Haec quoque infra in similibus redit (v. 34 40 45) addita semel (v. 41) alia multa in eum constituta, qui pignoris captionem prohibuerit. Ut ex pretio puteorum quos procurator vendit centesima aut nulla exigitur aut ab emptore, ita reliquarum rerum venditionibus locationibusve ab eo insti-

tutis fisci nomine praeco gratis praebendus est; in puteorum venditionibus centesima praeconii ab emptore exigitur.

III Balinei fruendi v. 19-31 Quam late balneorum usus patuerit per totam antiquitatem notissimum est; ne operis quidem metallorum pauperibus beneficium hoc salutare deesse voluerunt qui ea regebant. Locatur balnei fructus conductori ita, ut is arbitratu procuratoris metallorum a kalendis Iuliis unius cuiusque anni in pridie kalendas easdem anni sequentis sua impensa balnea recte praestare debeat omnibus diebus certis diei horis viris mulieribusque pretiis certis. Ab hora octava viros Romae lavare consuevisse ex aliis iam testimoniis deducere licuit; mulierum horae certae nondum innotuerunt. Scilicet quanquam consentaneum est, diversis locis horas quoque balneorum variasse, in universum tamen credibile, quae Romae in usu erant horae, eas etiam alibi observatas esse (vide Marquardtii enchir. V 1 p. 278). Ita in hoc quoque metallo videtur *more urbico* lavatum esse, ut est in titulis notis duobus Bononiensi et suburbano apud Marinium (Arv. p. 532). De balneorum pretiis non multa adhuc testimonia suppetebant (vide Marquardtium l. s. s. p. 280 adn. 55): quod a viris semisses, non quadrantes, ut Romae in balneis publicis, a mulieribus asses exiguntur, e lucro conductori concesso fortasse explicandum est. Quaecunque praestanda sunt singillatim praescribuntur, nequid desiderent qui balneis utentur: aqua e recenti profluens tam calida quam frigida (in hypocaustis enim calida et tepida, in labris frigida videtur fuisse), ahena cum cura purgata, lignum ad calefaciendum necessarium. Quod aqua in hypocaustis ad summam ranam praestanda (v. 21) dicitur inde fortasse explicatur, quod in lacu ranis ex aere puto factis et certis spatiis ad parietes affixis aquae altitudo indicabatur. Summam igitur ranam nisi aqua attingebat, parum aquae praestitisse conductor arguebatur. Ceterum aliunde quantum scio simile nihil traditum neque in balneorum reliquiis usquam observatum est.

Aëna (sive *ahena*, ut grammatici aliquot scribendum docebant) vasa sunt supra hypocausim posita, in quibus aqua balneo destinata calefiebat; docet hoc Vitruvii testimonium aliquod notum V 11, 1 (cf. Marquardt l. s. s. p. 292 adn. 31). Ea igitur conductor iubetur uno quoque mense *lavare tergere unguere[que] adipe e recenti*, id est ex integro, similiter (quod observavit Mommsenus) ut aedificia reficienda curantur *a solo* vel *a fundamentis* et quae sunt similia.

Lignum ad calefaciendum necessarium (v. 31, comprehendo enim hic quoque quae quamvis diversis huius capitis locis scripta re ipsa tamen coniungenda sunt) conductor semper paratum habere iubetur; vendere (v. 28) eius ligni nihil ei licet, nisi quod ad calefaciendum usus nullius est. Haec sine dubio *ligna* illa sunt (v. 28) *ex recisaminibus ramorum quae ostili idonea non erunt.* Etenim recisaminis vocabulum aliunde nondum notum facile derivatur a recidendo vel potius recisando; ostile autem, quod in utraque laminae parte clare legitur, difficilius explicatur. Cogitavi ego de *ustilis*, *ustile* adiectivo ab urendo formato ut ab utendo utilis, a suendo sutilis forman-

tur, probavitque hanc meam coniecturam Buechelerus, qui *o* illud pro *u* positum ex more antiquo repetendum putavit, memor scilicet formarum vetustarum quales sunt *nontiare oncia poplicus corare* et similium, quae tamen aliquo modo diversae sunt. Alia certe explicatio non suppetit.

A pretio pro balneis solvendo excipiuntur liberti (v. 23) et servi Caesaris (si recte hoc supplevimus), qui in officio procuratoris sunt, ut consentaneum est; si supplemus *quique proc. in officis erunt* servosque Caesaris ab illis distinguimus, beneficium balnei gratuiti nimium videtur extendi. Qui commoda percipiunt ei omnes sunt, quibus salaria honorariave solvuntur a procuratore. Gratis praeterea lavant impuberes, more item urbico sive potius universali, quem ex Iuvenalis versiculo quodam notissimo iam cognovimus (sat. II 152 *nec pueri credunt nisi qui nondum aere lavantur*), denique milites. Habuit igitur etiam militiam aliquam in metallis ad manus procurator, si certam eum in hac metallorum regione sedem habuisse statuimus. Tamen nullam ibi in castris fuisse legionem cohortem alam constat. Si procurator in hanc metallorum regionem, quod aeque licet sumere, ex tempore tantum devertebat, potuit ex colonia aliqua vicina, in qua tendebant milites, numerum eorum secum ducere. In coloniis etiam militiam aliquam municipalem fuisse e lege Ursonensi didicimus; de ea autem hic videtur vix cogitari posse.

Conductori instrumenta balinei (si recte supplevimus v. 24) aliaque adsignantur; ea *conductione peracta* (sollemnis haec videtur esse locutio) integra restituere iubetur exceptis quae vetustate corrupta erunt. Secuntur cautiones variae quibus quid conductor balineo praestare debeat quidve non debeat accuratius definitur. Quaecumque conductor (v. 27) in haec (puto in ahena aliaque instrumenta balinei) impenderit quidve fecerit praeterea balinei exercendi causa, ea omnia de suo praestare neque quidquam pro eis reputare, id est de summa vectigalis detrahere debebit. Verum tamen si non sua culpa (v. 26) conductor per aliquod tempus balineum recte praestare non potuit, pro rata eius temporis certam summam de pensione annua vectigalis reputare, id est detrahere, debet sive potius potest aut permittitur. Neque vero haerendum in debendi vocabulo; nam quod licet alicui facere, id etiam facere debere is dici potest non inepte. Reputandi autem vocabulum ea qua hic notione computando opposita etiam a iuris civilis auctoribus usurpatur[1]). Eam autem fere fuisse sententiam enuntiati mutili manifestum est, de verbis ipsis certo modo recuperandis videtur desperandum esse. Quae proposuerunt Mommsenus Buechelerus Hirschfeldius (qui apte comparare iubet ad supplementum ab ipso propositum locum dig. XVIII 6, 2 § 1 aliosque librorum iuris civilis similes), de quot supplendi modis variis cogitari possit indicant. Vix autem causa prohibitionis in iussu quodam ipsius procuratoris quaeri poterit. Recte enim Mommsenus observavit non facile causam aliquam excogitari

[1]) Vide Dirkseni manuale Latinitatis fontium iuris civilis Romanorum s. v.

posse, quae procuratorem movere potuerit ad baluea incolis interdicenda neque intellegi cur excludantur causae aliae usum balneorum impedientes, quales sunt hostes latronesve, incendium, terrae motus, similiave. Requiri igitur necessario cautionem quae complectatur causas omnes quae usum balneorum ita impediant, ut conductor extra culpam sit. Propter *quo minus* particulas quae secuntur ipsum impediendi prohibendive vocabulum usurpatum fuisse probabile est. Lavandi autem vocabulum intransitiva significatione quam dicunt indicare potest ipsius balnei usum neque facile videtur referri posse ad ahenorum purgationem, quae proxime praecedit; quanquam grammaticae leges talem explicationem videntur suadere. Contra illud facile intellegitur, si causa quadam fortuita vel externa balnei usus impeditus fuerit, tum eius temporis, quo conductor balneum recte praebere non potuerit, pensionem a totius vectigalis summa detractam esse. Simili ex causa conductori etiam de lignis, quae in usum balnei parata (v. 28) semper habere debet, ut supra vidimus, nihil vendere permittitur quaestus causa praeter recisamina inutilia; si contra fecit, multa ei dicitur fisco solvenda aut in singulas venditiones (ut infra v. 41 *in singulas prohibitiones*) aut in singulas lignorum vehes; id quod Mommsenus propter multae magnitudinem praetulit secundum exemplum noti tituli urbani (C. I. L. VI 1585), in quo *tignorum vehes decem* memorantur. Contra si conductoris aliqua culpa (v. 30) balnei usus impeditur, procurator multam conductori dicere potest item pro rata temporis puto, per quod prohibitio durabat, neque vero supra sestertium ducentos nummos.

IV Sutrini v. 32-37 Secuntur de sutrino tonstrino fullonicis praecepta cum balineo aliquo similitudinis vinculo coniuncta. Sutrini conductor quid praestare debeat in universum tantum praescribitur. Non calciamenta tantum (v. 36) omnis generis sed etiam loramenta eum praestare debuisse clavosque caligares (qui saepe memorantur alibi, vide Marquardtii enchir. V 2 p. 195 adn. 1800) fixisse atque venditasse ex lege ferrariarum (v. 34), de qua supra dixi (p. 172), aliaque, quae sutores vendebant, vendidisse ex eis apparet, quae reliqui praeter conductorem facere vetantur. Qui invito conductore eorum aliquid, quae illi praestanda competunt, intra fines metallorum fecerit, ei dupli solvendi multa dicitur. Ne sutores (v. 35) quidem veteramentarii admittuntur; excipiuntur fortasse (ea enim verba perierunt in lacuna) qui sua dominorumve calciamenta refecerint, ut Mommsenus proposuit. Vix enim licebit lacunam explere, ut fecit Soromenius, ad eorum similitudinem, quae de tabernis fulloniis praescribuntur (v. 43). Etenim talia si supplemus, lex ita concepta est, ut ei qui clavum caligarem sibi ipse fixerit et ipsi multa solvenda sit.

V Tonstrini v. 37-42 Tonsores tonstrinaeque qualem in vita Romanorum cotidiana inde fere a septimo urbis saeculo exeunte locum occupaverint ex Horatii versiculis notissimis (sat. I 7, 2) discimus[1]). Neque igitur mirum est cum bal-

[1]) Cf. quae de tonsoribus Marquardtius composuit enchir. V 2 p. 205 s.

neo tonstrinam quoque in vico Vipascensi exercendam conductori locatam esse. Quod in hoc capite in universum praescribitur, conductorem privilegio suo ita frui debere, nequis alius in vico metallorum intrave fines eius (sive quod idem significare vidimus, in territoriis eius) tonstrinum quaestus causa faciat, id potuit similiter etiam de reliquis locationibus dici, cum ea universa locationis huius lex sit. Qui contra fecit, conductori multam dare iubetur in singulos ferramentorum usus; ita supplevi lacunam propter ferramenta diserte in eis quae secuntur nominata. Ferramenta ipsa, ne denuo ei noceant, conductori commissa esse lex iubet. Excipiuntur qui non quaestus causa, sed in privatis officiis artem tondendi exercent. Circitores vero alii praeter eos, quos conductor misit, ne privatim quidem singulos domi tondendi ius habent, non magis quam ei qui in tonstrinis tondent. Cum tonsoribus circitoribus legis huius comparari possunt, ut Mommsenus monuit, vestiariorum et linteariorum circitores Ulpiani dig. XIV 3, 5, 4 et ἰατροὶ οἱ περιοδευταὶ καλούμενοι Modestini dig. XXVII 1, 6, 1. Hic quoque pignoris captio conceditur conductori in omnes, qui contra legem tondere susceperint, multaque praeterea dicitur ei, qui pignus capientem prohibuerit. Quae prohibitiones num in hoc potissimum negotio frequentes fuerint atque eam ob causam hic tantum diserte memorentur, ignoramus; fortasse mentio earum casu tantum vel neglegentia alibi excidit. Iniungitur autem conductori, ut recte tonstrinum exerceat, unum pluresve artifices idoneos in portionem conductionis recipere; scilicet cum fieri possit ut ipse tondendi artem non calleat. Inter artes, quamvis non liberales, tonstrinum numerari mirum non est, cum omnes fere opifices artem exercere dicantur recte; noveramus praeterea, quod consentaneum est, disciplinam et exercitationem in hoc officio magni semper aestimatas esse[1]).

VI Tabernae fulloniae v. 43-45

De fullonibus omnia nota sunt[2]); in vico Vipascensi reliqui negotiatores vestiarii cum non memorentur, omne fere vestimentorum negotium in tabernis fulloniis videtur fuisse. Eae quoque locantur ita, ut nemini praeterea quaestus causa (i. e. mercede, ut Buechelerus recte restituit) vestimenta rudia, a mulieribus puto texta, recuratave tractare liceat. Multa eis qui contra fecerint in singulas lacinias dicitur. Pignoris captio hic quoque conductori datur.

VII Scripturae scaurariorum et testariorum v. 46-57

Quod sequitur caput una cum ultimo de ipsis eis opificiis est quae ad metallorum tractationem pertinent. De arte autem metalla tractandi cum praeter ea quae apud Plinium potissimum (in naturalis historiae libris XXXIII et XXXIV) Strabonemque extant (III 2, 8 p. 145 Cas., quae e Posidonio petita sunt maximam partem) non multa nobis tradita sint, difficile est quae his capitibus continentur verba certa ratione explicare et supplere. Frustra certe evolves quos ego evolvi libros tam eos, qui de

---

1) Cf. Marquardtius l. s. s. p. 205 adn. 1904. 1905.

2) Cf. Marquardtii enchir. V 2 p. 139.

universa re metallica veterum sunt[1]), quam qui sunt de Phoenicum Hispanorumque metallis[2]).

Atque primum ipsa capitis inscriptio quid significet videndum. Scaurarios apparet eos esse qui scaurias tractant in ipso capite plus semel nominatas similiterque qui testas tractant testarios. Omnis igitur explicatio inde pendet, quid de harum vocum significatione et usu statuatur. Quod ut recte fiat etiam reliqua huius capitis vocabula nova ex parte quid significent et quo modo usurpentur disputandum est.

Scauriae vocabuli adhuc rusticam tantum novimus formam *scoria*, quam servaverunt linguae neolatinae Itala Francogallica Hispana Portugallica; Graecis σκωρία dicitur. Illi utrum e Latino sermone sumpserint an vocabuli peregrini sonum eum per ω expresserint, qui Romanis *au* erat, ignoramus. Vocabulum potest sane Hispanae originis esse. Scoriam igitur Plinius testatur (XXXIII § 69) eam *quae e camino iactatur spurcitiam in omni metallo vocitari* eandemque ex auro argento aere gigni idem aliis locis testis est (XXXIII § 69 105 XXXIV 107). Haec vocabuli significatio si unica est, quam statuere licet, quid opus scaurariorum fuerit difficile est explicatu. Videndum igitur an recte Mommsenus cogitandum esse proposuerit non de scauriis quae e metallo olim purgato gignuntur denuo purgandis, sed de materia lapidea ipsa quae ex puteis scrobibusve effodiebatur; nam ad hanc quoque purgandi vocabulum, quod infra videbimus de scauriis usurpari, recte pervenit.

Testas non vasa lateresque tantum e terra cocta eorumque particulas fractas, sed etiam lapidum fragmina dici ab eodem Plinio discimus, qui de tofo narrans lapideque albo in Umbria et Venetia dentata serra secari solito dicit lapidem eum *aspergine et gelu pruinisque rumpi in testas* (XXXVI § 166). Inde opus testariorum, qui item primum hic nominantur, eorum fuisse colligo, qui lapidum fragmina aeris inde eruendi causa tractant. Cum v. 56 *flatores argentarii aerarii* tantum memorentur, non aurarii aliorumve metallorum, ex metallo Vipascensi, ex quo hodie aes tantum gigni audimus, aes argentumque sola effossa esse consentaneum est.

---

1) Veluti Blasii Caryophili Itali de antiquis auri argenti aeris ferri plumbique fodinis opusculum (Vindobonae 1757 4.), Reitemeieri *Geschichte des Bergbaus und Hüttenwesens bei den alten Völkern* (Gottingae 1785 8.), I. et L. Sabatier fratrum *production de l'or de l'argent et du cuivre chez les anciens et hotels monétaires des empires romain et byzantin* (Petroburgi 1850 8.), quibus usus est Marquardtius enchir. III 2 p. 143 s. et nuper in opere novo *röm. Staatsverwaltung* II p. 252 ss. Omnium minime et docte et accurate scriptor nuperrimus officio functus est A. Leger Francogallus in libro *les travaux publics, les mines et la métallurgie des Romains, la tradition romaine jusqu'à nos jours* (Parisiis 1875 8 mai. cum tabulis multis), quamquam ab homine qui artem intellegit nova edoceri iure expectaveris.

2) De Phoenicum metallis quaecumque traduntur doctissime ut solet composuit Moversius *die Phönizier* II 3 (Berolini 1856 8.) p. 27 ss.; de Hispanorum videantur Bethii commentatio de antiquae Hispaniae re metallica (Gottingae 1808 4.), Ukerti *Geographie der Griechen und Römer* II 1 (Wimariae 1821 8.) p. 327 ss., Roesingeri dissertatio *über den Gold- und Silberreichthum des alten Spaniens* (Svidnitiae 1858 4.).

Cum scauriis autem argentariis aerariisque, quas v. 46/7 supplere licet probabiliter, coniunguntur praeterea pulvis ex scauriis et rutramina (v. 47). Pulveris igitur vocabulum non arenam videtur significare, ex qua aurum potissimum lavando scimus extractum esse, sed eum pulverem, qui scauriis testisque fractis relinquitur. Rutramen autem vocabulum et ipsum alibi nondum quantum scio lectum a rutrandi verbo recte derivatur velut a flando flamen, a vocando vocamen aliaque similia non pauca. Rutrandi autem verbum a rutro ductum vel si mavis ab eadem ruendi radice tam rutrum nomen quam rutrare verbum. Rutrum ligoni asciaeve simile esse instrumentum lexica docent; scilicet eius generis malleus videtur fuisse, quo lapides e puteis prolati tundebantur, ut quidquid in eis metalli superesset inde erueretur[1]). Cum infra v. 50 coniungi videantur, si modo recte supplevimus, *ae[ris argentive ru]tramina*[2]), probavit mihi Mommsenus eo vocabulo etiam scaurias pulveremque aliquatenus comprehendi potuisse, cum ea quoque rutro pararentur. Praeter scaurariorum testariorumque opus, quod bis in hoc capite quale fuerit indicatur (v. 47 48 et 53 54), ut mox videbimus, altero loco sòlo additur lapicaedinarum mentio. Inde testariorum opus, quod in capitis inscriptione diserte iuxta scaurariorum nominatur, proclive est ad lapicidinas referre. Tamen cum v. 54 *lapides lausiae* e lapicidinis provenire dicantur, non testae, hic quoque minus accurate lex videtur concepta esse lapicidinaeque quasi extra ordinem adiectae ad metallorum opus. In iure quoque ut apud reliquos scriptores lapicidinas inter metalla referri Mommsenus ex codice Theodosiano X 19, 8 indicavit. Quae iuxta lapides item primum in hac lege nominantur lausiae, eas apparet arto quodam vinculo iunctas fuisse cum lapidibus. Pronum quidem est de lavandi lavendive radice cogitare, a qua lausiae potuerunt derivari similiter ut ab induendo indusium. Sed lavando aurum ex fluviorum arena extractum esse novimus; deinde etiam pulverem ex scauriis lavari solitum esse consentaneum est. Quid in lapicidinis lavari potuerit difficile assequaris. Comparavit Buechelerus lausias cum lautumiis et cum Doriensium voce λεύς pro λᾶς putatque ex *lautiis* ortas esse ut *noxiam* e *noctia*. Tamen *lautumiae* vocabulum Graecanicum est ex Graeco λαοτομία sive λατομία aut λατομεῖον inflexum ut ex Λαοδίκεια *Laudicea* et similia[3]). Extat in lingua Hispanica vocabulum *losa*, in Portugallica *lousa* sive *louza* significans tabulam lapideam; hoc saeculo quarto decimo

---

[1]) Minus probabiliter, nisi fallor, Buechsenschuetzius cum rutraminibus retrimenti vocabulum componere voluit, quod, ut lexica docent, etiam de metallis usurpabatur; ut Celsus plumbi retrimentum Graecis σκωρίαν μολύβδου esse diceret. Significatio est similis, origo aperte diversa, cum reterendo fórtasse cohaerens ut cum deterendo detrimentum.

[2]) Quod Soromenius supplendum proposuit *ae[s pulveremve vel ru]tramina* propterea probabile non est, quia aes non purgatur, sed prodit ex purgatione.

[3]) Id quod Usenerus olim plene expósuit in ann. philol. a. 1865 p. 227 ss.

Latine *lausa* scribi docet Ducangii glossarium. Scio ad Arabicam originem haec referri solere; sed num iure hoc fiat dubito[1]).

Haec sunt quae de singulorum vocabulorum huius capitis significatione praemittenda duxi. Opus autem scaurariorum testariorumque, quos iam coniungere tuto licebit ut in capitis inscriptione coniuncti sunt, quale fuerit ex illis verbis licebit colligere, quibus duobus illud huius capitis locis describitur,

v. 46 47 .... *re expe|dire frangere cernere lavare*

v. 53 54 .... *pu* .... *frac*]|*tum cretum lavatumque*

In lacuna utraque unum alterumve praeterea verbum potest intercidisse (v. 47 litterae circiter viginti quattuor exciderunt, v. 56 circiter viginti sex): quale illud illave fuerit certa coniectura statui non posse patet praeter purgandi vocem, quae summa cum probabilitate restituitur. Collatis Plinii verbis (XXXIII § 69) tundendi urendi molendi verba locum hic habere potuerunt. Deinde cum expediendi etiam tollendi notio facile coniungitur; denique ne flandi quidem opus absonum videtur, ut demonstrant quae v. 56 secuntur.

Scauriae igitur argentariae aerariae, pulvis ex eisdem scauriis, rutramina (cui vocabulo *ve* particulam a quadratario casu omissam addidi propter *pulveremve* quod praecedit) purgando frangendo cernendo lavando parabantur; nam verba illa quanquam non posita eodem quo nomina ordine tamen referenda esse frangendi verbum ad rutramina, cernendi ad scaurias, lavandi ad pulverem manifestum est. Quae praecedebant verba (v. 47) *ad mesuram pondu*[*sve* .... (exciderunt litterae circiter viginti)]*re expe*|*dire* vix certo modo licebit supplere. Quod tollendi fortasse expediendique verba praecedunt reliqua, quae secundum ipsius operis naturam debebant antecedere, non offendit in sermonis illa neglegentia, quam per legem universam videmus obtinere. — De his Mommsenus haec mecum communicavit: 'Ubi agitur de purgatione, mensura ponduseve recte interponi potuit ita, ut singulis operis singulis diebus non permitteretur ex metallis scaurias testasve extrahere ultra certam mensuram certumve pondus: qua de re cum in lege de metallis generali cautum esset, hoc loco brevis indicatio sufficiebat. Quapropter cave, ne emptionem huic loco interponas a tota capitis sententia plane abhorrentem. Expediuntur autem non tantum ea quae foras mittuntur, sed ea quoque quae manu tractantur et perficiuntur: pariter ut v. 54 agitur de *lapidibus lausiis expeditis*. Itaque expediendi vocabulum non significat hoc loco nisi id ipsum quod paullo diversa ratione significatur iuxta positis purgandi et frangendi et ceteris'.

Cum scaurariorum opere coniungitur deinde *opus in lapicaedinis quo quo modo faciendum* (v. 48), quod non ad testarios referendum sed a scaurariorum testariorumque opere diversum propter externam tantum aliquam

---

[1]) De lausiae vocabulo Soromenius mecum sentit, qui *pedras de lousa* Portugallensium cum Francogallorum *tables d'ardoise* componit. Nam lapidem scissilem reperiri frequenter in lapicidinis prope *Aljustrel* adnotat.

lapicidinarum cum metallis similitudinem hoc capite comprehendi supra dixi. Scilicet praeter ipsum opus lapidariorum, qui lapides quadratos ad aedificandum destinatos caedebant aut veluti sectores serrarii Italicenses illi (C. I. L. II 1131 1132) secabant, lapides vel minutim vel in truncos non laevigatos caesi ad vias sternendas pavimentaque facienda usurpati indicantur.

Qui scaurias tractare volent quive ad ea opera facienda servos mercennariosque (id est operas ingenuas) mittant, ut lex loquitur v. 49, ii intra triduum apud conductorem metalli se hoc facturos esse profiteri conductorique pro operariis singulis pensionem menstruam aliquot denarium (summa haec in lacuna interiit) solvere debent. Comparari fortasse potest dedicatio in Lusitania reperta et a me edita (C. I. L. II p. LI) hominis alicuius privati *ob repe[rta a]uri p(ondo) CXX*; nisi ibi de thesauro invento agitur[1]).

Hac igitur opera Mommsenus putabat contineri ipsum opus metallorum effodiendorum. Scilicet licuisse unicuique servos mercennariosque mittere ad puteum instituendum scauriarum extrahendarum causa lapidumve caesuram, modo conductori numerum hominum recte ederet, mercedem, de qua ibi cautum est, solveret, omnino quae hac lege perscripta sunt recte observaret. Fieri potuisse, ut conductor partem operis ipse perficeret, scilicet puteum primarium institueret, quo casu mercede ab operarum nomine solvenda non tantum pro conductionis summa, sed etiam pro impensis illis ei satisfaciendum erat. Nec sane prohibitum fuisse conductorem, quo minus ipse quoque per operarios suos scaurias extraheret lapidesve caederet; quo facto mercedem nullam ei solvendam fuisse. Sed neutrum ut sumatur ipsa re requiri; immo magis officia ita partita fuisse videri, ut conductor soli tantum usum praeberet, metallarius autem per servos mercennariosque puteos effodiendos et scaurias extrahendas purgandasque curaret.

Observandus in hoc capite coniunctivi usus (*profiteantur et solvant*) pro imperativo, quem hic (ut v. 60) expectamus (*profiteri debento*; quanquam ne debendi quidem vocabulum severioribus linguae legibus satis facit). Vix autem coniunctivus ille excusabitur eo quod sequitur *ni ita fecerint*. Neque enim credendum est voluisse ita procuratorem metallorum quasi exhortari alios praeter conductorem ut eius modi opera susciperent.

Adduntur deinde cautiones aliae. Qui aliunde *ae[ris argentive ru]tramina* (v. 50) in fines metallorum (non metalli Vipascensis, ut expectaveris) intulerit, puta ut purgationem scauriarum vicino aliquo loco effossarum commodius perficeret in metallo Vipascensi, is in pondo centum denarium unum conductori solvere iubetur. Non multum igitur aeris ex scauriarum pondere satis grandi videtur extractum esse; atque exiguam tantum summam conductori solutam esse inde quoque explicare licet, ut Mommsenus

[1]) Vide Hirschfeldium l. s. s. p. 74. [Non absimili ratione constitutione Valentiniani et Valentis (cod. Theodos. 10, 19, 3 = cod. Iust. 11, 7, 1) invitantur qui volent ad aurum ubiubi legendum ita ut *qui sponte confluxerint octonos scripulos* auri non purgati singuli singulis annis fisco pendant (cf. cod. Theod. 10, 19, 12 = cod. Iust. 11, 7, 5) Th. M.]

monuit, quod conductor tum nihil fere praebebat praeter usum soli. Qui infra v. 56 appellantur *flatores argentarii aerarii* probabiliter idem Mommsenus putavit non diversos esse ab eis, qui scaurias pulverem rutramina purgare ... expedire frangere cernere lavare susciperent; hic enim de opere, illo loco de opera agitur. Loci autem illi alii, unde metalla proveniunt, videntur *ubertumbi* appellari; ita enim *ex alis locis ubertumbis* v. 56 clare legitur in aere. Hoc vocabulum certa ratione nondum explicatum est; neque vero negandum etiam omisso supplemento eo quod supra proposuimus *ubertumbisae* .... litteras alio modo posse coniungi, ut unum duove alia inde vocabula nanciscamur. Aperte ita designantur loci vicini, neque vero ad fisci metalla pertinentes, ubi metalla ea effodiantur, quae ne importentur hoc legis capite cavetur; unde ad ubertatis notionem facile ducimur. Atque *ubertare* et *ubertuosus* vocabula latinitatis recentioris Ducangii glossarium indicat; *ubertus* inde cogitari potest aliquod fuisse vocabulum. Ad *tumbus* vero sive *umbus* suffixum, ut videtur, explicandum nec amicis nec mihi adhuc contigit monstrare rationem probabilem. Ceterum non pauca vocabula aut certo peregrina (Hispana potissimum et Delmatica) aut peregrini soni in auri argentique metallis obtinuisse e Plinio discere licet: *apitascus arrugia balux* (sive *balluca* codicis Theodosiani X 19, 12) *corrugi palagae* sive *palacurnae segutilum talutatium tasconium urium, crudaria galena*; ad metalla Hispana pleraque pertinere et a Cornelio Boccho scriptore Hispano tradita esse probabile puto.

Qui denarios in pondo centum singulos hoc legis capite statutos (certa enim huius enuntiati supplementa sunt) statuta die, id est ea die qua die deberi coeptum est, non solverit *duplum dare debeto*; ita enim sine dubio tria D, quae clare leguntur in aere (v. 52 = v. 45 posticae) explicanda esse supra monui. Pignoris captio hic quoque conductori datur. Commissa conductori deinde ea sunto, nisi solutum erit quidquid conductori debitum erit, quae contra conductoris privilegium ab aliis e scauriis pulvere rutraminibus (nam quanquam brevitatis causa lex de scauriis solis loquitur, pulvis etiam et rutramina sine dubio intellegenda sunt) et ex lapicidinis extracta erunt: (v. 53) *quod eius scauriae pu*[*rgatum* ..... *frac*]*tum lavatumque erit quive lapides lausiae expeditae in lapicaedi*[*nis erunt*]; ita enim satis probabiliter lacunae explentur.

Restat exceptio similiter ut supra in tonstrino (v. 39) facta eorum gratia (v. 55), qui in privatis officiis agunt. Flatores enim illos argentarios aurariosque privatos eos homines supra dixi videri intellegendos, qui per servos mercennariosque scaurias metalli Vipascensis tractare aut scaurias alienas ibi purgare suscipiebant. Suppleri igitur possunt aut cum Soromenio servi libertique, qui flaturis dominorum patronorumve apte conveniunt, aut iidem qui supra nominantur servi mercennariique; utrumque enim supplementum spatio convenit. Etiam mercennarios qui mittunt patronos dici potuisse consentaneum est. Quod in fine posui supplementum magis exempli causa *qui flaturis* ... [*operam dant*] incertum esse vix est quod moneam. Illi igitur operarii ita excipiuntur, ut eos pignoris loco conductor capere nequeat, ne domini patronive nimium damnum accipiant.

Quod ludi magistri capite hoc loco satis incommode, ut supra dixi, de conductione locatione operum metallicorum praeceptis interposito a procuratore metallorum dicuntur immunes esse, id recte sine dubio a Mommseno in adnotatione infra posita comparatum est cum nota grammaticorum a muneribus publicis in municipiis libertate. Grammatici igitur sive artificio sive opificio nulla munera onerave publica metalli Vipascensis imponuntur. Nulla igitur, ut supra dixi, huius capitis praecepto cum reliquorum praeceptis similitudo est. VIII Ludi magistri v. 59

Puteos metalli Vipascensis procuratorem metalli vendidisse supra iam vidimus (v. 3 15). Puteos, quae Graecis φρέατα sunt, ad omnia metalla effodienda factos esse novimus Plinio (XXXIII 66 ubi de *puteorum scrobibus* loquitur et XXXIV 2) et Strabone[1]) testibus. Miratur ille (sive potius is quem sequitur auctor, puto Cornelius Bocchus) *adhuc per Hispanias ab Hannibale incohatos durare puteos* (XXXIII 96). Itaque in puteis effodiendis aeque atque in scauriis purgandis pulvere lavando testis rutrandis lapidibus caedendis operam ipsorum metallorum primariam constitisse probabile est. Sed eadem conductione metalli etiam ius continebatur putei effodiendi; id quod ex ultimo huius legis capite, quod quidem servatum est, discimus. Videtur autem res similiter atque in scauriis tractandis ita fuisse instituta, ut conductores huius vectigalis, quamquam et ipsi sine dubio puteorum effodiendorum ius habuerunt proque eo iure pensionem procuratori metallorum solvebant, tamen plerumque non ipsi eo iure uterentur, sed *e lege metallis dicta* (v. 59) aliis quoque puteos effodiendi ius esset certis condicionibus. Lex illa metallis dicta utrum haec ipsa metallo Vipascensi dicta sit an alia quaedam universalis, quae ad metalla omnia pertinebat, dubitari potest; Mommseno hoc, mihi illud magis probatur. Metallum enim hoc Vipascense etiam plurali numero metalla dici potuisse supra vidimus. Ex hac autem lege qualicumque unicuique licebat intra fines huius metalli [*puteum locum*]*que putei* (ita supplevi, neque vero satis confidenter; expectaveris saltem *locumve*) usurpare occupareve iuris retinendi causa, dum modo intra certum temporis spatium (bidui fortasse, cum B littera in aere servata vix aliud supplementum patiatur) apud conductorem huius vectigalis servos mercennariosque, quos ad puteum effodiendum miserit, profiteatur conductorique pro operariis puto singulis pensionem menstruam solvat. Hoc est quod supra vidimus dici puteos a procuratore emere, scilicet tractandos effodiendosque emere. Quaeritur usurpationes illae emptionesve puteorum cur in ipsa capitis inscriptione dicantur pittaciarium. Pittacium, quod vocabulum num a Graeco πύκτις recte derivetur dubito, cum pice autem aliquanto probabilius videtur componi posse, pittacium igitur schedulam inscriptam plerumque IX Usurpationes puteorum sive pittaciarium v. 58-60

---

1) L. s. s. p. 146 C ὁ χρυσὸς . . σύρεται καὶ πλύνεται . . , ἢ ὀρύττεται φρέαρ, ἡ δὲ ἀνενεχθεῖσα γῆ πλύνεται . τὰς δὲ τοῦ ἀργύρου καμίνους ποιοῦσιν ὑψηλάς . . . . · τῶν δὲ χαλκουργείων τινὰ καλεῖται χρυσεῖα, ἐξ ὧν τεκμαίρονται χρυσὸν ἐξ αὐτῶν ὀρύττεσθαι πρότερον.

significare, quales quidem vini amphoris affigi solebant, deinde etiam epistulas breves libellosque e Petronio Lampridio codice Theodosiano aliis lexica adnotant. Pittacia igitur haec aliqua ratione credendum est figi potuisse ab empturientibus eis locis, ubi puteum effodiendum suscipiebant, fortasse nominibus ipsorum inscripta. Hoc autem necessarium videtur fuisse, ne diversorum dominorum patronorumve operae in puteis incohandis alter alteri officerent. Pittacia autem illa putandum est aliqua ratione conductori indicata ab eoque certa pensione accepta aut pro puteis aut pro operariis singulis in codicem relata esse, ut qui professi essent solvissentque eo modo ius putei effodiendi retinerent. Ita vectigal illud pittaciarium dici potuit. Non sine dubitatione autem haec Mommseno potissimum auctore propono; probabilia tamen puto, quanquam cum aeris scriptura hic ad finem perveniat, coniecturis ultro indulgere sane temeritatis esse videatur.

Haec fere sunt, quae de singulis legis capitibus adnotanda habui. Siquis quae inde discimus nova non pauca in universum consideraverit, nova in primis sunt quae de metallorum condicione et administratione universa inde desumere licet. Ad exemplum a regni Aegyptiaci administratione petitum non pauca eius generis instituta esse observavit Hirschfeldius[1]). Deinde mirabimur in metallorum illorum administratione iam Romanos similia fere secutos esse, quae multa post saecula hac demum aetate vidimus reviviscere. Ut e metallis fisco imperatorive reditus, quos per duo priora aerae nostrae saecula ingentes fuisse certum est, quam maximi essent Hispaniaque potissimum maneret qualem iam praedicaverat Posidonius ταμιεῖον ἡγεμονίας ἀνέκλειπτον (Strabo III 2, 9), operarum in locis desertis et incultis degentium vita et victus sublevandus ipsique a negotiatorum opificumque iniuriis quam maxime vindicandi visi sunt. Propterea ne a privatis negotiatoribus quae ad victum desiderantur emere cogerentur qualia illi praestare voluissent quibusque pretiis, conductoribus ea praestanda locabantur, ut fisco inde lucrum redundaret hominesque necessaria recte acciperent pretiisque moderatis. Propterea summa cura nequis alius negotia conductoribus reservata sibi sumeret cavebatur in eosque qui adversus ea facerent magna cum severitate animadvertebatur.

Ratione admodum simili qui in Britannia potissimum et in confoederationis Americanae civitatibus per loca inculta vias ferreas ducendas aliaque opera publicae utilitatis perficienda aut etiam metalla exercenda susceperunt, operis ad eos labores tolerandos conductis et e longinquo saepe arcessitis mercedem noluerunt pecunia solvere, qua ad victum necessaria a negotiatoribus privatis maximo cum incommodo damnoque ipsi operarii sibi pararent, sed victum ipsum reliquaque necessaria praebuerunt pro certis

---

1) *Untersuchungen u. s. w.* 1 p. 284 adn. 1.

pretiis sibi solvendis sive de mercede laboris deducendis; quam mutui rationem dicunt sive *the truck system* Anglice. Notum est quot quantaque detrimenta accipiant a cuiusvis generis venditoribus qui in aurifodinis Californicis Australicisque ob auri sacram famem famem sitimque et siqua sunt peiora tolerant. Eis si procurator aliquis metallorum conductionis locationis legem talem dicere posset, qualem dictam fuisse videmus ante saecula fere duodeviginti metallo Vipascensi in Lusitania, de ipsis melius ageretur eique, qui rerum publicarum curam agunt, etiam fisco publico reditum inde pararent non spernendum[1]).

AEM. HÜBNER.

ADNOTATIONES TH. MOMMSENI.

Ad p. 171. Legem se esse ipsa tabula enuntiat; qualis vero lex sit, quaeritur. *Lex metallis dicta* quae significatur v. 59, ab hac si quid video diversa est: primum quod uno loco excepto (v. 51) fodinae eae de quibus hac lege agitur, non metalla dicuntur, sed metallum; deinde quod ita ibi de puteis metalli Vipascensis cavetur, ut remittamur ad legem metallis omnibus (fisci scilicet) communiter dictam metallaque ea universa opponantur *huic vectigali*, id est metallo Vipascensi. Procurator sane ubi nominatur dicitur *qui metallis praeerit* (v. 21) vel *metallorum* (v. 2 3 30 57); sed nihil impedit, quominus is praefuerit metallis pluribus, puta iis quae in Lusitania essent vel in Hispania universa. Neque autem lex haec proficiscitur a procuratore metallorum, cum immunitatem ludimagistris det a procuratore eo (v. 57) itaque is ipse ea teneatur. Est igitur lex fiscalis ab ipso imperatore utpote metalli Vipascensis domino ei metallo dicta. Subit autem ea quodammodo in locum legum earum, quibus constituuntur coloniae municipiaque. Neque enim agitur in lege de sola re metallaria, quamquam primarium in lege locum ab ea obtineri consentaneum est, sed territorium ibi ordinatur certis finibus comprehensum (*intra fines* v. 2 10 58 *in finibus* s. *in fines* v. 46 51; *in v[ico metalli Vipascensis inve] territoris eius* v. 37) itaque omnino positum extra fines coloniarum municipiorumque; quod territorium cum rem publicam non habeat, nihilo minus quodammodo pro re publica est. Id praesertim intellegitur ex eo quod legitur v. 57: *ludi magistros a*

[1]) Postquam haec impressa sunt Soromenius sciscitanti mihi rescripsit lamminam casu inventam esse inter fodinarum explorationem una cum nummis reliquiisque instrumenti, quali operas Romanos usos esse probabile sit; nummos maximam partem Augusti esse, reliquos usque ad Arcadium pertinere. Quae omnia cum in *Aljustrel* adhuc servarentur, nondum accuratius se examinasse.

proc(uratore) metallorum immunes ess[e placet][1]). Ubi enim immunitas tribuitur, ibi munera fuerint necesse est et qui re municipes essent, licet vocabulo eo non utentes. Imitatur omnino hoc ludi magistrorum privilegium immunitatem in re publica grammaticis concessam, qua de re satis nota conferri possunt constitutio Pii (Dig. 27, 1, 6, 2) quaeque exposuit Kuhnius (*städt. Verf.* 1, 83 seq.). Itaque exempli causi viarum faciendarum et reficiendarum munus iis qui intra fines metalli Vipascensis habitabant similiter indictum est atque indicebatur civibus rei publicae qualiscumque; indicebatur autem ut his a magistratibus suis, ita illis a procuratore metallorum, quem pro magistratu in his territoriis fuisse consentaneum est.

Neque eiusmodi ordinatio ad metalla sola pertinuit. Simili iure fuerint necesse est territoria legionibus attributa, quae innotuerunt ex terminis Hispanis collocatis ad dividenda prata legionis IIII et agrum Iuliobrigensem (vol. II n. 2916), item ex titulo nuper reperto Aquinci (huius eph. vol. 2 p. 382 n. 696) balnei a solo facti *territorio legionis II adiutricis*. Nam illa praedia constat, haec probabile est fuisse extra territoria rerum publicarum. Eodem ducit quod scribit Frontinus de contr. agr. p. 46 Lachm.: *inter res publicas non mediocriter eius modi* (scilicet de modo) *controversia solet exerceri, quam frequenter coloniae habent cum coloniis aut municipiis aut saltibus Caesaris aut privatis.* In universum praedia fiscalia procuratores suos habentia, qualia sunt *saltus Carminianenses in Calabria* (Not. Dign. Occ. 12, 18 Seeck), *praedia saltuum Hipponensis et Thevestini* in Africa (Renier n. 2343), alia diligenter nuper composita ab Hirschfeldio nostro (*Staatsverwaltung* p. 24 seq.), probabile est fuisse extra territoria civitatibus attributa neque magistratus ullos habuisse, sed locum magistratuum obtinuisse procuratores. Ne privatorum quidem possessiones similiter ordinatas esse potuisse negaverim; certe latifundia sex illorum dominorum quos imperante Nerone semissem Africae possedisse Plinius ait, vix credibile est finibus civitatium eius provinciae comprehensa fuisse.

Eodem refero quae saeculo quinto et deinceps inveniuntur res publicae magistratibus destitutae et constitutae sub solo defensore[2]). Crediderim autem universam hanc ordinationem ab institutis Romanis abhorrentem ex Aegypto adscitam esse, quam rei fiscali aetatis imperatoriae quodammodo normam imposuisse satis probabile est. Quod si ita est, minus mirabimur eiusmodi territorium carere nomine iusto Latino: certe vicus pars est co-

---

[1]) Si servatum esset verbum quo haec reguntur, fortasse genus legis huius certius inde definiretur. Potest cogitari de supplemento tali *ess[e volo]*, ut loquatur imperator. Similiter v. 2 23, ubi *imp.* et *Caes.* supplevimus, potuerunt item suppleri adhibito vocabulo *mei.* Sed quamquam dubium non est ab imperatore legem dictam esse, praetulerim id quod posuimus.

[2]) Honorius et Theodosius Cod. Theod. 8, 12, 8 a. 415: *in provinciis apud provinciarum rectores vel, si praesto non fuerint, apud magistratus municipales vel, si civitas vel oppidum ... non habeat magistratus, apud defensorem plebis.* Eadem redeunt in lege Leonis Cod. Inst. 8, 53 [54], 30, 1.

loniae municipiive nec nisi abusu ad eiusmodi territorium refertur. Magis crediderim his praediis proprium esse saltus vocabulum. Sed universa haec quaestio ut late patet et digna est subtili indagatione, ita hoc loco nullo modo absolvi potest, sufficitque eam proposuisse.

Itaque tenemus legem metallo Vipascensi dictam ab imperatore eodemque domino, qua lege tam res metallaria quam in universum quidquid ad regionem ordinandam pertinebat similiter ordinabatur, ut res publicae ordinantur legibus coloniarum municipiorumque.

Ad p. 173. Capitum inscriptiones si quid video scriptae sunt nominativo; nam *ludi magistri* c. VIII et *usurpationes puteorum* sive *pittaciarium* c. IX aliam explicationem non recipiunt. Ad capita septem prima quod attinet, nominativus a quo genetivi hi reguntur periit cum principio legis; potest fuisse, ut coniecit Huebnerus, (*locatio conductio*) *centesimae argentariae stipulationis* et sic deinceps. Sane quae leguntur c. II *scripturae praeconii* et c. VII *scripturae scaurariorum et testariorum*, possunt haberi item pro nominativis pluralis; sed hoc posito vix aptam sententiam expediemus. Scriptura autem scaurariorum et testariorum mihi est professio v. 49 commemorata, quam in scriptum redactam esse consentaneum est. Scriptura autem praeconii quid significet nescio; nam secundum ea, quae in ipsa lege perscripta sunt, ad praeconium non admittebantur qui vellent professione facta, sed locabatur ut tonstrinum et reliqua. Quare videndum est, ne intellegatur scriptura et praeconium; neque enim absurde statuemus praeconem item in litteras rettulisse quae perscribenda sunt in auctione facienda.

TH. MOMMSEN.

ADDITAMENTVM.

Officiosa Soromenii liberalitate factum est, ut huic volumini possemus adicere tabulas duas arte quam dicunt heliographa Olisipone ad ipsum aes quam accuratissime expressas; designantur antica et postica aeris partes litteris *A* et *B*.

ADDITAMENTA
AD CORPORIS VOL. II.

AD PROVINCIAE BAETICAE CONVENTVS ASTIGITANI CAP. VII SABORA.

A *Cañete la Real* orientem versus iuxta collem adhuc *el cerro de Sábora* dictum (ut affirmant) et prope viam quae est ad *las Cuevas del Becerro*, inter vestigia oppidi antiqui in collibus dictis de *Fuente-peones* late sparsis, ante quam acceditur ad praedium *los cortijos de la Colada*, basis extat alta *vara y media*, *media de ancho y tres cuartas de frente*, inscripta ita litteris, ut credunt, saeculi tertii.

142 (ins. post n. 1423).

L | A E M I L I V S · S I S E N *na*
qui | R I N A
sa | B O R E N S   I S
vi | V O   S E · P O   S V I T

Antonius de Aguilar y Cano repperit exemplumque misit Aureliano Guerrae, qui edidit *revista historica* a. 1876 m. Sept. (n. XXIX) p. 259.

Spatium quod consulto vacuum relictum est continuisse dicitur signum aliquod anaglyphum, ut putant, ex aere factum. A laeva deesse versui uni cuique litteras binas ternasve, praeterea primo exeunti tantum item duas vel tres, praeterea vero nihil, adnotat editor. Tribus cognomini postposita in regionibus illis non offendit. Non opus igitur cum Guerra supplere *Sisen*(*na*) [*L. f*(*ilius*)]; nec facile cognomen per compendium scriptum admittendum. Versus quarti supplementum certum, nisi fallor, debetur Fideli Fitae. Guerra de [*Al*]*vose* vel simili quodam dei alicuius peregrini nomine cogitaverat; sed titulus aperte sepulcralis est. Nomen oppidi versu tertio suppletum ab editoribus propter situm non caret dubitatione; nam quamquam sane fieri potest ut fuerit ibi Sabora oppidum novum in planitie extructum, cuius meminit epistula Vespasiani ad magistratus Saborae veteris (vol. II 1423), tamen eodem iure aut *Borensis* simpliciter (fuit enim *Bora* oppidum Baeticae, cuius nummi extant) aut aliud nomen in . . *bora* sive . . *borum* desinens in titulo fuisse statues.

143 Fragmentum rep. in eodem praedio sive *huerta de Fuente-peones*, servatum Matriti apud Guerram.

IVS · L . . . IN . . IVS
VLESIS · ANN . . XXXX
S · S · E · S · T · T · L

Aguilar dedit Guerrae, qui edidit l. s. s. p. 260.

V. 2 supplendum fortasse *Lacildulensis* sive *Lacidulensis*, cf. Ephem. III n. 9; id enim oppidum non nimis multum inde distat.

V. 3 fortasse [*h(ic)*] *s(itus) s(epultus) e(st)* e. q. s.

---

144 In eadem regione, prope *Cerrato* in praedio dicto *el cortijo de Borbon, frente a las huertas de Cañamero*, sed non eodem situ atque praecedentes hic titulus prodiit

D · M · S ·
VICTOR AN LV
HSTIEISSTTL

Aguilar dedit Guerrae, qui edidit l. s. s. p. 260.

Adscripsi propter formulas v. 3 obscuras; fuit fortasse *h(ic) s[it(us)] e[t] s(epultus), s. t. t. l.* Cf. titulus qui praecedit.

AD PROVINCIAE BAETICAE CONVENTVS CORDVBENSIS CAP. VI, QVOD COMPREHENDIT OPPIDA INTER MALACAM ET ILIBERRIM SITA.

Supra in hac ephemeride III n. 12 edidi titulum sepulcralem *Q. Fabii Carpi* alicuius *Ulisitani* a Guerra mecum communicatum. Nomen oppidi eius adhuc ignoti, quod *Ulisi* fuisse patet, Guerra similitudine Ulixis nominis forma Latina ductus idem oppidum indicare sibi persuasit atque fabulosam illam Ὀδύσσειαν, cuius Strabo meminit, quamque putavit nomen servasse in hodierno *Ujijar* oppido in montibus *la Alpujarra* sito. Scilicet postquam Abderae Phoenicum κτίσματος mentionem fecit ita pergit Strabo (III 4, 3 p. 157 Cas.): ὑπὲρ δὲ τῶν τόπων ἐν τῇ ὀρεινῇ δείκνυται Ὀδύσσεια καὶ τὸ ἱερὸν τῆς Ἀθηνᾶς ἐν αὐτῇ, ὡς Ποσειδώνιός τε εἴρηκε καὶ Ἀρτεμίδωρος καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανός, ἀνὴρ ἐν τῇ Τουρδητανίᾳ παιδεύσας τὰ γραμματικὰ καὶ περιήγησίν τινα τῶν ἐθνῶν ἐκδεδωκὼς τῶν ταύτῃ· οὗτος δέ φησιν ὑπομνήματα τῆς πλάνης τῆς Ὀδυσσέως ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἀσπίδας προσπεπατταλεῦσθαι καὶ ἀκροστόλια. Indidem alio loco Strabo (III 2, 13 p. 149 Cas.) καὶ ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ Ὀδύσσεια πόλις δείκνυται καὶ Ἀθηνᾶς ἱερὸν καὶ ἄλλα μυρία ἴχνη τῆς τε ἐκείνου πλάνης e. q. s. Alia Ulixis Teucri Amphilochi reliquorum heroum vestigia per Hispanias ex eisdem fontibus loco supra indicato proferuntur.

Quae Graeci isti homines per Hispanias iter facientes, ut Posidonius et post eum Artemidorus Ephesius eosque secutus Asclepiades in urbe aliqua Graeca sive Punica Baeticae eruditus in locorum fluviorum montium nominibus deprehendere sibi visi sunt cum Graecis nominibus similitudines nos merito spernemus. Duo enim nuper inventi sunt tituli, qui Ulisi prorsus diversam esse et nomine et situ demonstrant a Turdetana illa Ulissia, si dis placet. Praedia enim duo sunt vicina eius loci, quo prodierat titulus Carpi illius civis Ulisitani, dicta *Maria Aldana* et *del Rio* (*termino de Saucedo*, *provincia de Málaga*); ibi inter rudera permulta tegularum lapidum aedificiorum oppidi alicuius veteris non exigui a. 1876 tituli hi prodierunt.

145 (ins. post n. 2061). *Cortijo del Rio.* Ara litteris tenuissimis et ornatis, similibus omnino arae taurobolii Cordubensis a. 238 (Ephem. III n. 15).

I · O · M ·
L · FABIVS · L · F · QVIR · CHRYSIP
PVS · OBVLCONENSIS · DEDIT

Emmanuel Cueto y Rivero invenit, Aurelianus Guerra edidit ex ectypis ab eo missis *revista historica* a. 1876 mens. Sept. (n. XXIX) p. 261 ss. Obulco satis longe distat a regione illa.

---

146 *Cortijo del Rio.* Cippus sepulcralis.

D · M · S
C . T · FABIANVS
VLISITAN . . TVR
A . .   XXXV
P · IN SVIS
H · S · E · S · T
T · L

Cueto misit Guerrae, qui edidit l. s. s. p. 258.

---

147 *Cortijo de Maria Aldana.* Cippus sepulcralis.

D · M · S
M · F · POLLEN
TINA · AN · LXX
PIA · IN SVIS
H · S · E · S · T · T · L

Cueto misit Guerrae, qui edidit l. s. s. p. 258.

Tituli hi quattuor (cum Carpi titulo Ephem. III n. 12) quanquam per se non magni momenti, tamen cum in duobus redeat patria defunctorum Ulisitana, secundum consuetudinem saepius observatam potissimum in titulis Hispaniae meridionalis, satis demonstrant oppidum Ulisi adhuc ignotum fuisse ibi prope, ubi inventi sunt.

AD PROVINCIAE TARRACONENSIS, CONVENTVS ASTVRVM CAP. IV ASTVRES TRANSMONTANI.

In Asturiae veteris regione ea, quae est a legionis VII castris (*Leon*) versus septentriones ad radices montium, qui Astures transmontanos secernunt ab Augustanis, inter fluviornm *Esla* et *Porma* cursum, regio est hodie dicta *termino de Riaño*. Ex eius vicis compluribus per valles varias dispersis ab amicis, parochis potissimum in vicis illis degentibus, titulos accepit non paucos descriptos cum cura, quanquam sine peritia, Iohannes L. Castrillon socius academiae historicae Matritensis eosque publici iuris fecit in ephemeride Barcinonensi *revista historica* a. 1876 (mensis Februarii p. 42—48). Cum corporis volumen alterum ederem, ex hac regione praeter titulum diu iam notum *fontis Saginiensis* (vol. II n. 2694 cf. add. p. 709 et ephem. II p. 242), qui errore nuper locum invenit inter urbanos (vol. VI n. 152), alterumque non satis certo traditum *Iovis Candamii* (vol. II n. 2695) unus tantum innotuerat sepulcralis non accurate descriptus (vol. II n. 2696). Alter item sepulcralis Sorribensis a P. Fideli Fita editus (ephem. III n. 28) lucem accepit e duobus similibus e vicinia nunc demum prodeuntibus. Hos igitur visum hic repetere emendatiores. Praecedit Asturicensis unus a Guerra nuper editus.

148 (ins. post n. 2636). Asturicae rep. a. 1800.

CARAEDVDI
FRONTO · RE
BVRRI · F ·
V · S · L · M ·

E schedula scripta saeculo XVII a Ioh. Lozano canonico edidit A. Guerra *revista historica* a. 1876 m. Sept. (n. XXIX) p. 260.
Numen peregrinum adhuc ignotum *Caraedudis*.

---

149 (ins. post n. 2696). Rep. *en la Puebla de Lillo,* in summo monte S. Isidori prope confinia provinciarum Asturiae et Legionis. Servatur in museo Legionensi.

M
NDOTI · FL
AVI · ARENI · F
AN L
H · S · E

Petrus Alba *diseño de geografia é historia de la provincia y obispado de Leon* a. 1855 (quem librum non vidi); F. Fita *museo español de antiguedades* 4 (1875) p. 635; I. L. Castrillon l. s. s. p. 42; C. I. L. II 2696

ex exemplo Benedicti Casielles Meana mulionis, qui olim litteris operam dederat, mecum communicato per Cyriacum M. Vigil Ovetensem.

1 *d* M Fita male; solet enim in his titulis poni M sola. 3 ARENII Fita. Comparavi *Arrenus* nomen II n. 439 et 2706.

---

150 In *Sorriba* (novem a Legione leugis) iuxta sacellum S. Mariae *de la Vega,* cippus altus m. 0.50, latus 0.32.

D · M
BODERO
BODIVES
DOIDERI *f*
A · XXV
FILIO SVO
M P H
E · S · T

F. Fita *museo español de antiguedades* 4 (1875) p. 627 acceptam a Ricardo Velaszquez Bosco (inde ephem. III n. 43).

4 DOIDERIE traditur, sed cf. n. 3. 4.

Legendum videtur *d(is) M(anibus)* [hic igitur formula consueta usurpatur] *Bodero Bodives(i?) Doideri[f(ilio)] a(nnorum) XXV filio suo m(ater) p(osuit). H(ic) est.*

In fine suppleverunt editores formulam solitam *h. s. e. s. t. t. l.*; sed pos sunt intellegi quae traduntur addita littera nulla.

---

151. 152 Armadae in area aediculae quae fuit S. Hadriani, inter reliquias sepulcrorum Romanorum numerosas. Servantur legione in museo.

151	152
m	M
VIRONO · TAVR	A B I O N
O · DOIDERI · F	NOTAVRI
VAD · ANNORV	NO · DOID
M · XL H S · E	ERI · F VA
PLACIDVS AV	D ANNO
NCVLISPOS	RVM XXX
	H · S · E
	PLACIDVS
	AVNCVLIS
	PO

I. L. Castrillon l. s. s. p. 43.

151 v. 1 consulto abscisus, ut lapis pro sedili esset.

Observa *aunculis* formam in utroque titulo pro nominativo positam; nisi intellegendum potius *aunculi s(ui)* [monumentum] *posuit.*

153 In vico *Aleje* in loco dicto *prados de media vega,* est pro sedili in ostio villae rusticae Mathiae Gonzalez. Lineae intra versus indicantur.

M
P E N T I
R A L A E S I F
V A D I N I
N X X X
V I A M V S
·P A L L I S I E
C I N I · H I
S E

I. L. Castrillon l. s. s. p. 46.

2 P · ENTI editor, sed cf. *Pentilus* C. I. L. II 2633 et *Pentilia* ephem. II n. 323. Etiam reliqua nomina vix recte descripta; v. 2 BALAESI fortasse in lapide est.

---

154. 155 In *Velilla de Valdoré*, 154 *empotrada en la pared de una huerta*; 155 *soterrada en el portal de una casa*, lineis intra versus insculptis.

m
M N I L I · A R ·
A V M · E L A N
I · F · M · N XXX
C A D V S · A N
C V L O · S V O
P · H · S · E

. . .
. . . . . .
O I · V A D I N I E I
N S B O V C I · F I L I
A N X X V

I. L. Castrillon l. s. s. p. 44.

154 v. 1 locus M litterae solitae et semicirculus supersunt.

2 ARg, editor quia litterra una periit. *Ar*[. .]*aum* fortasse gentis nomen (cf. vol. II p. 387), nisi iungendum *Ar*[. .]*aumelani f(ilius)*.

---

156 In *Valdoré*; est primus scalae gradus horrei alicuius; lineae intra versus insculptae.

M
M V N I G A L I O
A R A N I · B O V T I
V A D · A N · X X V
H S E

I. L. Castrillon l. s. s. p. 45.

V. 2 legendum fortasse *Munigallo.* In *Arani* fortasse gentis nomen latet simile ut in n. 154 *Ar . . aum.*

157 In *Verdiago* in curte domus Emmanuelis Florez.

◦ M ❦
. . . . L O · V I R
. . . . C V N C A
. . . . AV X L
. . . . V
. . . . O

I. L. Castrillon l. s. s. p. 45, qui supplevit arbitrio suo.

---

158 Rep. hoc saeculo ineunte in valle S. Pelagii, *termino de Liegos*; ibi sedis loco est ad portam domus alicuius.

❦
M N E C O N I
B O D D E G V N L O N
C I N I S F I L VA A N
XXI AVRELIVS PRO
P O S V AV S V O
M V N N I M E N T

I. L. Castrillon l. s. s. p. 46. Videtur ita legendum: *M(anibus) Neconi Boddegun* (hoc fortasse gentis nomen) *Loncinis fil(ii) Va(diniensis) an(norum) XXI Aurelius Pro(culus?) posu(it) au*[*n(culo)*] *suo munniment(um).*

---

159 *Utrero*, in porta ecclesiae parochialis pro gradu scalae.

. . . .
CILLI · VIR
ONI · CI . . .
I A · AN
. . . .

I. L. Castrillon l. s. s. p. 43.

Tituli hi omnes quotquot integri servati sunt uno excepto (n. 150) *M(anibus)* vocem solam praemittunt omisso deorum vocabulo, positam illam plerumque supra vel infra semicirculum sive mediam lunam. Lunae signum in titulis sepulcralibus regionum Hispaniae Celticarum frequenter deprehenditur. Defuncti plerique *Vadinienses* fuisse dicuntur. Vadiniae oppidum a Ptolemaeo (II 6, 51) Cantabris tribui, non Asturibus, dixi vol. II p. 374. Quod nomen cum inventum esset in titulis quattuor circa *Cangas de Onis* et *Covadonga* repertis (II n. 2706 2708 2709 2712), Vadiniam ibi prope, id est circa confinia Asturum transmontanorum et Cantabrorum fuisse pronum erat conicere. Nunc autem citra montium altissimorum cacumina, qui *la sierra de Covadonga* dicuntur, tituli hi item hominum Vadiniensium com-

paruerunt. Itaque illa certe aetate civitatem Vadiniensem late patuisse statuendum est per valles in utroque montium latere sitas; solebant enim gentes illae gentilitatesve dispersae habitare per vicos et pagos, non in singulis oppidis.

AD PROVINCIAE ET CONVENTVS TARRACONENSIS CAP. XIII BARCINO.

Muros coloniae Barcinonensis veteres cum portis suis turribusque paene ad hosce dies stetisse integros dixi in *bulletino* instituti archaeologici a. 1860 p. 151 ss. Tamen muri illi refecti saepius, ut consentaneum est, per saeculorum decursum in se continent lapides inscriptos permultos, ex sepulcris, quae olim ad vias e portis exeuntibus fuerant, ad muros reficiendos collectos. Ita accidit ut ubicunque muri pars aliqua diruitur, ut novis aedificiis locus fiat, prodeant inde tituli aetatis Romanae non pauci. Qui anno proximo ita prodierunt tituli inscripti monumentaque operis tectonici a societate quadam argentariorum (*la Sociedad Catalana general de Credito*), cuius aedificiis murus vetustus cesserat, inlati sunt in museum Barcinonense studio laudabili; edidit eos cum commentario brevi P. Fidelis Fita de re epigraphica Hispana optime meritus merensque; eiusdem viri officiosae liberalitati debeo ectypa titulorum illorum omnia perite facta, quae Aurelianus Guerra mihi transmisit. Tituli quanquam sepulcrales sunt plerique, tamen nolui in schedis eos diu latere, cum ipso numero suo nominibusque defunctorum et formulis suppleant et illustrent eos, quos adhuc indidem habuimus, editos illos in vol. II n. 4558 ss. Ex uno eorum (n. 175) etiam illud discimus lapides sepulcrales formae eius oblongae, quibus mediis loculi cineres continentes inerant, Barcinone et in vicinia frequenter usurpatos dictos esse *cupas*; quocum nomine conferenda sunt dolia illa sepulcralia obvia in Lusitania meridionali. Dixi de cuparum similiumque titulorum sepulcralium forma ad Saetabitanos vol. II p. 488.

Tituli editi sunt a Fita in ephemeride Barcinonensi *revista histórica* a. 1876 mensibus Februario (n. XXII) et Maio (n. XXV) additis ad meliores imaginibus lithographis accurate factis; ego descripsi ex ectypis omnes Fitae lectionem in perpaucis tantum corrigens.

160 Barcinone, ex muro vetere, fragmentum longum m. 0.33, altum 0.17, litteris bonis saeculi alterius.

L · IVLI|
IIIIII VI|

Fita l. s. s. p. 134.
Seviros Augustales Barcinonenses iam novimus aliquot.

Ad n. **4536** Barcinone, passus circiter viginti a muro urbis et quinquaginta a vico Ferdinandi VII inter parietinas aedificii alicuius antiqui prodiit exemplum tertium tituli vol. II n. 4536, scilicet statuae unius alicuius inter permultas positas *L. Licinio Secundo* accenso Surae in tribus eius consulatibus ab ordinibus municipiorum, collegiis, amicis, libertis libertabusque. Titulum integrum adscribere non attinet; versus tantum paullo aliter dispositi sunt atque in iam notis duobus item positis *ex decreto decurionum Barcinonensium*; verba consentiunt. Cum hoc recens reperto quindecim omnino viri eius bases marmoreae Barcinone adhuc repertae sunt.

161 Barcinone rep. non procul a base Licinii Secundi (ad n. 4536), lapis longus m. 1.17, altus 0.59, crassus 0.46, litteris bonis.

L · FABIO · L · LIB · RESTITVTO
/RCITANO ET MARIAE · TELETE
VXORI
.... EX · TESTAMENTO · FECERVNT

Fita l. s. s. p. 132.
V. 2 De Urci oppidi situ dixi in hac ephemeride II p. 238, cum titulum Murgitanum ederem; solebant enim Murgi et Urci inter se confundi.

162 Barcinone, ex muro oppidi, lapis fastigio ornatus altus et latus m. 0.42, litteris saeculi secundi.

sertum

D M
AEMIL · CAL
AEMILA · FL
ORA
M O

Fita l. s. s. p. 135.
Lege *Aemil(io) Cal(listo)* .... *m(arito) o(ptimo)*.

163 Barcinone, ex muro vetere, lapis longus m. 0.38, altus m. 0.24, litteris saeculi secundi. A latere ascia est.

D M
ANTIGENIDE · AN
XII · VSVLENIA
ATTICILLA · MAT
FILIO · BENE ME
ET SI BI

Fita l. s. s. p. 135.
3 xxv Fita contra ectypum.

164 Barcinone, ex muro vetere, lapis longus m. 0.30, altus m. 0.24, litteris malis saeculi puto secundi.

D · M
ARANIAE
FORTVNATE
GRANIA ·
MAXIMA ·
MATRI · BENE
MERENTI

Fita l. s. s. p. 134.

---

165 Barcinone, ex muro vetere, lapis longus m. 0.35, altus m. 0.27, litteris saeculi secundi.

D · M
CALLISTENI
AN · $\overline{IIII}$ · D · XXV
CORN · THAL
LION · VERN
KARIS · ET · SIBI

Fita l. s. s. p. 135.

---

166 Barcinone, ex muro vetere, lapis longus m. 0.44, altus m. 0.37, litteris saeculi primi.

DOMITIA · L · L · AVCX
SIBI · ET
P · FABIO · PRIMION
CONTVBERNAL
H · M · H · N · S · N · L · S

Fita l. s. s. p. 134.
Formula nota cum clausula minus nota *nec locus sepulturae* in eius regionis titulis sollemnis est, vol. II n. 4543 4565.

---

167 Barcinone, ex muro oppidi, lapis longus m. 0.32, altus 0.25, litteris saeculi secundi.

D M
EVTYCHIE · CON
ST

Fita l. s. s. p. 133.
Nihil praeterea videtur in lapide fuisse.

168 Barcinone, ex muro oppidi, lapis fastigio ornatus longus m. 0.42, altus 0.29, litterae videntur esse saeculi alterius exeuntis.

FLAMINIAE CEL
TIBERE · VALERIA
CRESCENTINA
AM I CE
B · M

Fita l. s. s. p. 132.

---

169 Barcinone, rep. ibi prope ubi prodiit titulus novus Licinii Secundi (ad n. 4536), fragmentum litteris bonis altum m. 0.45, latum 0.25.

IVL
· IND
SEC
VI//EC

Fita l. s. s. p. 138 qui v. 3 SE et 4 VI·FEC legisse sibi visus est.

---

170 Barcinone, lapis sepulcralis magnus cum tabella incisa, prodiit ex eadem muri parte atque n. 168. Litteris quae videntur saeculi primi esse.

M · LVCCEI · M
L · CHILONIS

Fita p. 54, e cuius ectypo descripsi.

---

171 Barcinone, prodiit a. 1876 ex muri urbis fundamentis prope monasterium quod fuit *de la Enseñanza* et arcum *de la bajada de S. Miguel*, basis longa m. 1, alta 0.50. Litteris bonis saeculi alterius.

T · MAMILIVS · PRIMVS
SIBI · ET
ANNIAE·LAIETANAE
VXORI
. . . . . PHILARMONIAE
. . . .

Fita l. s. s. p. 52; idem ectypum misit.

V. 1 T. Mamilium Praesentem flaminem provinciae Tarraconensis vol. II n. 4227 aliosque Mamilios Hispanos recte comparavit Fita.

V. 3 *Laietanae*, non *Laletanae* aut *Lacetanae* videtur certum esse. Dixi de his formis ad C. I. L. II n. 4226 et in Hermae vol. I p. 340; ethnicum hic pro cognomine est.

V. 4 ineunte IVN legere sibi visus est Fita; filiae nomen ibi erat fortasse.

V. 5 supersunt vestigia incerta tantum.

172 Barcinone, ex muro vetere, lapis longus m. 0.60, altus 0.42, litteris bonis saeculi puto primi.

Ł · P O M P E I O
S A T V R Ṅ N O
I V L I A E · P A S CI V S Æ
IVLIAE · CALLYROE · N · X *sic*
H · M · H · N · S

Fita l. s. s. p. 134.

---

173 Barcinone, ex muro oppidi, lapis longus et altus m. 0.28, litteris evanidis.

D ∪ M
P O R C I L I A E
ANN · II · M · I · D · I
T R O C I N A
C H I L E · S T E · L E

Fita l. s. s. p. 133.

V. 2 MORCYCIAE, 5 CHICE Fita. Non recte utrumque puto, sed quae ipse discernere mihi videor non magis pro certis habeo.

---

174 Barcinone, ex eadem muri parte ut n. 173, litteris saeculi alterius.

C · PVBLICIVS · PRIMVS
SIBI · ET · COELIAE · PRIMI
G E N I A E · V X O R I
H · M · H · N · S

Fita l. s. s. p. 54 ex cuius ectypo descripsi.

---

175 Barcinone, ex muro oppidi, lapis sepulcralis oblongus eius formae, quae ibi obtinuit, cum tabella ansata inscripta longa m. 0.33, alta 0.30. Iuxta eam a laeva anaglyphum est quasillo simile: quod a dextra fuit interiit. Litterae videntur saeculi tertii ineuntis esse.

D M
VALERIO MELIPPO
CAELIA · Q̲VAR
TVLA · FECIT · PAT
RI · CVPA · BENE
MER · ET · CAELIA
S A T V R N I N A
V X O R · M · O

Fita l. s. s. p. 133.

176 Barcinone, fragmenta varia ex muri parte ea, unde prodierunt n. 173. 174.

l. a. 0,049 m.	l. a. 0,65 m.	l. a. 0,085 m.	l. a. 0,11 m.
I IAE AENE IVS	E · DIDA	O M R R RN	ITO

Fita l. s. s. p. 54.

AD CONVENTVS TARRACONENSIS CAP. XVII GERVNDA.

Etiam Gerundae museum, quod ibi extat, nuper laudabili eorum, qui provinciae illi praesunt, cura monumenta aliquot accepit epigraphica, quae Fita eodem loco edidit, quo Barcinonensia eum edidisse supra dixi.

177 (ins. post n. 4622). Gerundae in museo, pavimentum tessellatum longum m. 7.08, latum m. 3.42 rep. *en la masia Birol*, iuxta vicum *Santa Eugenia* in praedio dicto *Torre de Bell-lloch*. Ludi circenses repraesentantur similes atque in pavimento Barcinonensi (vol. II p. XLVIII n. 5129); in spina statuae sunt Herculis et deae Syriae, item obeliscus. Quattuor quadrigis adscripta sunt nomina aurigarum (et equorum?) haec

PATYNICVS(?)·CALIMORFVS
LIMENIVS · EVPLIVM (?)
TORAX · POLYSTEFANVS
FILOROMVS · PANTARACVS

Infra artificis nomen CAECILIANVS FICET dicitur adscriptum esse et additae imagines tres Bellerophontis Pegaso vehentis, Martis et Iliae, lupae cum gemellis adstante Roma Augusta. Fita l. s. s. p. 138; *Academia* I 1877 p. 169. V. 1 fuit fortasse *Pa*[*si*]*nicus*, v. 4 *Panta*[*g*]*a*[*t*]*us*.

---

178 (ins. post n. 4958). Prope Gerundam, rep. in agro Iosephi Florez ad vicum *Sarriá de baix* et pontem fluvii *Ter*, qui dicitur *Pontmajor*, fragmentum miliarii altum m. 1.40, latum 0.52, litteris bonis.

C · MAX
F · MAX
S · V
O · S
MVS
RMANIC · MAX
MAX
IVS
XI
TES
V
PR · PR · C *v.*

Descripsi ex ectypo. Fita l. s. s. p. 136 qui recte supplevit ad exemplum miliariorum Bracarensium vol. II n. 4756 4788 4816 4826 cet. Imperatores sunt Maximinus et Maximus, annus 238, legatus provinciae Tarraconensis Q. Decius Valerianus.

AEM. HÜBNER.

TESSERAE GLADIATORIAE.

Cum additamentum componerem in hac ephemeride III p. 161 ss. ad tesseras gladiatorias editas in corporis volumine I, nondum in meas manus pervenerat Raphaelis Garruccii liber sero demum trans Alpes propagatus qui inscribitur *sylloge inscriptionum Latinarum aevi Romanae rei publicae usque ad C. Iulium Caesarem plenissima* (Augustae Taurinorum a. 1875 8.). In tabula lithographa huic libro addita altera sub numero 7 repraesentata est satis ut videtur fideliter tessera haec formae solitae solitoque more perforata et inscripta a lateribus tribus ita:

5. *a* MENOPIL · ABI · L · S
b *fulmen*
c SPECTAVIT
d C · VAL · M · HER a. u. 661

Cum liber ille nondum editus sit totus (maiorem enim titulorum partem cum operis praefatione alter fasciculus nondum editus continebit), deest adhuc tesserae illius explicatio locique ubi inventa sit extetve indicatio. Tamen non videtur dubitandum esse quin genuina sit. In latere *a* una littera videtur desiluisse cum eboris superficie, ut saepius factum est in eius modi supellectile; fuit fortasse F, *Fabi*. *Abi* tamen nomen defendi posse Henzeni prudentius fortasse iudicium est. Nam quamquam incerta esse scio quae mihi praesto sunt Abii Abbiive nominis exempla (*C. Abius C. l. Hila*... Mevaniae, 'misit Sancassanius' Mur. 1621, 2; *Abbia C. l. Zosima* Romae apud Iacobum Zambeccarium, 'ex Ligorio' Mur. 933, 4), ad Abieni nomen recte provocavit Henzenus, quod bis extat in titulo Gruteriano 1153, 6 bonae sine dubio fidei. Legendum igitur *Menopil(us) Abi L(uci) s(ervus) spectavit C. Val(erio) M. Her(ennio consulibus)*. Consules anni sunt quem supra adscripsi urbis 661. Tenemus igitur quintum exemplum tesserae, in qua *spectavit* vocabulum perscriptum est, idque primum anni certi, idemque tesserarum omnium quotquot adhuc innotuerunt anni nota instructarum antiquissimum; quae enim adhuc erat antiquissima, anni est urbis 669.

AEM. HÜBNER.

Ad tesseras gladiatorias ab Huebnero nuper collectas, in quibus pro nota consueta SP omnibus litteris inscriptum est SPECTAVIT, iam accedit sexta haec:

6. Reperta in civitate *Curti* prope Capuam veterem (*S. Maria di Capua*), nunc apud Fridericum de Duhn.

PAMPHIL · SOCIORW
SPECTAVIT

Descripsi.

Tessera haec tuetur sinceritatem tesserae C. I. L. I n. 755, quam defendi ipse in *bull. inst. arch.* 1865 p. 105 contra Ritschelium *die tesserae gladiatoriae der Römer, München* 1864 p. 39 (ex actis academiae Monacensis X 2 p. 329).

Addo tesseras nota communi scriptas has:

Romae apud Alexandrum Castellani.

SP · A · D · XIV · K · SEX
M · TVL · C · ANT — a. u. 691
vacua latera primum et alterum

Descripsi.

Consules M. Tullius Cicero, C. Antonius.

Reperta dicitur esse in monte Esquilino; extat apud Depolettium antiquarium.

PHILONICVS
ALBANI
SP · ID · SEP
CN · POM · Q · ME — a. u. 702

Descripsit Helbig.

Consules sunt Cn. Pompeius Magnus III, Q. Caecilius Metellus Pius Scipio.

Reperta Tusculi.

PHILETVS
RVTILI
SP · K · APR
TI · PLAV · *t.* COR — a. p. C. 45

Descripsit Carolus Ludovicus Visconti, ex cuius pugillaribus mecum communicatis desumpsi.

4 ET · COR Visc. — Consules sunt Ti. Plautius Silvanus Aelianus suf. M. Vinicio II, et T. Statilius Taurus Corvinus.

W. HENZEN.

DE SODALIBVS ET FLAMINIBVS AVGVSTALIBVS.

I. DE SODALIBVS.

Collegia sacerdotalia in honorem divorum imperatorum constituendi mos initium cepit a Caesaris Augusti morte et consecratione; nam dictatori Caesari qui primus post Romulum ex hominum genere inter divos populi Romani relatus est collegium sacerdotum non est constitutum; anno demum p. C. 14 in divi Augusti honorem *sodales Augustales* sunt constituti. Sodales Titios eum qui Augustales constituit et ordinavit — sive Tiberius Caesar is fuit sive ipse divus Augustus haec ita fieri voluit — ante oculos habuisse et ad Titiorum similitudinem Augustales esse constitutos et ex ipso *sodalium* Augustalium nomine apparet et diserte a Tacito[1]) traditur; ut enim sodales Titios sive T. Tatius rex sive post Tatii mortem Romulus (nam de hac re discrepant inter se duo Taciti testimonia)[2]) *retinendis Sabinorum sacris*, ut ipsis Taciti verbis utar, instituit, ita sodales Augustales non ipsum divum Augustum colere (huic enim rei proprium sacerdotem destinatum fuisse infra videbimus), sed sacra gentis Iuliae post Augusti mortem publice suscepta curare iussi sunt. Testis est de hac re Tacitus[3]) *proprium eius* (Iuliae) *domus sacerdotium* sodales Augustales appellans, testes sunt fasti magistrorum sodalium Augustalium[4]) Bovillis, ubi antiquitus gentiles Iulii sacra faciebant[5]), reperti.

---

[1]) Ann. 1, 54: *idem annus* (p. C. 14) *novas caerimonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat.* Hist. 2, 95: *Augustales . . . , quod sacerdotium ut Romulus Tatio regi, ita Caesar Tiberius Iuliae genti sacravit.* Quamvis corrupta sint verba neque de emendatione constet, tamen non adstipuler Nipperdeyo additicia ea esse atque e contextu scriptoris removenda censenti; nam non ea est sententia quae ab interpolatore profecta sit.

[2]) Quae discrepantia non magis mira est quam quod augurum institutio modo Romulo modo Numae tribuitur.

[3]) Ann. 3, 64.

[4]) C. I. L. VI, 1987.

[5]) C. I. L. I, 807. Cf. Tac. ann. 2, 41. 15, 23.

Sed de ipsis sacris quae sodales Augustales exercebant et admodum exigua ad nos pervenit notitia et aliena est quaestio ab huius scriptionis proposito; de externa ut ita dicam huius sacerdotii specie, quot fuerint sacerdotes cuiusque ordinis cuiusque aetatis, quaeramus.

Atque ut de numero sacerdotum primum dicam, fuerunt sodales Augustales cum primum sunt instituti (a. 14) viginti quinque, quorum unus et viginti, ut Taciti verbis utar, erant *sorte ducti e primoribus civitatis*; supra numerum adlecti sunt et Tiberius Caesar, eius divi a quo sodales nomen traxerunt filius, et qui erant adulescentes in domo Augusti, Germanicus Drusus Claudius[1]). Quae fuerit autem illius sortitionis ratio quive fuerint *primores* e quibus viginti unum sacerdotes sorte esse ductos Tacitus narrat, cuius denique ordinis cuiusque aetatis homines ad illam sacerdotum sortitionem admissi sint, cum vocabulum *primores* neque apud Tacitum neque apud ullum alium scriptorem certa atque sollemni ratione adhibeatur, ignoramus; coniecturas facere si volumus, fuisse aut omnes consulares aut omnes consulares omnesque praetorios, non sine omni veri similitudine dici poterit. Unum tantum nomen illorum qui tum primum sorte sodales Augustales creati sunt, mihi innotuit, L. Volusium Saturninum dico[2]); quem non certum quidem sed tamen veri simillimum est, cum a. p. C. 3 consulatum gesserit[3]), iam a. 14 sodalem Augustalem esse factum. Contra qui inter sodales Augustales nobis cognitos proxime ad Saturnini aetatem accedit, Ser. Sulpicium Galbam, quem sodalem Augustalem fuisse narrat Suetonius[4]), cum a. p. C. 33 consul fuerit[5]), non illa prima sortitione sed posteriore aliquo tempore sodalem Augustalem esse creatum et ex re ipsa apparet et e Suetonii verbis cognoscitur.

Non semper viginti quinque fuisse sodales Augustales, sed numerum postea esse auctum apparet ex fastis sodalitatis quorum pars nobis servata exhibetur C. I. L. VI, 1984[6]). Legitur enim in his fastis a p. C. 51 adlectum

---

1) Dio 56, 46: ἀθανατίσαντες αὐτὸν καὶ θιασώτας οἱ καὶ ἱερὰ . . . . ἀπέδειξαν. Tac. ann. 1, 54: *sorte ducti e primoribus civitatis unus et viginti; Tiberius Drususque et Claudius et Germanicus adiciuntur.* Cf. Suet. Claud. 6: *senatus quoque ut ad numerum sodalium Augustalium sorte ductorum extra ordinem adiceretur, censuit.*

2) C. I. L. III, 2974 (Henzen 6474): *L. Volusio* [*L. f. Saturnino*], *co(n)s(uli), aug(uri), so*[*dali Augustali*], *sodali Titio,* [*leg(ato) pro pr(aetore) divi Aug(usti)*], *leg(ato) pro pr(aetore) Ti C*[*aesaris Augusti*]. Cf. C. I. L. III, 2975.

3) C. I. L. I p. 473 n. XII. Cf. Borghesi opp. 3, 313 seq.

4) Vit. Galb. 8: *ob res et tunc in Africa et olim in Germania gestas ornamenta triumphalia accepit et sacerdotium triplex, inter quindecimviros sodalesque Titios, item Augustales cooptatus.*

5) Tac. ann. 6, 15.

6) Utar occasione ut eis quae eph. ep. 3, 74 de hac tabula disputavi aliquod addam. Apud Statium silv. 1, 4, 61 seq. Apollo Aesculapium filium adhortans, ut Rutilio Gallico — eidem quem ab a. 68 usque ad a. 92 sacerdotem fuisse in hac tabula legimus (cf. Nohl quaestiones Statianae p. 6) — aegrotanti opem ferat, omnes Gallici honores cum in urbe ipsa tum in provinciis gestos enumerat, de sacerdotio men-

esse ad numerum ex s. c. Neronem Caesarem Claudii Aug. filium eamque ob rem institutam esse decuriam vicesimam septimam (decurias enim singulos locos sodalitatis fuisse vocatos ex fastis cognoscitur), a. p. C. 71 adlectum esse ad numerum ex s. c. T. Caesarem Vespasiani filium factamque decuriam vicesimam octavam; ita ut ab a. 51 usque ad a. 71 sodales Augustales fuerint viginti septem, ab a. 71 usque ad a. 81 (quo anno Titus mortuus est) viginti octo; nam post a. 81 iterum ad viginti septem numerum redacti sunt cum in Titi demortui locum nemo sit suffectus; vacuaque mansit decuria vicesima octava usque ad annum 197 quo iisdem fastis testibus Caracalla super numerum ex s. c. cooptatus est[1]). Numerum viginti octo non videntur excessisse sodales Augustales. Sed cum a. 51 Nerone supra numerum cooptato decuria vicesima septima instituta sit, antea, inter annos nimirum 14 et 51, decuriam aliquam vicesimam sextam veteri numero additam esse consentaneum est; cumque inde ab a. 51 neminem supra numerum esse cooptatum nisi imperatorum filios fasti doceant, etiam inter annos 14 et 51 ex domo Augusti adulescentem aliquem ad numerum sodalium adlectum esse statuendum est. Cogitari potest et de Nerone et de Drusu Germanici filiis Tiberii nepotibus; sed cum Neronem in locum patris a. 19 demortui suffectum esse probabile sit, Drusum a. 23 toga virili sumpta supra numerum cooptatum et in eius honorem vicesimam sextam sodalium Augustalium decuriam esse constitutam veri simile est[2]).

Senatorii tantum ordinis homines ad sodales Augustales aditum habuisse et ex exemplorum copia quam inscriptiones praebent apparet[3]) et inde quod imperatores quoque inter sodales cooptari solebant: neque enim imperatores umquam sacerdotium equestre suscepisse probabile est[4]); contra plebeios quoque homines nec patricios solum admissos esse docent exempla Valerii Festi[5]), qui postquam sub Nerone tribunus plebis fuit sodalis Augustalis factus est, P. Aelii Hadriani eius qui postea imperavit[6]), multa alia[7]). Neque vero eum usum qui liberae rei publicae tempore in

---

tionem non facit. Iam si Gallicus erat sodalis collegii divi Augusti divique Claudii cultui addicti, hanc rem in carmine Domitiano imperante conscripto non commemorari facile explicatur; si augur fuisset Gallicus — id quod Borghesius (opp. 1, 349. 3, 395) voluit — valde mirum esset, auguratum ab Apolline praetermitti.

1) Sodalem Augustalem fuisse Caracallam nummi quoque testes sunt apud Eckhelium d. n. 7, 200 et Cohen *Carac.* 32; cf. Borghesi opp, 1, 351. Mommsen *Staatsrecht* 2, 1018 n. 2.

2) Cf. eph. ep. 3, 76.

3) Vide Henzen ind. p. 46.

4) Cf. quae dixit Mommsenus *Staatsrecht* 2, 1016 de curionibus.

5) Wilmanns 1147.

6) Wilmanns 937: *P. Aelio P. f. Serg. Hadriano, . . . sodali Augustali, . . . trib(uno) pleb(is).*

7) Wilmanns 1172. 1181. 1184. 1189. 1210. 1217 etc. Ceterum plebeios fuisse illos homines statui propterea, quod aut tribunatum plebis aut aedilitates plebeiam curulemve eos gessisse ex inscriptionibus quas attuli apparet; nam curules quoque aediles

sacerdotiis eis obtinuit in quae et patricii et plebeii cooptabantur, ut in locum patricii demortui nemo nisi patricius, in locum plebeii nemo nisi plebeius cooptaretur, altera parte sacerdotii patriciis altera plebeiis servata[1]), sodales Augustales servarunt; in eam enim decuriam quae Neronis Caesaris patricii hominis causa constituta est per vices temporum successit a. 230 Q. Petronius Melior, quem plebeium fuisse cum tribunatum plebis gesserit titulus Wilmannsianus 1213[2]) docet.

Ius novos sacerdotes in locum demortuorum et damnatorum[3]) creandi penes quem fuerit, certo non constat; eundem autem fuisse morem atque eum qui in quattuor amplissimis quae vocabantur sacerdotiis, pontificibus auguribus quindecimviris sacris faciundis septemviris epulonum, imperatorum aetate receptus fuit, ut sacerdotes crearet senatus ratione habita eorum quos Caesar commendasset, hac potissimum ex causa veri simile fit, quod in fastis supra commemoratis cooptationes supra numerum ex senatus consulto fiunt; neque probabile est senatum de sodalibus extra numerum creandis quicquam decrevisse si quae ex ordine fiebant suffectiones nihil ad eum pertinebant[4]).

Summa fuisse dignitate sodales Augustales et ex eis quae supra attuli apparet et ex eo quod una cum quattuor quae sollemni dicendi ratione amplissima vocabantur collegiis munera quaedam eos edidisse Tacitus[5]) et Dio[6]) narrant; sed non ita esse aequatos quattuor illis sacerdotiis ut iam nullum discrimen interesset neque ex quattuor amplissimis sacerdotiis quinque esse facta, hac ex re demonstrari posse puto: cum tot supersint tituli quibus hominum qui florentis imperii tempore vixerunt honores et sacerdotia enumerentur, nusquam idem homo duobus ex illis quattuor sacerdotiis praeditus esse invenitur[7]); scilicet supra privatum extolli videbatur ad

---

imperatorum aetate semper plebeios homines fuisse demonstravit Mommsenus *Staatsrecht* 1, 457 ed. 1 (= 1, 537 ed. 2). 2, 452.

[1]) Mommsen *Röm. Forschungen* 1, 85.

[2]) Cf. infra sodales Augustales Claudiales n. 4.

[3]) In damnatorum quoque locum suffectiones factas esse ea ex re cognoscitur quod Plutarchus q. Rom. 99 et Plinius ep. 4, 8, 1 solum auguratum non licuisse adimi viventi narrant. Cf. Plin. ep. 2, 11, 12: *modo consularis, modo septemvir epulonum, iam neutrum.*

[4]) Cf. Mommsen *Staatsrecht* 2, 1022 n. 1.

[5]) Ann. 3, 64: *supplicia dis ludique magni ab senatu decernuntur, quos pontifices et augures et quindecimviri septemviris simul et sodalibus Augustalibus ederent.*

[6]) 58, 12: ἐψηφίσαντο . . . . τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ ἐτελεύτησε (Seianus) καὶ ἵππων ἀγῶσι καὶ θηρίων σφαγαῖς ἐτησίοις διά τε τῶν ἐς τὰς τέσσαρας ἱερωσύνας τελούντων καὶ διὰ τῶν τοῦ Αὐγούστου θιασωτῶν ἀγάλλεσθαι.

[7]) Liberae rei publicae temporibus duorum amplissimorum sacerdotiorum coniunctorum aliquot exempla inveniri docuit C. Bardt *die Priester der vier grossen Collegien* p. 38. Inter inferioris aetatis titulos qui duo ex illis sacerdotiis coniuncta praebeant vetustissimus esse videtur titulus Aquinas C. Octavii Sabini, consulis ordinarii a. 214, pontificis et auguris (eph. ep. 1, p. 130); quo in titulo etiam hoc a sollemni lege recedere quod sacerdotia duo copula *et* coniungantur (PONTIF · ET · AVGVRI) monuit Mommsenus eph. ep. l. l.

quem duo amplissima sacerdotia coniuncta deferrentur, ac solis imperatoribus imperatorumque filiis et pontificibus et auguribus et quindecimviris sacris faciundis et septemviris epulonibus esse licuit. At quin inter pontifices aliquis vel augures eodemque tempore inter sodales Augustales cooptaretur, nihil obstabat; saepeque sodales Augustales amplissimi alicuius collegii eodem tempore sacerdotes reperiuntur[1]). Qua re sodales Augustales quattuor illis collegiis amplitudine paullo fuisse inferiores efficitur.

Sub tribus magistris fuisse sodales Augustales magistrorumque munus fuisse annuum docemur inscriptione Bovillensi Henzen 6046; quam inscriptionem ad sodales Augustales pertinere paulo post videbimus.

Qui proxime divo Augusto in imperio successerunt, Tiberium et Gaium, in deorum numerum non esse relatos primoque Claudio post divum Augustum honorem consecrationis contigisse (a. p. C. 54) notum est; atque ut post Augusti consecrationem gentis Iuliae, ita a. 54 Claudiae gentis sacra publice suscepta sunt. Nec tamen peculiares sacerdotes qui illa sacra curarent sunt instituti, sed Claudiae quoque gentis sacra curare iussi sunt sodales Augustales eisque nomen inditum est *sodales Augustales Claudiales.* Sodalium Augustalium Claudialium in inscriptionibus inveniuntur exempla haec:

1) *[Q. Glitius] P. f. Stel. [Atilius] Agricola, co(n)s(ul) II, [VII] vir epulonum, sodalis Augustalis Claudialis, legat(us) pr(o)pr(aetore) imp(eratoris) Caes(aris) Traian(i) Aug(usti) Ger(manici) Dacici provinc(iae) Pannon(iae), donatus ab eodem bello Dacico donis militaribus corona murali vallari classic(a) aurea hastis puris IIII vexillis IIII, legatus pro pr(aetore) provinc(iae) Belgic(ae) divi Nervae, leg(atus) leg(ionis) VI Ferrat(ae), leg(atus) Hispan(iae) c[iterior(is)], praetor, [aedilis curulis, q(uaestor)] di[vi Vespasiani, trib(unus) mil(itum) leg(ionis) I Italicae, Xvir stlit(ibus) iud(icandis), sevir eq(uitum) Rom(anorum)].* — Taurinis. Wilmanns 1160*a*, cf. 1160*b*.

2) *C. Sabucius C. f. Quir. Maior Caecilianus, co(n)s(ul), sodalis August(alis) Claudial(is), proco(n)s(ul) prov(inciae) Acha(iae), leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Belgicae, praef(ectus) aerari mil(itaris), leg(atus) iurid(icus) prov(inciae) Britanniae, iurid(icus) per Flamin(iam) et Umbriam, curat(or) viae Salar(iae) et alimentorum, praet(or) candidatus, tr(ibunus) pleb(is) ....* Romae. VI, 1509 (Wilmanns 1196).

3) *P. Plotius Romanus, co(n)s(ul), sod(alis) Aug(ustalis) Cl(audialis), leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Arab(iae), item Gal(atiae), praef(ectus) aer(ari) Sat(urni), leg(atus) Aug(usti) cens(ibus) acc(ipiendis) Hisp(aniae) cit(erioris), iur(idicus) per Aem(iliam) Lig(uriam), cur(ator) viae Labic(anae), cur(ator) Verc(ellensium), pr(ae-*

---

[1]) Pontifex sod. Aug.: Wilmanns 1145. 1147. C. I. L. III, 6073; augur sod. Aug.: Wilmanns 1143. C. I. L. III, 2974; XVvir sacris faciundis sod. Aug.: Suet. Galb. 8; VIIvir epul. sod. Aug.: Wilmanns 937. 1210; cf. quoque eum titulum quem infra inter sodales Augustales Claudiales dabimus n. 1.

tor) urb(anus), trib(unus) pl(ebis), q(uaestor) kand(idatus), VIvir eq(uitum) R(omanorum) tur(mae) (secundae), trib(unus) mil(itum) leg(ionum) (primae) Min(erviae) et (secundae) adiut(ricis), IIIIv(ir) v(iarum) c(urandarum). — Romae. VI, 332 (Wilmanns 1197).

4) *Q. Petronius Melior, vir co(n)s(ularis), cur(ator) r(ei) p(ublicae) Tarquiniens(ium) et Graviscanor(um), praef(ectus) frum(enti) dandi, legat(us) leg(ionis) (tricesimae) Ulpiae, curat(or) Pyrgens(ium) et Ceretanor(um), leg(atus) leg(ionis) (octavae) Aug(ustae), praet(or), trib(unus) pleb(is) kandid(atus), quaest(or) prov(inciae) Narbon(ensis), quaest(or), sodalis Aug(ustalis) Claudialis, sexvir turm(ae) pr(imae), trib(unus) laticl(avius) leg(ionis) pr(imae) Min(erviae), Xvir stlitib(us) iudicand(is).* — Tarquiniis. Henzen 6048 (Wilmanns 1213).

5) .... *quaesto]r(i) u[r]bis (?) candidato, sodali Augustali Claud(iali),* .... *Latinae linguae facundissimo in causis* ...., *M. Aurelius M. f. Papirius Socrates* .... *v(ir) p(erfectissimus), pater.* — Romae. VI, 1357.

Eosdem autem esse sodales Augustales Claudiales atque Augustales iam ex ipso nomine apparet; nam si in honorem divi Claudii sacerdotes proprii constituti essent, *sodales Claudiales* vel *sodales Claudiales Augustales* (nomine deducto a *Claudio Augusto*) eos vocari oportuit; *sodales Augustales Claudiales* non possunt esse nisi sacerdotes quibus primum sacra divi Augusti, posteriore tempore sacra divi Claudii tradita sint. Luculenter autem ea quae dixi confirmantur inscriptione Bovillensi quam post Borghesium[1] et Mommsenum[2]), quorum interpretationem sequor, publici iuris fecit Henzenus n. 6046 et C. I. L. VI, 1987. Duo enim primi versus huius inscriptionis ita concepti sunt:

MAGISTERIA · SOD
CLAVDIALIVM · AI

vv. 3. 4. 8 SODales illi .... CLAVDIALES a. p. C. 213 ducentesimum annum egisse leguntur*;* anno igitur p. C. 14 sodales quosdam ... Claudiales institutos esse apparet. Cum tamen, Claudio anno demum 54 consecrato, anno 14 sodales Claudiales instituti esse omnino non possint, eo ipso autem anno sodales Augustales primos creatos esse constet, recte Borghesius Augustales a Claudialibus diversos non fuisse docuit versusque supra relatos ita restituit:

MAGISTERIA · SOD*alium augustalium*
CLAVDIALIVM · AN*nua*

Quod autem Nero Claudiae genti proprium sacerdotum collegium non creavit divique Claudii sacra ab eisdem quibus divi Augusti curari iussit, causa

[1]) Opp. 4, 174.
[2]) *Zeitschrift für Alterthumswissenschaft* 1845 p. 514.

ea videtur fuisse quod artam Claudiorum cum Iuliorum gente coniunctionem legitimamque Claudiorum post Iulios extinctos in imperium successionem hac re demonstrare voluit. Iam omnes qui inde ab a. p. C. 54 in inscriptionibus occurrant sodales Augustales pleno nomine *sodales Augustales Claudiales* vocari expectari potuit. Sed longe aliter haec res evenit: nam in tanta inscriptionum copia quinque tantum sodalium Augustalium Claudialium exempla extare videntur, ut etiam post annum 54 *sodalis Augustalis* nomen multo usitatius fuisse in aperto sit. Cuius rei, cum admodum mira mihi videretur, Mommsenus et Wilmannsius, quos consului, hanc mihi causam significaverunt: et Augustales Claudiales et aliorum divorum sodales non plenis nominibus plerumque usos esse, sed elegisse nomen aliquod deductum ab eo imperatore qui eorum quos colerent sodales optima fama floreret; hanc ob causam sodales Augustales Claudiales Claudii mentionem plerumque suppressisse, sodales Flaviales Titiales nomen *Titialium* a divo Tito deductum retinere maluisse.

Sed redeundum est ad ordinem institutae disputationis. Neronem Galbam Othonem Vitellium consecratos non esse notum est. De Vespasiani consecratione praeter nummos et lapides scriptorum unicus testis est Plinius[1]. Atque peculiare sacerdotum collegium sacris gentis Flaviae colendis esse institutum docent tituli hi:

1) ..... *legatus imper(atoris) Cae[s(aris)] Nervae Aug(usti) Germ(anici) leg(ionis) XVI Flaviae firmae et legatus imp(eratoris) Nervae Traiani Caesaris Aug(usti) German(ici) Dacici legionis VI f[e]r[rat]ae, sodalis Flavialis, praetor aerari militaris, legatus imp(eratoris) Nervae Traiani Caesaris Aug(usti) Germanici Dacici provinciae Lugdunensis, consul, legatus imp(eratoris) Nervae Traiani Caesaris Aug(usti) Germanic(i) Dacici ad census accipiendos.* — Aventici. Mommsen Inscr. Helv. 175 (Orelli 364).

2) *L. Aemilius L. f. Cam. Karus, co(n)[s(ul)], leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) provinciae Cappadociae, leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) censitor provinciae Lugdunensis, leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) provinciae Arabiae, curator viae Flaminiae, leg(atus) leg(ionis) XXX U(lpiae) V(ictricis), praet(or), trib(unus) pleb(is), quaest(or) Aug(usti), trib(unus) militum leg(ionis) VIIII Hispanae, Xvir stlitib(us) iudic(andis), sodalis Flavialis, XVvir s(acris) f(aciundis).* — Romae. VI, 1333 (Wilmanns 1182).

3) *Q. Ca[m]ur[ius . . f. Lem.] Numisius [Iunior], IIIvir a(ere) a(rgento) a(uro) f(lando) f(eriundo), t[r(ibunus) mil(itum)] leg(ionis) VIIII Hi[sp(anae)], sodalis Titialis, qu[ae]st(or) urb(anus), ae[d(ilis) cur(ulis)], p[r(aetor), le]g(atus) Aug(usti) leg(ionis) . . . et [leg(ionis)] VI Victr(icis).* — Attidii rep. Henzen 6050.

---

[1] Panegyr. 11: *dicavit caelo Tiberius Augustum . . . , Claudium Nero . . . , Vespasianum Titus, Domitianus Titum.*

4) [*M. Stati*]*us M. f. Cl. Priscus* [*L*]*icinius Italicus, legatus Augustorum pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Cappadociae, leg(atus) Aug(ustorum) pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Brittanniae, leg(atus) Aug(ustorum) pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Moesiae super(ioris), curato*[*r*] *alvei Tiberis et cl*[*o*]*acarum urbis, c*[*o(n)s(ul)*], *leg(atus) Aug(usti) prov(inciae) Daciae, leg(atus) leg(ionis) XIII G(eminae) p(iae) f(idelis), leg(atus) leg(ionis)* [*X*]*IIII Gem(inae) Martiae Victricis, sacerdos Titialis* [*Fl*]*avialis, pr(aetor) inter cives et peregrinos, tr(ibunus) pl(ebis), quaest(or), proc(urator) Aug(usti) (vicesimae) hereditatium prov(inciarum) Narbonens(is) et Aquita*[*n(iae)*, *p*]*r(aefectus) eq(uitum) alae I pr(aetoriae) c(ivium) R(omanorum), tr(ibunus) mil(itum) leg(ionis) I adiutricis p(iae) f(idelis) et leg(ionis) X* [*G(eminae)*] *p(iae)* [*f(idelis) e*]*t leg(ionis) IIII Gallicae, praef(ectus) coh(ortis) IIII Lingonum, vexillo mil(itari)* [*d*]*onatus a divo Hadriano in expeditione Iudaic*[*a*]. — Romae. VI, 1523 (Wilmanns 1190).

Consul ordinarius a. 159.

5) [*P.*] *Porcius Optatus Flamm*[*a*], *c(larissimus) v(ir), praetor, inter tribuni*[*c(ios)*] *adlectus, quaestor pro*[*vin*]*ciae Baeticae, sacerdot*[*io*] *Flaviali Titiali iudicis dom*[*ini*] *n(ostri) sanctissimi et fortissi*[*mi i*]*mp(eratoris) Caes(aris) L. Septimi Sever*[*i Per*]*tinacis Aug(usti) Pii exor*[*natus*], *legatus ab amplissimo s*[*enatu*] *ad eumdem dominum* [*i*]*mp(eratorem) in Germaniam et* [*ad*] *Antoninum Caes(arem)* [*im*]*p(eratorem) destinatum in Pannoni*[*am*] *missus.* — Cirtae. Renier 1826 (Wilmanns 1200).

6) ..... *unius Faustinus* ..... *dus Postumian(us), c(larissimus) v(ir),* [*c*]*o(n)s(ul), adlectus inter co*[*mit*]*es Aug(ustorum) n(ostrorum duorum), sacerdos* [*F*]*lavialis Titialis, leg(atus) Aug(ustorum duorum) pr(o) pr(aetore) provinciae Mysiae inferior*[*is, leg(atus)*] *Aug(ustorum duorum) pr(o) pr(aetore) provinciae Lusetani*[*ae, leg(atus) leg*]*ion*[*i*]*s* ..... [*fel*]*icis* ....., [*iur*]*idicus* [*pe*]*r Aemiliam* [*e*]*t Etruriam et Tusciam, praetor* [*c*]*andi*[*datus, leg(atus) pr*]*ovinciae* ... [*dio*]*eceseos* ..., [*trib*]*unus pleb(is) candida*[*tus, qu*]*ae*[*s*]*tor provinc(iae)* ..... *ae, d*[*ec*]*emvir s*[*tl*]*itibus* [*i*]*u*[*d(icandis)*]. — Hr. Machdjuba. VIII, 597.

7) *C. Bellicus Natalis Tebanianus, co(n)s(ul), XVvir Flavialium.* — Pisis. Orelli 2375.

Kalator sacerdotii:

8) *Q. Caecilius Ferox, kalator sacerdotii Titialium Flavialium, studiosus eloquentiae, vixit annis XV mense I diebus XXIIII.* — Romae. VI, 2189 (Orelli 2432).

Apparet ex his titulis sodales primum *Flaviales* (n. 1. 2), inde ab anno 81 quo Titus consecratus est *Flaviales Titiales* (n. 5. 6) esse nominatos; quod autem inveniuntur *sacerdos Titialis Flavialis* (n. 4), *sodalis Titialis* (n. 3), *sacerdotium Titiale Flaviale* (n. 8), ea qua modo vidimus ratione explicandum est: nimirum Titi memoriam mox praemissam esse ei vocabulo quo Vespasiani mentio fieret, mox solam esse retentam. Quam ob rem

Flaviales saepius non *sodales*, sed *sacerdotes* nominentur (n. 4. 6), nescio. Quot fuerint sodales Flaviales, non traditur; cum autem in inscriptionibus multo pauciores inveniantur non solum Augustalibus, sed etiam eis qui multo post constituti sunt sodalibus Hadrianalibus (nam septem non amplius Flavialium exempla quaerenti mihi innotuerunt), non ita multos eos fuisse efficitur: quindecim numero eos fuisse ex eo, quod in titulo n. 7 occurrit *XVvir Flavialium*, fortasse colligi potest[1]). Ceterum ut inter sodales Augustales, ita inter Flaviales quoque senatorii tantum ordinis homines, sed et patricios et plebeios cooptatos esse ex exemplis quae attuli cognoscitur: pauci qui innotuerunt sodales Flaviales, qui quidem utrum patricii an plebeii fuerint discerni potest, plebeii fuerunt (n. 2. 3. 4. 5. 6). Apud scriptores unicum de sodalibus Flavialibus extat testimonium Suetonii vit. Dom. 4: *in stadio vero cursu etiam virginum certamini praesedit (Domitianus), ... assidentibus Diali sacerdote et collegio Flavialium*; qua ex re ut Augustales sub Iuliis imperatoribus, ita sub Domitiano Flaviales, cum proprium domus Augustae essent sacerdotium, paullo honoratiores fuisse apparet.

Eos qui post Titum proximi in deorum numerum relati sunt imperatores, Nervam et Traianum dico, propriis sacerdotum collegiis non esse ornatos, et ex eo constat quod in tot inscriptionibus nullus huius generis sacerdos invenitur, et scriptorum silentio comprobatur; neque enim Plinius, si Traianus in divi Nervae honorem sacerdotum collegium creavisset, de hac re in panegyrico tacuisset. Cuius rei valde alienae a consuetudine priorum temporum causae eae videntur fuisse, primum quod sacra gentilicia, quibus colendis sodalitates erant destinatae, iam inde a Flaviorum temporibus paulatim evanuerant, tum quod omnino illo tempore consecrationes despectui fuerunt[2]). Anno etiam 138 cum defunctum Hadrianum consecrari oporteret senatus acerrime restitit, neque facili negotio Antoninus pertinaciam senatorum, obsequiosi alioqui ordinis, superavit; cum autem effecisset ut Hadrianus consecraretur, unde ipsi Pio inditum nomen est, idem consuetudinem iam per sexaginta fere annos obsoletam collegia sacerdotum in honorem divorum imperatorum constituendi reduxit et divo patri *sodales Hadrianales* creavit. Cuius rei testis est biographus Hadriani c. 27[3]). Reperiuntur in inscriptionibus sodales Hadrianales hi:

1) *C. Popilius C. f. Quir. Carus Pedo, co(n)s(ul), VIIvir epulon(um), sodalis Hadrianalis, legatus imp(eratoris) Caesaris Antonini Aug(usti) Pii pro pr(aetore) pr(ovinciae) Germaniae super(ioris) et exercitus in ea tendentis, curator oper(um) publicor(um), praef(ectus) aerari Satur(ni), curator viar(um) Aureliae veteris et novae, Corneliae et Trium-*

---

1) [Sed quod olim posui in actis minoribus Lips. 1850 p. 219 n. 3 Tebanianum fuisse et XVvirum sacris faciundis et ex Flavialibus, etiamnunc verum puto. Th. M.].

2) Cf. Mommsen *Staatsrecht* 2, 718.

3) *Templum denique ei* (Hadriano Antoninus) *constituit . . . . . et sodales.* Cf. vit. Pii 5: *clipeum Hadriano magnificentissimum posuit et sacerdotes instituit.*

phalis, legatus legionis X Fretensis a cuius cura se excusavit, praetor, tribunus plebis, q(uaestor) divi Hadriani Aug(usti), in omnibus honoribus candidatus imperator(is), trib(unus) laticlavius leg(ionis) III Cyreneicae, donatus donis militaribus a divo Hadriano ob Iudaicam expeditionem, Xvir stlitibus iudicandis. — Tibure rep. Wilmanns 1186. Henzen 6501.

2) *L. Dasumius P. f. Stel. Tullius Tuscus, co(n)s(ul), comes August(i), augur, sodal(is) Hadrianalis, sodal(is) Antoninianus, curat(or) operum publicorum, legatus pr(o) pr(aetore) provinciar(um) Germaniae superior(is) et Pannoniae superior(is), praefectus aer(ari) Saturni, praetor, tribun(us) pleb(is), leg(atus) provinc(iae) Africae, quaest(or) imp(eratoris) Antonini Aug(usti) Pii, trib(unus) milit(um) leg(ionis) IIII Flaviae, triumvir a(ere) a(rgento) a(uro) f(lando) f(eriundo).* — Tarquiniis. Wilmanns 1183. Henzen 6051.

3) *Q. Pompeius Q. f. Quir. Senecio Roscius Murena Coelius Sex. Iulius Frontinus Silius Decianus C. Iulius Eurycles Herculaneus L. Vibullius Pius Augustanus Alpinus Bellicius Sollers Iulius Aper Ducenius Proculus Rutilianus Rufinus Silius Valens Valerius Niger Cl(audius) Fuscus Saxa Uryntianus Sosius Priscus, pontifex, sodalis Hadrianalis, sodalis Antoninianus Verianus, salius Collinus, quaestor candidatus Aug(ustorum duorum), legatus pr(o) pr(aetore) Asiae, praetor, consul, proconsul Asiae sortito, praefectus alimentor(um), XXvir monetalis, sevir, praef(ectus) feriarum Latinarum.* — Tibure. Wilmanns 1194. Orelli 2761.

Consul ordinarius a. 169.

4) *L. Fulvius C. f. Pom . . . . . Bruttius Praesens Min . . . . . Valerius Maximus Pompeius L . . . . . Valens Cornelius Proculus . . . . . Aquilius Veiento, co(n)s(ul) II, pr[oco(n)s(ul) prov(inciae) . . . , pater C]r[is]pinae Aug(ustae), socer imp(eratoris) [Caes(aris) Commodi Aug(usti), sodalis Hadrianialis* (sic), *sodalis Antonin[ianus Verianus] Marcianus, comes imp(eratorum) Ant[onini et Commodi Aug(ustorum)] expeditionis Sarmaticae, p[raetor, tr(ibunus) pl(ebis), quaes]tor Aug(usti), tr(ibunus) mil(itum) leg(ionis) (tertiae) Gallic(ae), [donis milit(aribus) donatus] ab imp(eratore) divo Antonino Aug(usto) P[io, ...].* — Volceis. I. N. 217. Henzen 5488.

5) *T. Sextius T. f. Vol . . . . . M. Vibius Ove . . . . . Secundus Luc . . . . Vestinus . . . , Africani con[sularis viri] filius, saliu[s . . . . . , sodalis] Hadrianalis, iu[rid(icus) . . . .], praetor, in con[silio imp(eratoris) Caesaris L. Aur(elii) [Veri Aug(usti), leg(atus)] provinciae Afr[icae, ...].* — Romae. VI, 1518.

6) *Ti. Claudius Saethiada Caelianus, Cl(audii) Frontini co(n)s(ulis) f(ilius), Xvir stl(itibus) iud(icandis), trib(unus) mil(itum) leg(ionis) III Gallicae, q(uaestor) provinc(iae) Siciliae candidatus imp(eratorum) Antonini et Veri Augustor(um), sodalis Hadrianalis, trib(unus) pleb(is), praet(or) fid(ei)com(missarius), legatus leg(ionis) XI Cl(audiae) Aug(ustae).* — Abellini. I. N. 1881 (Henzen 6452).

7) Ἁ πόλις Τιβ(έριον) Κλαύ(διον) Τιβερίου Φροντείνου υἱὸν Κυρείνᾳ Φροντεῖνον Νικήρατον, σόδαλιν Ἀδριάν[α]λιν, τῶν δέκα ἀνδρῶν τῶν [τ]ὰ φονικ[ὰ] δικ[α]σάν[τ]ων, χειλίαρχον πλατύσημον λεγεῶνος δ' Φλαβιᾶς, ταμίαν καὶ ἀντιστράτηγον ἐπαρχείας Ἀχαΐας, ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων τῆς συγκλήτου κανδίδατον αὐτοκράτορος Μ. Αὐρηλίου Ἀντωνείνου Αὐγούστου Γερμανικοῦ, ἀγορανόμον κουρ[ού]λ[λ]ιον, στρατηγὸν Ῥωμαίων, — Spartae. C. I. Gr. 1327. Fere par est titulus eiusdem hominis Argivus C. I. Gr. 1133.

8) *L. Ragonius L. f. Pap. Urinatius Larcius Quintianus, co(n)s(ul), sodalis Hadrianalis, leg(atus) leg(ionis) XIIII Gem(inae), donis milit(aribus) donatus ab imp(eratore) C[ommodo] Antonino Aug(usto), proco(n)s(ul) prov(inciae) Sardin(iae), iuridicus per Apul(iam), praef(ectus) f(rumento) d(ando), praet(or), aed(ilis) pl(ebis), q(uaestor) pr(o) pr(aetore) provinc(iae) Africae, sevir.* — Romae. VI, 1502 (Wilmanns 1195). Cf. titulos eiusdem hominis VI, 1503. V, 1969. 2112 (Orelli 2377. 2702).

9) *L. Insteius L. f. Hor. Flaccianus, pr(aetor) k(andidatus), trib(unus) ple[b(is)], quaest(or), sevir t[urmae . . . . .], Xvir stlitibus iudicand(is), sodalis Hadrianalis.* — Romae. VI, 1429.

10) *[. . . adlectus inter patr]icios a divo Pertinace, IIIvir a(ere) a(rgento) a(uro) f(lando) f(eriundo), [so]dalis Hadrianalis, flamen Commodian(us).* — Romae. VI, 1577 (Wilmanns 1199).

11) *L. Fabius M. f. Gal. Cilo Septiminus C. Atinius Acilianus Lepidus Fulcinianus, co(n)s(ul), comes imp(eratoris) L. Septimi Severi Pii Pertinacis Aug(usti) Arab(ici) Adiab(enici) p(atris) p(atriae), sodal(is) Hadrianal(is), cur(ator) Min(iciae), leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) provinc(iarum) Pann(oniae) et Moesiae sup(erioris), Bithyn(iae) et Ponti, dux vexill(ationum) per Italiam exercitus imp(eratoris) Severi Pii Pertinacis Aug(usti) et imp(eratoris) Aureli Antonini Aug(usti), praepositus vexillation(ibus) Perinthi pergentib(us), leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) provin(ciae) Galat(iae), praef(ectus) aer(ari) militar(is), proco(n)s(ul) prov(inciae) Narbon(ensis), leg(atus) Aug(usti) leg(ionis) XVI F(laviae) f(irmae), pr(aetor) urb(anus), leg(atus) pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Narb(onensis), trib(unus) pl(ebis), quaest(or) prov(inciae) Cret(ae) Cyr(enarum), trib(unus) mil(itum) leg(ionis) XI Cl(audiae) Xvir stlit(ibus) iudic(andis).* — Romae. VI, 1408 (Wilmanns 1202). Cf. VI, 1409 (Wilmanns 1202*a*).

Consul suffectus a. 193, consul II ordinarius a. 204.

12) *L. Annius L. f. Quir. Italicus Honoratus, co(n)s(ul), sodal(is) Hadrianalis, leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Moes(iae) inf(erioris), cur(ator) oper(um) pub(licorum), cur(ator) Neap(olis) et Atell(ae), praef(ectus) aer(ari) mil(itaris), leg(atus) leg(ionis) XIII Gem(inae), iurid(icus) per Fl(aminiam) et Umbriam, cur(ator) viae Lavic(anae) et Lat(inae) veter(is), praetor qui ius dixit inte[r] civ[is] et civis et pereg(rinos), trib(unus) p(lebis), q(uaestor) prov(inciae) Achaiae, sevir turmar(um) equ(estrium), IIIIvir viar(um) curandarum.* — Tomis. III, 6154. Cf. III, 1071. 1072.

13) *Cn. Cornelins Aquilius Niger, leg(atus) leg(ionis) I M(inerviae) p(iae) f(idelis), item proconsul provinciae Gal(liae) Narbonensis, item sodalis Hadrianal(is).* — Bonnae. Brambach corp. inscr. Rhenan. 463 (Orelli 2021).

14) *T. Aelius T. f. Pal. Naevius Antonius Severus, c(larissimus) v(ir), quaestor, sodalis Hadrianalis, trib(unus) laticl(avius) leg(ionis) XVI Fl(aviae) piae f(idelis), praef(ectus) feriar(um) Latinar(um), IIIvir capit(alis), sevir equitum Romanorum turmae secundae.* — Romae. VI, 1332 (Orelli 3046).

15) *M. Gavius T. f. Vel. Appalius Maximus, c(larissimus) v(ir), sodalis Hadrianalis, leg(atus) pro(vinciae) Narbonensis, q(uaestor) Aug(usti).* — Tusculi. Mur. 192, 1.

16) *L. Flav(ius) L. f. Septimius Aper Octavianus, c(larissimus) v(ir), trib(unus) pleb(is), sod(alis) Hadria[n(alis)], q(uaestor) provinc(iae) Cypri, sevir turm(ae) II equit(um) Rom(anorum), Xvir stlitib(us) iudicand(is).* — Romae. VI, 1415 (Orelli 3102).

17) *M. Aelius Aurelius Theo, v(ir) c(larissimus), iurid(icus) de infinito per Flam(iniam) et Umbriam Picenum, sodalis Hadrianalis, praetor, tribun(us) plebis, adlectus inter quaestorios, trib(unus) militum laticlavius leg(ionis) XI Claud(iae), item tribunus militum laticl(avius) leg(ionis) XII fulminat(ae), decemvir stlitibus iudicandis,* — Arimini. Orelli 3174 cf. Henzen p. 291[1]).

Quibus exemplis[2]) inter Hadrianales quoque senatorii tandum ordinis homines, sed et patricios et plebeios[3]) cooptari licuisse cognoscitur; quot fuerint sodales, non constat.

Mortuo Antonino et in divorum numerum relato (a. 161) rursus novum sacerdotum collegium institutum est quibus nomen erat *sodales Antoniniani.* Borghesius[4]) quidem peculiares sacerdotes in divi Antonini Pii honorem non esse creatos, sed sodales Hadrianales divi Pii sacris praeesse iussos statuit, quique in inscriptionibus occurrant *sodales Antoniniani,* eosdem esse ac sodales Hadrianales, ita ut unius sacerdotii duae essent appellationes; secutique sunt Borghesium Henzenus[5]) et Marquardtius[6]), licet hic non sine dubitationis nota. Quod ut statueret Borghesius, eis maxime rationibus videtur inductus esse quas modo exposui de Augustalibus Claudialibus et Flavialibus Titialibus; conveniensque videbatur, ut divum Augustum divumque Claudium, ut Vespasianum et Titum, sic Hadrianum quoque et Antoninum, adoptione iunctos scilicet et ipsos, ab eisdem sodalibus esse cultos. Nec tamen fugerunt Borghesium quae sententiae quam protulerat repugna-

---

[1]) Etiam in fragmentis C. I. L. VI, 1575. 2157 Boissieu *inscr. de Lyon* p. 82 sodalium Hadrianalium mentio facta videtur esse.

[2]) [Accedit *M. Valerius Bradua Mauricus* cos. a. 191 ex titulo Albingaunensi vol. V n. 7783. Th. M.].

[3]) Patricios habemus n. 3. 5. 10, plebeios n. 1. 2. 6. 7. 8. 9. 11. 12. 16. 17.

[4]) Opp. 3, 400 seq.

[5]) N. 6045.

[6]) *Handbuch* 4, 432.

rent: primum biographum Marci[1]) ita verba facere, ut novos sodales divo Pio constitutos esse nobis statuendum sit; tum quod in inscriptione Henzeniana 6053 = C. I. L. VI, 2001 sacerdotes quidam, quos sodales Antoninianos esse ipse Borghesius[2]) docuit, in aede divi Pii convenire legantur, tum demum recte stare cum proprios divi Antonini sacerdotes sodales Antoninianos fuisse statuamus; at si eidem sint Hadrianales et Antoniniani, in aede divi Hadriani Antoninianos quoque oportere convenire. Deinde quod Sosius Priscus consul a. 169 in titulo Tiburtino[3]) *sodalis Hadrianalis sodalis Antoninianus* appelletur, ita tantum explicari posse ut diversos intellegamus Hadrianales ab Antoninianis; nam si idem sacerdotium duobus illis vocabulis significaretur, Sosium *sodalem Hadrianalem Antoninianum* vocari oportuisse. Tamen in diversam sententiam abiit Borghesius, motus titulo Vaticano quem dedimus inter Hadrianalium titulos n. 10. Nam cum sibi persuasisset, a quibus sodalibus divus imperator quisque coleretur, ex eisdem sodalibus flaminem quoque eligi debuisse — de qua re infra dicetur — inde quod in illo titulo sodalis Hadrianalis *flamen Commodianus* appellatur effecit, sodales Hadrianales divi Commodi sacra curavisse; quod si ita est, divi Pii quoque sacra curasse Antoninianos eosdemque esse atque Antoninianos concedendum est[4]). Sed primum num recte inde quod in titulo Vaticano duo illa sacerdotia (sodalitatem Hadrianalem et flamonium Commodianum dico) coniuncta inveniuntur necessariam eam fuisse coniunctionem effecerit Borghesius, valde dubitari potest; rectius ni fallor cum is cui titulus positus est et sodalis Hadrianalis et flamen Commodianus fuisse diserte praedicetur, diversa illa sacerdotia neque necessitate inter se coniuncta fuisse iudicandum erit[5]). Tum eam opinionem quam sibi Borghesius informavit de ratione quae intercesserit inter sodales et flamines divorum, qua opinione tota eius ratiocinatio nititur, argumentis non esse firmatam iam Marquardtius[6]) dixit idemque infra accuratius demonstrabitur. Accedit quod Borghesius non omnia enumeravit quae sententiae quam secutus est repugnarent: unum titulum protulit in quo verba SODALIS HADRIANALIS SODALIS ANTONINIANVS legantur, ita ut de duabus diversis sodalitatibus cogitandum

---

[1]) C. 7 *Et laudavere uterque* (Marcus et Verus) *pro rostris patrem . . . et sodales ex amicissimis . . . creavere.*

[2]) L. l. p. 397.

[3]) Cf. supra Hadrianales n. 3.

[4]) Ipsa Borghesii verba apponam (*mem. dell' inst.* 1832 p. 266 = opp. 3, 402): *Se quest' ignoto era sodale Adrianale ed insieme flamine Commodiano, ciò vuol dire, che quei sodali erano addetti al culto anche di Commodo, il che è impossibile di concepire, se non supponendo che gli Adrianali fossero gli stessi che gli Antoniniani.*

[5]) Videtur autem is cui titulus Vaticanus positus est primum flamen Commodianus, tum demum sodalis Hadrianalis factus esse; nam cum honores ita enumerentur ut qui primi suscepti sint ultimo loco ponantur (certe vigintiviratus qui primus capessebatur ultimum locum tenet), in sacerdotiis enumerandis eandem rationem valuisse veri simile est.

[6]) *Handb.* 4, 432 n. 2971.

sit; sed extat alter, extat tertius: quorum alterum quidem (Hadrianales n. 4) non legerat illo tempore Borghesius nisi depravatum et vitiosum qualem Gruterus p. 1095, 1 praebet, alterum (Hadrianales n. 2), de quo olim[1]) dixerat ipse, omnino oblitus est. Iam quod ter *SODALIS HADRIANALIS SODALIS ANTONINIANVS* occurrit, id casui tribui nullo pacto potest. Immo quod inter eos quos inscriptiones praebent sodales Hadrianales tres inveniuntur *sodales Hadrianales sodales Antoniniani* neque ullus *sodalis Hadrianalis Antoninianus*, qua ratione explicari poterit, nisi distinguendos esse Antoninianos ab Hadrianalibus duasque diversas eas fuisse sodalitates statuemus? Iam tres ei de quibus dixi tituli accipiendi sunt de hominibus duabus sodalitatibus et Hadrianali et Antoniniana ornatis. Quod autem Hadriano et Antonino, eiusdem gentis divis, diversae sodalitates creatae sunt, non mirum est ea aetate qua omnino rationes gentilicias evanuisse constat. Nomen fuisse novis sodalibus *sodales Antoninianos* auctor est biographus Pii c. 13[2]); quocum consentiunt tituli complures infra exhibendi[3]). At vit. Marci c. 7[4]) *Aurelianis* eis fuisse nomen narratur. Sed sodales divi Pii nomen traxisse ab Aurelio nomine quo Antoninus eo solum tempore usus est quo privatus homo fuit (nam inde ab a. 138 postquam ab Hadriano adoptatus in domum Augusti venit nomen ei fuit *T. Aelio Antonino*), veri simile non est; immo errorem commisit biographus Marci vel is quem biographus compilavit, Marius Maximus, eumque non nimis gravem, cum eo tempore quo Marius Maximus scripsit sodales Antoniniani recte *Aureliani* nuncupentur. Inscriptiones quoque in quibus *Aureliani* inveniuntur non primis post Pii consecrationem temporibus, sed posteriori aetati attribuendae esse videntur[5]). Iam quot fuerint sodales Antoniniani, ignoratur; et patricios et plebeios eos fuisse exempla quae lapidibus nobis servata sunt docent[6]). Fastorum so-

---

1) *Bull. dell' inst.* 1830 p. 201.

2) *Meruit . . . . . et templum et sodales Antoninianos.*

3) Antoniniani n. 1—5 (p. 219).

4) *Et laudaverè uterque pro rostris patrem . . . et sodales ex amicissimis Aurelianos creavere.*

5) Antoniniani 11. 12. 13 (p. 221).

6) Plebeios Antoninianos habemus n. 1. 3. 4. 10. 13. — Ceterum eadem ratione qua inter divorum sodales et patricios et plebeios cooptatos esse demonstravimus, idem de aliis quibusdam sacerdotiis de quibus contrarium falso statuebatur demonstrari potest, sodales Titios dico et fratres Arvales. Sodales Titios patricios semper fuisse videri dixit Marquardtius 4, 147: at extat sodalis Titius plebeius ap. Wilmanns 1191 = Renier 1818: *P. Iulius P. f. Quir. Geminius Marcianus, . . . sodalis Titius, ... trib. pleb.* Fratres Arvales patricios esse debuisse Marinius statuit *atti* p. XVII, quem secutus est Marquardtius 4, 409; contradixit Mommsenus *R. Forsch.* 1, 79, nullam dicens subesse causam opinioni a Marinio profectae, repugnare autem silentium Ciceronis de domo 14, 38. Et vero plebeios inter Arvales esse cooptatos docent haec exempla: Wilmanns 1151 (*C. Salvius C. f. Vel. Liberalis Nonius Bassus, ... frater Arvalis, allectus ab divo Vespasiano et divo Tito inter tribunicios*); Wilmanns 1159 (*L. Iulius L. f. Fab. Marinus Caecilius Simplex, ... aedilis plebi, ... frater Arvalis*); Orelli 3382 (*P. Metilius P. f. Cla. Secundus, . . . frater Arvalis, ... trib.*

dalium Antoninianorum exiguum extat fragmentum, editum post alios ab Henzeno u. 6053 et C. I. L. VI, 2001, ad Antoninianos relatum praecedente Melchiorrio a Borghesio[1]). Apparet autem ex his fastis, ut inter sodales Augustales, ita inter Antoninianos quoque imperatores imperatorumque filios cooptatos esse.

Iam post Antonini Pii consecrationem et sodales Antoninianos institutos novae sodalitates creatae esse omnino non videntur, sed quicumque postea consecrati sunt imperatores, eorum sacra curare iussi sunt Antoniniani, ita ut nova cognomina e nominibus novorum divorum tracta acciperent. Ac divum quidem Verum ab Antoninianis cultum esse narrat biographus Marci c. 15[2]); de divo Marco testis est biographus c. 18[3]), de divo Magno Antonino biographus Caracall. c. 11[4]). Etiam divum Pertinacem quamvis non coniunctum adoptione cum Antoninorum domo[5]) sodales Antoniniani coluerunt[6]). Comprobantur autem scriptorum testimonia et id quod, quamquam a scriptoribus diserte non narratur, facile tamen ex eis colligi potuit, etiam Commodi et Severi sacra Antoninianos curasse efficitur eis quae inscriptiones nobis subministrant; quarum eas quae mihi innotuerunt ex ordine dispositas exhibebo.

Sodales Antoniniani:

1) Vide Hadrianales n. 2.

2) [*T. Vitrasius . . f. Pollio, co(n)s(ul) II, ... Aug*]*ustorum, comes* [*M. Antonini et L. Ver*]*i Aug(ustorum) expeditio*[*nis . . . . . Germ*]*anicae, item comes* [*M. Antonini et Com*]*modi Aug(ustorum) expedit*[*ionis Germanicae Sar*]*maticae, bis donis m*[*ilitaribus donatus cor*]*onis*

---

pleb.); Wilmanns 1187 (*C. Arrius Antoninus, ... frater Arvalis, ... aedilis curulis*; cf. p. 207 n. 7); Wilmanns 1808 (*P. Aelius Coeranus, ... trib. plebei, ... frater Arvalis*). Etiam L. Salvius Otho, flamen fratrum Arvalium a. 39 (Henzen arv. p. XLIX), eo tempore etiamtum plebeius fuit, cum anno demum 48 a Claudio imperatore inter patricios adlectus sit (Suet. Otho 1. Cf. Tac. ann. 11, 25).

[1]) Opp. 3, 397.

[2]) *Antoninianos sodales et omnes honores qui divis habentur eidem* (Vero) *dedicavit.*

[3]) *Etiam templum ei constitutum, dati sacerdotes Antoniniani et sodales.*

[4]) *Habet templum, ... habet sodales Antoninianos.*

[5]) Borghesius tamen, cum Severus et Pertinacis et M. Aurelii filium se dici voluerit, Pertinacem quoque aliqua ratione cum Antoninorum domo coniunctum fuisse existimat (opp. 3, 399: *essendo stato intruso egli pure nella discendenza del Divo Pio dal successore Severo, colla doppia adozione che' egli finse fatta di se dallo stesso Pertinace et da M. Aurelio*). Sed quo tempore Severus Pertinacem consecravit et sodales Antoninianos divi Pertinacis sacra curare iussit, ipse Severus divo Marco in adoptionem nondum se dederat; Pertinacem enim consecravit Severus a. 193 (Dio 73, 17), divi Marci filius factus est a. 197 post Clodium Albinum devictum (Dio 75, 7).

[6]) Vita Severi 7: *funus deinde censorium Pertinacis imagini duxit eumque inter divos sacravit, addito flamine et sodalibus Helvianis qui Marciani fuerant.* Vita Pertinacis 15: *Marciani sodales, qui divi Marci sacra curabant, Helviani sunt dicti propter Helvium Pertinacem.*

muralibu[s II vallar(ibus) II aur(eis) II] has[tis puris VIII vexillis VIII, proco(n)s(ul) Asiae, ... leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) Moesiae inf(erioris), ... pontif(ex), s]odalis Antonin[ianus, praef(ectus) alimento]rum, praetor, qu[aestor, IIIvir monetal]is a(ere) a(rgento) a(uro) f(lando) f(eriundo), maritus A[nniae . . . . . Fausti]nae, imp(eratoris) Caesaris M. [Antonini Aug(usti) et div]ae Faustinae Piae pa[truelis, affinis domus] Aug(usti). — Romae. VI, 1540 (Wilmanns 639).

Consul II ordinarius a. 176.

3) *[M. Didius . . . Sev]erus Iulianus, [co(n)sul, proco(n)s(ul)] Africae, leg(atus) Aug(usti) [pr(o) pr(aetore) prov(inciae) P]onti et Bithyniae, [item German]iae, Dalmatiae, Belgica[e, leg(atus) proconsulu]m Africae et Ac[h]aiae, praetor, [aedilis, quaes]t[o]r consulum, tribunus leg(ionis) . . . , [Xvir stl(itibus) iud]icandis, sodalis Antoni[ni]anus.* — Romae. VI, 1401.

4) *L. Albinius A. f. Quir. Saturninus, co(n)s(ul), proco(n)s(ul) prov(inciae) Asiae, leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) Ponti et Bith(yniae) prov(inciae), proco(n)s(ul) prov(inciae) Achaiae, praef(ectus) aer(ari) Sat(urni), leg(atus) Aug(usti) Asturicae et Gallaec(iae), pr(aetor) urb(anus), aed(ilis) pl(ebis), sod(alis) Antoni[ni]an(us), q(uaestor) urb(anus).* — Suessae. I. N. 4033.

5) *[. . . leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) prov(inciae) . . . . , i]tem Germ[aniae, ... c]urat(or) aed(ium) sacrar(um) et operum publicorum,] sodalis Anto[ninianus, ... quin]que[f]asc(alis) reg[ni Norici, . . . leg(atus) leg(ionis) V]II Cl(audiae) [p(iae)] f(idelis), praetor, ...* — Romae. VI, 1546.

Sodales Antoniniani Veriani.

6) *M. Pontius M. f. Pup. Laelianus Larcius Sabinus, co(n)s(ul), pontifex, sodalis Antoninianus Verianus, fetialis, leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Syriae, leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) prov(inciae) Pannon(iae) super(ioris), leg(atus) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) Pannon(iae) infer(ioris), comes divi Veri Aug(usti), donatus donis militaribus bello Armeniaco et Parthico ab imp(eratore) Antonino Aug(usto) et a divo Vero Aug(usto) [coron(a)] mu[rali vallari clas]sica aur[ea cet.* — Romae. VI, 1497 (Orelli 3186).

Consul ordinarius a. 163.

7) Vide Hadrianales n. 3.

8) *. . . . . onianus Octavius P. f., ... praef(ectus) urb(i) feriar(um) [La]t(inarum), ... leg(atus) leg(ionis) prim(ae) Ital(icae), co(n)s(ul), ... [sodalis] Antoni[ni]an(us) Verian(us), leg(atus) Aug(usti) [pr(o) pr(aetore) prov(inciae)] . . . . . oris.* — Pisis. Gori inscr. Etr. 2, p. 18.

Sodalis Antoninianus Verianus Marcianus.

9) Vide Hadrianales n. 4.

Sodalis Marcianus Antoninianus.

10) [*C. Arrius . . f. Quir. Antoninus, ... praetor*] *curatoribus et tut*[*orib*]*us dandis primus constitutus, curator Nolanorum, frater Arvalis, augur, sodalis Marcianus Antoninianus, iuridicus regionis Transpadaneae, curator Ariminiesium, curator civitatum per Aemiliam, aedilis curulis, ab actis senatus,* [*s*]*evir equitum Romanorum, quaestor urbanus, tribunus leg(ionis) IIII Scythicae, quattuorvir viarum curandarum.* — Cirtae. Mus. Rhenan. 1875, p. 289. *Bull. dell' inst.* 1874, p. 114.

Sodales Aureliani Antoniniani:

11) *C*[*l(audius) Pompeia*]*nus, co(n)s(ul), flamen Aug(ustalis), proco(n)s(ul), pontif(ex), sodalis Aurelianus Antoninianus.* — Veronae. V, 3223 (Orelli 2378).

Consul, ut videtur, a. 209.

12) *L. Pomponius Dexter Celerinus, c(larissimus) v(ir), co(n)s(ul), Aurelianus Antoninianus.* — Vagae. VIII, 1222 (Wilmanns 2341).

Sodalis Marcianus Aurelianus Commodianus Helvianus Severianus.

13) *C. Caerellius Fufidius Annius Ravus C. fil. Ouf. Pollittianus, sodalis Marcianus Aurelianus Commodianus Helvianus Severianus, IIIvir monet(alis) a(ere) a(rgento) a(uro) f(lando) f(eriundo), trib(unus) laticlavius leg(ionis) III Cyr(enaicae), VIvir equit(um) Rom(anorum) turmae primae, quaestor candidatus imp(eratoris) Caesaris M. Aurelli Antonini pii felicis Aug(usti), trib(unus) pl(ebis) candid(atus), pr(aetor) hastar(ius), c(larissimus) v(ir).* — Romae. VI, 1365 (Wilmanns 1206).

Publicus:

14) *Onesi*[*mus*] *Iulianus, publicus ex sacer*[*dot(io)*] *Aureliano Antoniano* (sic) *Veria*[*no*]. — Romae. VI, 2324[1]).

Severo Alexandro mortuo *datos esse sodales qui Alexandriani appellati sint* narrat biographus c. 63; quae verba levi biographi errore sine dubio ita aceipienda sunt ut anno 235 sodales Antoniniani appellati sint *Alexandriani.* Ceterum ultima illa fit mentio sacerdotii in divorum imperatorum honorem constituti; neque pauci ei qui post Severum Alexandrum consecrati sunt imperatores quo modo culti sint traditur.

II. DE FLAMINIBVS.

Non solum collegia sacerdotum vel sodalitates in honorem divorum imperatorum esse instituta, sed etiam singulos singulis divis colendis fuisse sacerdotes sive flamines et scriptorum testimoniis et multis inscriptionum exemplis cognoscitur. Atque Borghesius[2]), ut ab eius sententia proficiscar,

---

[1]) Etiam is qui inscriptionem metricam Bonnensem (Wilmanns 150) posuit *divum sodalis,* C. Fulvius C. f. Maximus, sodalis Antoninianus fuisse potest. Missa facio fragmenta C. I. L. VI, 1568. 2155 ab Henzeno ad Antoninianos relata.

[2]) Opp. 3, 402.

flamines divorum imperatorum ex ipsis eorum sodalibus esse electos iudicavit, ita ut exempli gratia et flaminem Augustalem et flaminem Claudialem e sodalibus Augustalibus Claudialibus electos esse, vel potius, ut ipsius Borghesii[1]) verbis utar, sodales Augustales Claudiales flaminem Augustalem et flaminem Claudialem habuisse statueret; eadem fortasse ratione qua fratres Arvales flaminem habuisse ex eorum actis apparet. Quam sententiam Marquardtius[2]) secutus est, quamvis dubitans[3]). Atque Borghesius ad illam opinionem ea maxime re adductus est quod complures flamines Augustales eodem tempore sodales Augustales fuisse constat[4]). Neque tamen hac ex re omnes omnium divorum flamines ex ipsis eorum deorum sodalibus esse sumptos effici posse videtur; praesertim cum certa flamonii Augustalis cum sodalitate coniuncti exempla in imperatoria tantum domo inveniantur, unde de privatis hominibus et de usu sollemni nihil colligi potest. Nec comparare licet illos quales sibi informavit Borghesius flamines divorum cum flaminibus fratrum Arvalium; nam flaminis fratrum Arvalium munus fuit annuum, flamines divorum per totam vitam flamonium retinuerunt; quod et inde colligitur quod omnino in titulis istorum flaminum mentio fit et de flaminibus Augustalibus ex Taciti testimonio constat. Refert enim Tacitus ann. 2, 83 post Germanici mortem senatus consultum esse factum *ne quis flamen aut augur in locum Germanici nisi gentis Iuliae crearetur* (fuerat autem Germanicus flamen Augustalis); ex quibus verbis flamines Augustales *perpetuos* fuisse iam Marquardtius[5]) effecit. Maxime autem illud opinioni a Borghesio propositae repugnat quod mos divis imperatoribus flamines creandi iam multo prius natus est quam sodales divorum sint constituti. Primo divo Augusto sodales constitutos esse a. p. C. 14 supra diximus; flaminem iam dictator Caesar habuit. Atque hos quoque flamines (quos *Iulianos* appellatos esse inscriptiones docent) e sodalibus Augustalibus esse sumptos Borghesius opp. 5, 202 sibi persuasit[6]); scilicet inde ab a. 14 quo sodales Augustales sunt constituti; nam antea flamonium divi Iulii proprium sacerdotium fuisse neque cum ulla sodalitate coniunctum necesse est. Atqui veri dissimillimum videtur flamines Iulianos, cum ab anno 710 a. u. c. usque ad

1) Opp. 5, 202.

2) *Handbuch* 4, 430.

3) L. l. not. 2963. 2971.

4) Germanicum Caesarem dico et Neronem Caesarem Germanici filium. Germanicum enim sodalem Augustalem fuisse Tacitus ann. 1, 54 narrat, flaminem Augustalem fuisse inscriptiones docent (Orell. 660. 661. 3064. C. I, L. II, 1517. I. N. 2395, aliae); Nero Caesar in aliis titulis *flamen Augustalis* (Orell. 664. 665), in aliis *flamen Augustalis sodalis Augustalis* appellatur (Orell. 663. 2366. 2368). Etiam Drusum Caesarem Tiberii filium *flaminem Augustalem* exhibet titulus Orell. 211 = Mommsen inscr. Helv. 17; sed mirum est in aliis Drusi titulis non fieri mentionem flaminatus, maxime si contuleris Drusi titulum C. I. L. VI, 910 cum Germanici titulo C. I. L. VI, 909 (Orell. 3064).

5) *Handb.* 4, 431 n. 2963.

6) Contradixit iam Henzenus apud Borghesium l. l. not. 5.

a. p. C. 14 liberam ut ita dicam et suae potestatis aetatem egerint, a. 14 sodalibus Augustalibus esse attributos. Et quod de flaminibus Iulianis, idem de divi Nervae et divi Traiani flaminibus iudicari necesse est: nam sodalitates in honorem Nervae et Traiani non esse creatas supra demonstravimus; at flamine divum Nervam a Traiano esse ornatum ex testimonio Plinii[1]), divum Traianum ab Hadriano ex eo, quod in titulo C. I. L. VI, 1383 temporibus Hadriani conscripto invenitur *flamen Ulpialis*, certo constat. Itaque divi Nervae quoque et divi Traiani flamines neque attributos esse ulli sodalitati neque ex ullis sodalibus esse electos pro certo affirmari potest. Iam aut duo fuisse genera flaminum divorum imperatorum, quorum alterum cum sodalibus coniunctum fuerit, alterum ad sodalitates omnino non pertinuerit, statuendum aut tota Borghesii sententia relinquenda erit. Accedit quod ei qui post Hadriani et Antonini Pii consecrationes sodales et flamines institutos esse tradunt auctores ita loquuntur, ut tamquam duas diversas res neque alteram ex altera consectariam flaminum et sodalium institutionem distinguant[2]), de qua re dixit iam Marquardtius l. l. Atque is mihi rectius videtur de flaminibus divorum iudicare qui tales eos sibi informaverit quales fuerunt flamen Dialis flamen Martialis flamen Quirinalis et ad horum trium flaminum, qui *maiores flamines* dicebantur, similitudinem illos esse constitutos sibi persuaserit. Multae enim ac gravissimae similitudines inter tres maiores flamines et flamines divorum imperatorum intercedunt. Ac primum quidem, ut Iovis Martis Quirini, ita divorum imperatorum quoque flamonia non munera annua fuisse, ut fratrum Arvalium flamonium, sed sacerdotia, quae per totam vitam retinerentur, iam supra vidimus. Deinde et maiores flamines et flamines divorum patricios esse oportuit: de maioribus vide Mommsenum *Röm. Forschungen* 1, 78; de flaminibus divorum idem iam exemplis probabo. Singuli in inscriptionibus inveniuntur flamines Claudiales Ulpiales Commodiani[3]); quos omnes patricios fuisse in ipsis lapidibus perscriptum est. Ipsas inscriptiones apponam:

1) *[L. Eggio L.] f. Cor. Ambibulo Pom[peio Lon]gino Cassiano L. Maecio Pos[tumo, co(n)s(uli)], flam(ini) Claud(iali), salio Collino, pr(aetori) candidato, [legato pro]v(inciae) Macedoniae, q(uaestori) candidato divi Traian[i Part]hici, ab eodem adlecto inter patricios, seviro eq(uitum) [Rom(anorum), tr(ibuno) mil(itum)] leg(ionis) (undecimae) C(laudiae) p(iae) f(idelis), Xviro stlitibus iudicandis; IIvir(o) q(uin)[q(uennali), item pa]t(rono) col(oniae); p(ublice) d(ecreto) d(ecurionum).* — Aeclani. I. N. 1110 (Wilmanns 1174).

---

[1]) Panegyr. 11: *licet illum aris pulvinaribus flamine colas.*

[2]) Vita Hadriani 27. vit. Pii 13. vit. Marci 7: *et laudavere uterque* (Marcus et Verus) *pro rostris patrem flaminemque ei ex adfinibus et sodales ex amicissimis Aurelianos creavere.*

[3]) Loquor de eis tantum qui publice in urbe Roma divis imperatoribus creati sunt flaminibus, missis et municipalibus et provincialibus Augustorum sacerdotibus.

Consul ordinarius a. 126.

2) *P. Coelio P. f. Ser. Balbino Vibullio Pio, Xviro stlitib(us) iudic(andis), VIviro equit(um) Roman(orum) turm(a) quint(a), tr(ibuno) mil(itum) leg(ionis) XXII primig(eniae) p(iae) f(idelis), adlecto inter patric(ios) ab imp(eratore) Caes(are) Traiano Hadriano Aug(usto), salio Collino, quaest(ori) Aug(usti), flamini Ulpiali, pr(aetori) de fidei comiss(is), co(n)s(uli) designato, decuriones sua pecunia.* — Romae. VI, 1383 (Wilmanns 1175).

Consul ordinarius a. 137.

3) ..... *adlecto inter pat]ricios a divo Pertinace, IIIvir(o) a(ere) a(rgento) a(uro) f(lando) f(eriundo), [so]dali Hadrianali, flamini Commodian(o), [Pol]ytimus lib(ertus) et proc(urator), patrono.* — Romae. VI, 1577 (Wilmanns 1199).

Etiam quem solum novimus divi Pertinacis flaminem, Helvium Pertinacem[1]), patricium fuisse, imperatoris scilicet filium, certo constat[2]); quamquam hoc quidem exemplum non magni momenti esse ad eam rem quam probare volumus facile concedo. Sed cum sub Traiano flamonium Claudiale, sub Hadriano Ulpiale, sub Severo Commodianum ad patricios esse delata aut eos qui illis flamoniis ornandi erant inter patricios adlectos esse constet, haec res casui mihi non videtur posse tribui, sed inde explicanda esse quod patriciis tantum hominibus flamines divorum imperatorum fieri licuerit. Ac ceterorum quoque divorum flamines, qui quidem innotuerunt, patricios fuisse aut certo constat aut coniectura paene ad certum adduci potest. Atque ut de flaminibus Augustalibus primum dicam, Germanicum et Neronem Caesares, flamines Augustales (cf. p. 36 n. 58), patricios fuisse notum est. L. Iunius Silanus, gener imperatoris Claudii, quem flaminem Augustalem fuisse ex titulo eius Attico[3]) scimus, quin patricius fuerit non

---

[1]) Vit. Pertin. 15: *filius Pertinacis patri flamen est factus.* Cf. vit. Caracall. 4: *Helvium Pertinacem suffectum consulem ob hoc solum quod filius esset imperatoris occidit.*

[2]) Cf. Mommsen *Staatsrecht* 2, 746.

[3]) C. I. Gr. 369 = eph. ep. 1 p. 62: [Λεύκιον Ἰού]νιον Μάρκου Σειλα[νοῦ υἱὸν Σειλανὸ]ν Τορκούατον, ἱερέα Θ[εοῦ] Ἰουλίου καὶ ἱερέα Θεοῦ Κα[ίσαρος Σεβα]στοῦ, ἔπαρχον Ῥάμης, τριῶν [ἀνδρῶν] κατασκ[ευ]ῆς χρ[υ]σοῦ καὶ ἀργύρου [καὶ χαλκ]οῦ, ταμ[ίαν Τιβερί]ου Κλα[υδί]ο[υ Καίσαρος] Σεβα[στοῦ Γερμα]νικο[ῦ] ..... Verba ἱερέα Θεοῦ Ἰουλίου καὶ ἱερέα Θεοῦ Καίσαρος Σεβαστοῦ Silanum et Iulianum et Augustalem flaminem fuisse docent. Quam rem repugnare arbitratus Borghesius (opp. 5, 201) eis quae leguntur apud Ciceronem de legg. 2, 8, 20: *divisque aliis sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto* et Varronem de l. L. 5, 15: *horum singuli cognomina habent ab eo deo quoi sacra faciunt* Silanum non flaminem Augustalem sed sodalem Augustalem fuisse iudicavit, verba ἱερεὺς Θεοῦ Ἰουλίου καὶ ἱερεὺς Θεοῦ Καίσαρος Σεβαστοῦ interpretatus *flamen Iulianus sodalis Augustalis.* Sed non eam quam Borghesius voluit sententiam inesse in Ciceronis et Varronis verbis docuit Mommsenus (Borghesi opp. 5, 201 not. 6), ut iam nihil obstet quin verborum tituli Attici simplicem interpretationem praeferamus artificiosae et quae homini Romano in mentem venire vix possit, qua vox ἱερεὺς modo de flamine modo de sodali accipiatur. Ceterum L. Silano imperatoris Claudii genero, divi Augusti abnepoti, titulum Atticum attribuendum esse, non fratris eius filio, demonstravit Mommsenus eph. ep. l. c.

potest dubitari, cum tres alios horum temporum Silanos patricios fuisse constet: C. Iunium C. f. M. n. Silanum consulem a. 763, qui flamen Martialis fuerit[1]), L. Iunium Silanum, consulem suffectum anni incerti Tiberio imperante, et ipsum flaminem Martialem[2]), M. Iunium Silanum Lutatium Catulum, cum salius Collinus fuerit[3]). Denique eum flaminem Augustalem cui titulus Veronensis V, 3223 (Orelli 2378):

Dianae conservatric(i) pro salute .... ani n(ostri), co(n)s(ulis), flamin(is) Aug(ustalis), proco(n)s(ulis), pontif(icis), sodalis Aureliani Antoniniani, Hosius lib(ertus) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)

positus est hominem nobilissimum fuisse ex ipso titulo apparet, quin patricium eum fuisse putemus nihil obstat, praesertim si fuit is de quo Mommsenus cogitavit Claudius Pompeianus[4]). Fuit enim Pompeianus nepos imperatoris Marci ex filia[5]), nec veri dissimile videtur Marcum adlegisse inter patricios sive generum Pompeianum[6]), patrem eius de quo nunc agitur, sive ipsum nepotem. Dixi de Augustalibus flaminibus: venio ad Iulianos. Quorum qui primus fuit, M. Antonium a Caesare dictatore cum patriciorum numerum augeret inter patricios esse adscitum et per se veri simillimum est et argumento quodam probavit Mommsenus *R. Forsch.* 1, 39 n. 66. L. Silanum, qui Claudio imperante flamen Iulianus fuit, patricium fuisse supra diximus. Denique Matium Sullinum Commodo imperante[7]) et flaminem Iulianum fuisse et eundem patricium docet titulus eius Gemonensis V, 1812 (Orelli 2242):

C. Matio C. f. Collin. Sabinio Sullin(o) Vatinian(o) Anicio Maximo Caesulen(o) Martiali Pisibano Lepido, allect(o) inter quaest(orios), salio Palatin(o), IIIvir(o) monet(ali) a(ere) a(rgento) a(uro) f(lando) f(eriundo), seviro equit(um) Roman(orum), flam(ini) Iulian(o), patricio, praetori candidat(o), co(n)suli, curat(ori) et patron(o), d(ecreto) d(ecurionum).

---

1) Fasti Capitol. s. a. 763. C. I. L. VI, 1384.

2) Orelli 3057; cf. Mommsen eph. ep. 1, 61.

3) Orell. 560; Mommsen l. c. p. 65.

4) [Titulo denuo inspecto erravisse me intellexi; POMPEIANI · N̄ vestigia non admittunt, admittunt QVINTIANI · N̄. Vide vol. V p. 1074. TH. M.].

5) Vit. Caracall. 3: *occidit etiam Pompeianum, Marci nepotem, ex filia natum et ex Pompeiano.*

6) Vit. Marci 20. vit. Pertin. 2. 4. vit. Iuliani 8. Ceterum etiam Petronius Mamertinus gener imperatoris Marci (vita Commodi 7, cf. Borghesi opp. 3, 246) a socero inter patricios adlectus esse videtur: oriundus enim erat Mamertinus equestri familia (avum procuratorem habemus Orell. 817, patrem praefectum praetorio Orell. 3422; cf. Borghesi opp. 8, 312), quam patriciam fuisse veri dissimillimum est; frater autem Mamertini natu minor, M. Petronius Sura Septimianus, consul a. 190 (ipse Mamertinus consul fuerat a. 182, cf. Borghesi l. l.), inter salios Palatinos nominatur C. I. L. VI, 1979, 11. 1980, 9; unde et Mamertinum et Septimianum a Marco inter patricios adlectos esse probabile fit.

7) De aetate constat ex albo saliorum Palatinorum (C. I. L. VI, 1980) s. a. 186; cf. infra.

Iam nisi omnia ea quae enumeravi casui tribuere malumus, flamines divorum imperatorum haud secus atque flamines tres maiores patricii semper fuisse existimandi sunt; non potuerunt igitur eligi e sodalibus. Nam inter sodales plebeios quoque esse cooptatos supra demonstravimus atque adeo casu fieri potuit ut omnes sodales aliquo tempore essent plebeii. Sed ut pergam in comparatione instituta flaminum divorum cum flaminibus maioribus, etiam inaugurandos fuisse flamines divorum imperatorum admodum probabile fit ex eo quod de Iuliano certe flamine diserte testatur Cicero Philipp. 2, 44, 110: *est ergo flamen . . . divo Iulio M. Antonius. Quid igitur cessas? cur non inauguraris? Sume diem: vide qui te inauguret. Collegae sumus; nemo negabit.* Denique cum constet ex fastis saliorum Palatinorum[1]) non licuisse flaminibus maioribus esse inter salios, sed si quis salius flamen factus sit, exiisse e saliorum collegio, quod compluribus locis diserte dicitúr exiisse aliquis e collegio ea de causa quia flamen factus sit[2]), hoc ipsum non solum in Iovis Martis Quirini sed etiam in divorum imperatorum flamines cadere puto posse demonstrari. Legimus enim in fastis saliorum Palatinorum a. p. C. 170 quinque salios flamines factos e collegio exiisse[3]). Quae res admodum mira videtur. Nam tribus maioribus flamoniis quomodo intra unius anni spatium non minus quinque homines — immo aliquanto plures; nam salios Palatinos tantum flamines factos esse non est probabile — ornati sint, nullo modo potest explicari. Neque cogitari potest de duodecim qui dicuntur minoribus flaminibus, ut unus alterve ex eis qui a. 170 e collegio exierint saliis Palatinis flamen Carmentalis exempli gratia vel flamen Volcanalis factus esse dicatur; patricii enim erant salii Palatini, flamines autem minores plebeios esse debuisse veri simile est[4]), saepissime plebeios fuisse[5]) neque ea dignitate, ut salius Palatinus tali flamonio ornaretur, certo constat. Restat igitur hoc solum ut complures eorum qui a. 170 e collegio exierint saliorum Palatinorum flamines divorum imperatorum factos esse statuamus. Quandoquidem non minus octo divis imperatoribus[6]) anno 170 flamonia fuisse constituta infra demonstrabitur; quibus si addimus Dialem Martialem Quirinalem flamines, non minus undecim illo anno patricia flamonia fuerunt; quorum quod multa illo tempore fuerunt vacua, ita ut quinque salii Palatini flamines facti sint, quam-

---

[1]) C. I. L. VI, 1977—1983.

[2]) Cf. Marquardt *Handbuch* 4, 370 n. 2509.

[3]) C. I. L. VI, 1978: [*C. Erucio Claro*] *M. Cornelio Cethego co(n)s(ulibus)* . . . . . *Q. Tineius Sacerdos* (errat Marquardtius 4, 379 n. 2581) *loco L. Anni Largi flaminis. M. Claudius Fronto Neocydes loco L. Salvi Kari flaminis. T. Fundanius Vitrasius Pollio loco L. Rosci Aeliani flaminis. T. Cornelius Anneus Fuscus loco L. Cossoni Eggi Marulli flaminis. L. Hedius Rufus Lollianus Avitus loco M. Acili Vibi Faustini flaminis.*

[4]) Mommsen *R. Forsch.* 1, 78.

[5]) Cf. Cic. Brut. 14, 56.

[6]) Divis Iulio Augusto Claudio Nervae Traiano Hadriano Pio Vero, fortasse item Vespasiano et Tito.

quam mirum fortasse videbitur, fieri tamen certe potuit[1]). Confirmatur autem haec ratiocinatio ea re quod a. 186 C. Matium Sullinum e saliorum collegio exiisse in fastis legimus; quem Sullinum flaminem Iulianum factum esse titulus Gemonensis supra p. 225 relatus docet. Quamquam mirum est in fastis collegii ad verba *in locum C. Matti Sullini* non adscriptum esse vocabulum *flaminis*.

Iam demonstratum esse puto Romae flamines divorum non e sodalibus esse electos, sed proprios ac singulares fuisse sacerdotes. Quodsi quis cogitaverit talem fuisse flaminibus divorum cum sodalibus coniunctionem qualem cum pontificibus Diali Martiali Quirinali flaminibus fuisse scimus, qui quamquam neque ex pontificibus eligebantur neque pontifices vocabantur, attributi tamen aliquo modo pontificibus atque adeo inter pontifices erant[2]): ne hoc quidem probari potest. Sunt enim flamines divorum quos cum nulla sodalitate ullo modo coniunctos fuisse certum sit, divi Iulii divi Nervae divi Traiani; et certe quod de Nervae et Traiani flaminibus constat, idem valet de omnium divorum flaminibus. Alia quoque re illa flaminum cum sodalibus coniunctio refellitur: sicut enim flamines Dialem Martialem Quirinalem a magistro collegii pontificum, pontificem maximum dico, creatos sive *captos* esse constat[3]), ita divorum quoque flamines a sodalium magistro captos esse nobis esset statuendum; quod fieri non potuit cum sodales Augustales certe non unum sed tres magistros haberent (cf. p. 209). At veri similius videtur divorum flamines eadem ratione qua tres flamines maiores cum pontificum collegio fuisse coniunctos[4]) atque ipsos quoque a pontifice maximo, id est ab imperatore, esse captos[5]).

Restat ut singula quae de divorum imperatorum flamoniis tradita sunt ex ordine enarrem. Dictator Caesar vivus sibi ipse M. Antonium flaminem creavit (a. 710)[6]). Interfecto Caesare cum nondum inauguratus esset An-

---

[1]) Pestem illo tempore vel maxime grassantem in causa fuisse probabile est.

[2]) Marquardt 4, 192. 269.

[3]) Mommsen *Staatsrecht* 2, 23. Marquardt 4, 244.

[4]) Quamquam pro certo hoc non affirmaverim; obstare enim videntur tituli Veronensis supra p. 225 relati verba: *flamin(is) Aug(ustalis), . . . pontif(icis)*; maiores certe flamines, cum iam eo nomine inter pontifices sint, pontifices vocari non possunt (cf. Bardt *die Priester der vier grossen Collegien* p. 38). Fortasse igitur iam exauguratus erat flamen ille Augustalis, cum pontifex factus est.

[5]) Ceterum non ita aequatos esse puto flamines divorum flaminibus maioribus, ut omnia, quae de maioribus constituit religiosa antiquitas, etiam divorum flamines observarent; certe flamines divorum ex confarreatis nuptiis procreatos esse necesse non fuit, cum Gaius 1, 112 de Diali Martiali Quirinali tantum flaminibus verba faciat.

[6]) Suet. Caes. 76: *ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est, . . . templa, aras, . . . flaminem.* Dio 44, 6: καὶ τέλος Δία τε αὐτὸν ἀντικρὺς Ἰούλιον προσηγόρευσαν καὶ ναὸν αὐτῷ τῇ τ' ἐπιεικείᾳ αὐτοῦ τεμενισθῆναι ἔγνωσαν, ἱερέα σφίσι τὸν Ἀντώνιον ὥσπερ τινὰ Διάλιον προχειρισάμενοι. Cic. Philipp. 2, 43, 110: *est ergo flamen, ut Iovi, ut Marti, ut Quirino, sic divo Iulio M. Antonius.* ib. 13, 21, 47: . . . *Caesar, cuius patris flamen est.* Cf. Drumann 1, 77. 3, 666.

tonius, diu multumque tergiversatus[1]) anno demum 714 inaugurari se passus est[2]). Antonii mortui (a. 725) in locum num quis suffectus sit, non traditur; fortasse anno demum 742 Augustus cum pontifex maximus factus est divo patri flaminem creavit. Flaminum Iulianorum exempla in inscriptionibus sub Claudio et sub Commodo inveniri supra p. 225 vidimus. Unus tantum post Caesarem Romanorum principum de flamine sibi vivo creando cogitasse dicitur, Commodus[3]); quamquam haec quoque res mortuo demum Commodo et consecrato perfecta esse videtur. Scriptorum autem testimoniis praeter divum Iulium flamines constitutos esse constat Nervae[4]) Hadriano[5]) Antonino Pio[6]) Vero[7]) Marco[8]) Commodo[9]) Pertinaci[10]). In inscriptionibus exempla inveniuntur flaminum divi Iulii[11]) Augusti[12]) Claudii Traiani Commodi[13]). Non constat de Vespasiano Tito Severo[14]) Caracalla Alexandro. Sed hos quoque post consecrationem flaminibus esse ornatos veri simile videtur; casui enim tribui potest quod nullum de hac re extat testimonium. Contra neque ei qui, cum ipsi imperatores non fuerint, tamen in deorum numerum relati sunt imperatorum patres filiique — divum Caesarem Domitiani filium et divum Traianum patrem dico — neque multae illae quae ex domo Augusti consecratae sunt feminae flaminibus ornati esse videntur. Flaminicas in honorem divae Faustinae maioris creatas esse biographus Pii c. 6 refert; quod fortasse de aliis quoque divis feminis statuere licet. Quod autem complures flamines divo Hadriano creatos esse in vit. Hadriani 27, divo Marco in vit. Marci 18 legimus, hac in re erratum esse a biographis puto; nam plures uni eidemque divo flamines constitui et

---

1) Cic. Phil. 2, 43, 110: *quid igitur cessas? cur non inauguraris?* eqs. 13, 19, 41: *tu, tu, inquam, illum occidisti Lupercalibus: cuius, homo ingratissime, flamonium cur reliquisti?*

2) Plut. Ant. 33: Ἀντώνιος δὲ μετὰ τὰς διαλύσεις . . . Καίσαρι χαριζόμενος ἱερεὺς ἀπεδείχθη τοῦ προτέρου Καίσαρος. Cf. Drumann 1, 425.

3) Vit. Commodi 17: *hunc tamen Severus . . . . . inter deos rettulit, flamine addito, quem ipse vivus sibi paraverat, Herculaneo Commodiano.*

4) Plin. panegyr 11: *licet illum aris pulvinaribus flamine colas.*

5) Vit. Hadrian. 27: *templum denique ei pro sepulchro apud Puteolos constituit* (Antoninus) *et quinquennale certamen et flamines et sodales.*

6) Vita Pii 13: *meruit et flaminem et circenses et templum et sodales Antoninianos.* Vit, Marci 7: *et laudavere uterque* (Marcus et Verus) *pro rostris patrem flaminemque ei ex adfinibus et sodales ex amicissimis Aurelianos creavere.*

7) Vit. Marci 15: *flaminem . . . . . eidem* (Vero) *dedicavit.*

8) Vit. Marci 18: *dati sacerdotes Antoniniani et sodales et flamines.*

9) Vide n. 3.

10) Vit. Pertin. 15: *filius Pertinacis patri flamen est factus.* Vita Severi 7: *funus deinde censorium Pertinacis imagini duxit eumque inter divos sacravit addito flamine.*

11) p. 225.

12) p. 222 n. 4. p. 224 n. 3. p. 225.

13) p. 223. 224.

14) [Iam innotuit ex titulo Albingaunensi vol. V n. 7783 *Q. Vibius Egnatius Priscus pontifex et flamen divi Severi.* Th. M.].

plane inauditum est et verbis Ciceronis supra[1]) allatis repugnat. Atque filios maxime posterosque divorum imperatorum aut, si nulli essent posteri, propinquos cognatosque flamoniis illis esse ornatos et ex re ipsa probabile fit et ex exemplis quae nobis servata sunt colligi posse videtur: si quidem flamen Augustalis primus fuit Germanicus Caesar, divi Augusti adoptione nepos, tum Nero Caesar Augusti pronepos, Claudio imperante cum Iuliorum gens iam interiisset L. Silanus Augusti ex filia abnepos; posterioribus temporibus flamonium Augustale ad alienos ab Augusti progenie homines delatum esse necesse est. Sic Helvianus flamen primus fuit Helvius Pertinax divi Pertinacis filius; divo Pio flaminem ex affinibus creatum esse biographus Marci narrat c. 7: ac nescio an qui Hadriano imperante flamen Ulpialis fuit (p. 224), L. Coelius Balbinus Vibullius Pius, cum e tribu Sergia fuerit, qua in tribu Italicam, unde oriundus erat Traianus, fuisse scimus[2]), ipse quoque Italicensis et propinquitate cum divo Traiano coniunctus fuerit; quamquam haec coniectura multum abest ut certa sit. Atque ut postremo loco — nam id solum restare videtur — de appellationibus quibus sollemniter usi sint flamines divorum dicam, quemadmodum flamines qui Iovi Marti Quirino erant constituti semper *Diales Martiales Quirinales* vocantur atque inaudita est significatio *flamen Iovis flamen Martis flamen Quirini*, ita flamines divorum quoque non *flamines divi Iulii Augusti Claudii*, sed *Iulianos Augustales Claudiales flamines* esse dictos ex inscriptionibus apparet. Inveniuntur enim in inscriptionibus flamines IVLIAN*us*, AVGVSTALIS, CLAVD*ialis*, VLPIALIS, COMMODIAN*us*. Ei vero qui in inscriptionibus occurrunt *flamines divi Augusti* omnes aut municipales aut provinciales sacerdotes fuisse videntur; qua de re dixit Mommsenus in Hermae vol. 3, p. 100.

1) p. 224 n. 3.

2) Grotefend imperium Romanum trib. descr. p. 100.

DESSAU.

OBSERVATIONES EPIGRAPHICAE.

XX. TRIBVS IMPERATORIAE.

Postquam senatus consultum de Cyzicenis nuper nos docuit domum imperatoriam eam, quae a Nerva cive Narniensi orditur, censam esse in tribu Narniensium Papiria (v. supra p. 158), circumspicienti mihi, num eius tribus aliae proprietates cum imperatoria eius condicione coniunctae alicubi apparerent, placuit examen instituere coloniarum deductarum a Traiano in qua quaeque tribu esset. Ita quae repperi, iam proponam.

1. COLONIA VLPIA TRAIANA in Germania inferiore. — *Sex. Secundo Papiria Felici IIIIII(viro) Augustali c(olonia) U(lpia) T(raiana)* (Brambach C. I. Rhen. n. 82).

2. COLONIA VLPIA TRAIANA POETOVIO in Pannonia superiore. De tribu eius Papiria v. vol. III p. 510.

3. COLONIA VLPIA RATIARIA Moesiae superioris. Tribum, quae est Papiria, didicimus ex urbana Henzeni n. 6721 (cf. vol. III n. 1641).

4. COLONIA VLPIA OESCVS in Moesia inferiore. Tribum Papiriam aperuit titulus III, 6201 (cf. 6129 = 6140).

5. COLONIA VLPIA TRAIANA AVGVSTA DACICA SARMIZEGETVSA. De tribu Sarmizegetusensium Papiria passim testata v. vol. III p. 229. 1167.

6. Canabas legionis Dacicae eas, ex quibus postea evasit municipium Apulum, constitutas esse a Traiano docui vol. III p. 182. Probabiliter igitur tribum Papiriam, quae Apulensibus deinde mansit, cum primitiva illa oppidi constitutione coniungemus.

7. Ad eandem tribum pertinuisse videntur canabae castrorum Aquincensium (v. vol. III n. 3357 et p. 439), quas et ipsas probabile est redire ad Traianum.

8. COLONIA CONCORDIA VLPIA TRAIANA AVGVSTA FRVGIFERA HADRVMETVM in Africa adscripta fuit tribui Papiriae testibus titulis Lambaesitanis Renierii n. 218. 433.

9. COLONIA MARCIANA TRAIANA (sic Renier n. 1479; cf. vol. III, 1443) sive VLPIA (Grut. 1090, 16) THAMVGADI in Numidia eiusdem tribus fuit testibus titulis Renierii n. 1524. 1525 aliisque, quos composuit Grotefendius in comm. de tribubus p. 160.

Non solum autem septem coloniae (nam Apulum et Aquincum non numero) quas recensui sine dubio Traianae omnes tribus Papiriae sunt, sed item nulla colonia invenitur, quam Traiano auctore conditam esse constet (enumerat eas Zumptius comm. epigraph. 1, 400 seq., sed multis aut temere receptis aut falso) quamque constet censitam esse in tribu diversa. Sunt quidem quaedam, ut Tsierna Daciae (vol. 3 p. 248) et de qua infra dicetur Leptis Magna Africae, quarum tribus adhuc ignoratur; sed quarum et auctor et tribus pateat, eae sunt Papiriae omnes.

Quo patefacto etiam reliquos populos tribui Papiriae ita adscriptos, ut ad Traiani aetatem eos civitate caruisse probabile sit, non sine veri specie constitutos esse coniciemus aut a Traiano aut certe ab alio eiusdem domus principe eadem tribu uso. Sane ad Italiae populos Papiriae adscriptos id non pervenit nec magis ad provinciarum res publicas ante Nervam civitatem adsecutas; nam municipium civium Romanorum propter coloniae ius a principe impetratum vel coloniam propter adscriptos novos colonos tribum mutasse omnino negandum est, cum in tanta status mutationum frequentia mutatae tribus certum exemplum nullum omnino suppetat. — Sunt autem res publicae, quas hoc modo Papiriam tribum accepisse probabiliter conicias, praeter eas, de quibus supra diximus, admodum paucae. In aliis imperii Romani provinciis quae praeter colonias Ulpias supra recensitas reperiuntur Papiriae adscriptae quattuor civitates solae, Narbo Martius in Gallia, colonia Augusta Firma Astigi in Baetica (vol. II p. 201), colonia Augusta Emerita in Lusitania (vol. II p. 52), denique colonia Iulia Augusta Cassandrea sive Potidaea in Macedonia (v. huius eph. vol. 2 p. 475 n. 1048) multo ante Traianum ad civitatem Romanam pervenerunt. In sola Africa e contrario Papiria regnat; scilicet secundum Grotefendium (imp. Rom. trib. descr. p. 154 seq.) censebantur in ea Cillium, Cuicul, Diana, Thagaste, Thelepte, Thibursicum Bure, Tubursicum. Haec igitur oppida civitatem accepisse a Traiano probabile est; nec video quod obstet, nisi quod Cillium Flavium dici videtur in titulo Renieriano n. 129 (II, 2). Ulterius Africana haec non persequor ipse; nam Wilmannsium nostrum Africanarum inscriptionum syllogen accuratam et plenam parantem disquisitionem hanc suscepturum esse et absoluturum confido. Unum addo inter curias Lambaesitanas quae reperitur una cum Traiana, Sabina, Antoniniana, Aurelia similibusque curiam Papiriam (Renier 185 = Wilmanns ex. 2742) aperte a tribu imperatoria nomen duxisse.

Hoc nobis restat quaerendum, qua ratione imperatores reliqui in eadem re versati sint, scilicet utrum suae domus tribum ad res publicas a se ordinatas propagarint an aliam viam tenuerint. Licet enim eius argumenti iusta enarratio huiusce commentarioli angustiis nequaquam capiatur, certe prima fundamenta poni poterunt, a quibus profecti qui in singulas provin-

cias inquirunt rem plenius pervestigent. Et hoc quidem statim patet consuetudinem eam, de qua agimus, ad imperatores Iuliae gentis non pertinere. Augustum Suetonius (c. 40) cum referat *Fabianis et Scaptiensibus tribulibus suis* dona dedisse, efficitur inde Iulios patricios in Fabia tribu censitos esse, Octavios autem in Scaptia; at in coloniis, quas Caesares pater et filius extra Italiam condiderunt, tantum abest, ut eae tribus potissimum inveniantur, ut coloniae Iuliae in Africa adscriptae fere fuerint tribui Arniensi vel Quirinae, in Gallia Narbonensi tribui Voltiniae, in Hispania Galeriae potissimum, in Dalmatia aut Tromentinae aut Sergiae et sic deinceps. Neque aliter esse potuit; nam cum hac aetate tribuum aliquae partes in re publica essent, coloniae municipiaque quae ad civitatem Romanam adsciscebantur aequabiliter inter rusticas tribus omnes discribendae erant, nec sane gratiam apud Fabianos suos et Scaptienses Augustus iniisset novis civibus ad suas tribus potissimum relatis. Quid quod e contrario fieri potest, ut propter favorem factum sit, quod hisce tribubus vix ulli provinciales adscripti inveniuntur.

Claudius cuius tribus fuerit licet diserte non tradatur, qui meminit eum oriundum esse ex eius nominis antiqua stirpe patricia, tribum autem Claudiam ab origine cum domo cognomine coniunctam, Claudiae non minus tribus quam gentis eum fuisse non dubitabit. Iam vero ea tribus ut non invenitur in oppidis, quae Claudius in Mauretania coloniae iure vel civitate Latiove donavit teste Plinio 5, 2, 20, quae sunt quattuor Caesarea, Oppidum Novum, Rusuccurium, Tipasa omnia relata in tribum Quirinam (v. Grotefend l. c. p. 161 seq.), nec magis eadem comparet in colonia Claudia Aequo Dalmatiae adscripta tribui Tromentinae (vol. III p. 360)[1]), ita adest in reliquis coloniis municipiisque ab eodem constitutis, quae sunt Ara Agrippinensis in Germania (v. Grotefendius l. c. p. 123), Savaria in Pannonia superiore (vol. III p. 525), Teurnia (vol. III p. 593), Virunum (ib. p. 597), Celeia (ib. p. 631), Iuvavum (ib. p. 668) in Norico omnia, Apros in Thracia (v. Grotefend l. c. p. 140)[2]). Nam quamquam in horum oppidorum civibus plerumque dubium est, Claudia vocabulum cognomini praescriptum utrum iungendum sit cum domo quae post cognomen sequitur an tribum significet, haec explicatio in quibusdam sola admitti potest videturque in longe plerisque praeferenda, cum praesertim nullum indicium tribus diversae in ullo eorum oppidorum adhuc apparuerit. Itaque consuetudo, quam supra vidimus sub posteris Nervae obtinuisse, non obtinuisse aetate Augusti, ne tum quidem obtinuit, cum Claudius regnare coepit. Nam Mauretaniae ordinatio coniuncta sine dubio cum caede Ptole-

---

1) Eodem referendum erit, quod vir Hispanus *viritim a divo Claudio civitate donatus* adscriptus est tribui Quirinae, nisi lectio fallit tituli vol. II n. 159.

2) Contra Emona etsi et ipsa in Claudia tribu fuit (vol. III p. 488), cum propter Iuliae nomen civitatem antea consecuta esse videatur, etiam Claudiam tribum simul credenda est consecuta esse. Albona (vol. III p. 390) et Nedinum (vol. III p. 371) Dalmatiae Claudiae tribus et ipsa quo tempore ad civitatem pervenerint, ignoratur.

maei regis a Gaio imperatore perpetrata et ab hoc quodammodo incohata recte ad Claudiani imperii initium referetur; Aequum autem quando colonia deducta sit, ignoratur. Sed mox imperante Claudio recepta est gliscente in dies adulatione; neque amplius tum obstabant quae obstitisse vidimus imperante Augusto, comitiis interim a populo ad senatum traductis.

Flavia domus ducta a municipe Reatino (Sueton. Vesp. 1) in tribu Reatinorum fuerit necesse est, quae fuit Quirina. Eius igitur tribus usurpationem per provincias latissime patentem ad Vespasianum potissimum revocandam esse probabile est, eamque coniecturam monumenta aliquatenus certe confirmant.

Apud Hispanos cum tribus Quirina passim inveniatur, coloniae eae et municipia ea, quae ante Vespasianum ad civitatem pervenerunt, non ea utuntur, sed adscripta sunt pleraque Galeriae, ut Barcino, Carthago nova, Castulo, Clunia, Corduba, Gades, Hispalis, Nertobriga, Olisipo, Saguntum, Tarraco, Urso (cf. huius eph. vol. II p. 236 n. 308), alia Papiriae, ut supra rettulimus, alia denique Sergiae. Contra Quirina obtinet in oppidis iis, quae per Vespasianum constat ad Latinitatem pervenisse, ut sunt Malaca (vol. II n. 1970. 1973. 1975) et Salpensa (II, 1286), quarum extant leges Flaviae, item Iluro, cuius civis habemus titulum *civitatem Romanam per honorem duoviratus consecuti* adscriptique ita tribui Quirinae (II, 1945). Eiusdem tribus esse inveniuntur municipia Flavia Ebusus (II, 3659. 3661. 3662), Mago (II, 3033. 3709. 3710. 3711), Nescana (II, 2011), Singilia (II p. 272); item Flaviaugusta (II, 4196) et Aquae Flaviae (II, 4204); denique per universam Hispaniam oppida fere ignobiliora et ea, ad quae probabile sit pertinuisse constitutionem Vespasiani de iure Latii tribuendo Hispanis omnibus adhuc peregrinis. Haec qui intellexerit, item intelleget Vespasianum Hispanis ius Latii eo modo dedisse, ut quicumque secundum id per honorem ad civitatem Romanam pervenirent, tribui Quirinae adscriberentur. Quam ob rem ubicumque ea tribus invenitur, inde de condicione oppidi recte coniectura capi potest.

In Sardinia (Grotefendius l. c. p. 92. 93) et in insulis Melita et Gaulo (l. c. p. 92) tribus Quirina item primaria est; quae hic quoque videndum est num proficiscatur a Vespasiano, pariter atque eam ad eum redire vidimus in Baliaribus.

Ad Galliam quod attinet, unica quod sciam civitas Flavia ibi dicta, nempe colonia Pia Flavia Constans Emerita Helvetiorum Aventicum, item Quirinae adscripta est (Grotefend l. c. p. 124). Tenuia quae praeterea in Gallia inveniuntur eiusdem tribus indicia[1]) num ad eundem imperatorem pertineant, examinent ii qui eos titulos aliquando recensebunt.

Idem obtinet in provinciis Danuvianis: certe in Quirina fuerunt coloniae Flaviae ibi constitutae Sirmium in Pannonia inferiore (vol. III p. 418), Siscia in Pannonia superiore (huius eph. vol. II p. 414 n. 838), Solva in

---

[1]) Augusta Raurica quamquam eiusdem tribus est, vix eam a Vespasiano abstulit, cum multo ante colonia eo deducta sit.

Norico (vol. III p. 649). Itaque municipia earum partium duo Andautoniam (vol. III p. 508) et Latobicorum (vol. III p. 496) Quirinae adscripta et ipsa probabile est eodem tempore constituta esse, ut e contrario municipium Flavium Neviodunum Pannoniae superioris (vol. III p. 498), cuius tribus nondum innotuit, Quirinae adscribere iam licebit.

In provinciis Africanis quantum novi, adhuc duae tantum civitates innotuerunt a Flaviis imperatoribus constitutae, nempe colonia Flavia Ammaedara (Renier 3194 = vol. VIII n. 302 et titulus adhuc ineditus a Wilmannsio repertus et aliquando edendus ib. n. 308, ubi plene legitur *colonia Flavia Augusta Aemerita Ammaedara*) et Icosium teste Plinio 5, 2, 20 a Vespasiano Latii iure donatum. Utramque rem publicam Quirinae adscriptam fuisse testantur tituli a Grotefendio l. c. p. 156. 162 allati.

Denique et Massiliae (Grotefend l. c. p. 119) et in universa parte imperii Graeca tribus Quirina ita dominatur, ut qui ex iis partibus ad civitatem Romanam singulari iure perveniunt, ei potissimum adscribantur. Contra coloniae civium Romanorum et siqua alia oppida universa ad civitatem admissa inveniuntur, in aliis fere tribubus censebantur. Quam ob rem lex fortasse his provinciis data est similis ei, quam in Hispania obtinuisse vidimus, ut quicumque ibi personali privilegio civitatem Romanam adeptus esset, in Quirinam referretur; quod si ita est, eius legis auctorem non sine causa coniciemus fuisse Vespasianum vel alterum utrum filiorum eius. Neque tamen haec contendo ita fuisse, sed num ita fortasse fuerint, quaero ab iis, quibus aetas et otium eiusmodi studiorum opportunitatem subministrant.

Dixi de imperatoribus Iuliis Claudiis Flaviis; superest ut dispiciamus, num imperatores domus eius, cuius Nerva princeps est, omnes substiterint in eiusdem tribu Papiria. Ipse Nerva sane aliam nullam habuit, crediderimque propterea unicam coloniam ab eo nominatam, nempe Nervianam Augustam Martialem veteranorum Sitifensium in Mauretania, in tribu Papiria potius fuisse quam in Arniensi, cum utriusque tribus tituli aequo fere numero ex parietinis Sitifensibus prodierint (v. Grotefend l. c. p. 163). — At posteri eius quamquam iure omnes in Papiria erant, cum omnes adoptionis iure filii locum adepti essent, pariter atque Augustus et Fabiae fuit et Scaptiae, praeter legitimam illam item, si verbo venia est, naturalem habebant, et ut a nomine Cocceii abstinuerunt, sed Traianus Ulpium se esse voluit, Hadrianus Aelium et sic deinceps, ita fieri potest, ut in hac honorificentia tribum quoque naturalem pro legitima usurparint. Et re vera cum Traianum reppererimus sola Papiria usum esse, Hadrianus ea omissa aliam secutus est naturalem et sibi et ipsi Traiano utpote oriundis ex Italica Baeticae adscripta tribui Sergiae (Grotefend l. c. p. 110). Neque enim casu evenit, quod in ea censebantur tam colonia Aelia Mursa (vol. III p. 423) quam municipium Aelium Carnuntum (vol. III p. 550); quibus fortasse addi poterit Nicopolis ad Istrum, quam eidem tribui adscriptam fuisse iam constat (vol. III n. 6144 cf. vol. VII n. 51) neque improbabile est ordinatam esse ab Hadriano.

Ulterius progredi parum tutum est. Sane quaeri potest, num tribus naturalis Pii, quae Voltinia fuit utpote Nemausensis, item Marci, cuius domum ad Galeriam Hispanorum pertinuisse supra p. 159 conieci, praeter legitimam Papiriam in rerum publicarum civitate donatarum ordinatione adhibitae sint. Similis quaestio proponitur non tam de imperatore Pertinace, qui natus Albae Pompeiae in Camilia censebatur, quam de Severo eiusque posteris. Is natus Lepti magna origine ad Papiriam pertinuisse videtur; nam tribum Leptitanorum, etsi diserte ea non traditur, cum colonia fuerit Ulpia Traiana (Ali Bey *travels* 1 tab. 15 = vol. VIII n. 10), secundum supra dicta probabile est fuisse Papiriam. Id si ita est, tribus Severi naturalis eadem erat atque Antoninorum, quorum stirpi originem suam nescio quomodo inseruit. Potuit omnino propter adoptionem alteram non minus ficticiam ad Camiliam Pertinacis se transferre; sed magis crediderim Papiriam eum secutum esse. Commendant eam opinionem municipia duo Africana alterum *Aurelium Alexandrianum Augustum Magnum Giufitanum* (vol. VIII, 866 = Maffei M. V. 462, 4; Orelli 2548), alterum *Aurelium Vina* (vol. VIII, 958. 960 = Guérin *voy.* 2, 264. 265) utrumque adscriptum tribui Papiriae; ea enim nomen Aurelium magis est ut a Caracalla traxerint quam ab imperatore aliquo saeculi secundi. Sed per haec tempora, quibus universus imperii Romani status dilabitur et corrumpitur, res tribuaria quoque tota pessum datur et quodammodo evanescit. Quam ob rem satis habebimus florentis imperii a Claudio ad Hadrianum legem tribuariam repperisse et declaravisse; ea enim prudenter adhibita non dubito quin quaestio summae gravitatis, per quos gradus civitas Romana ad provincias Latine loquentes propagata sit, praeter spem nova luce illustretur.

XXI. CYRIACI THRACICA.

Ad libros scriptos oppido paucos, quibus Graeca epigrammata a Cyriaco excepta continentur, nuper accessit beneficio cum amicorum meorum Caroli Zangemeister et Henrici Oldenberg tum domini libri viri magnifici, adhuc ignotus Ashburnhamianus Librianorum n. 1174, is ipse quem Vincentius Borghinius in codice Florentino Magliabecchiano P, 10, 109 citat sub nomine libelli qui Francisci Pandulfini fuit; nam praescriptum ei est 'Francisci Pandulphini et amicorum' redeuntque excerpta inde a Borghinio in Ashburnhamiano omnia. Leguntur Graeca illa f. 188—192. Praecedunt locus Ptolemaei 3, 13, 47 de Lemno insula et epigramma in Brandae honorem Graece a Cyriaco scriptum editum ab Oliverio p. 63. Sequuntur tituli descripti Selymbriae et Perinthi ii fere, quos item habet liber Cyriacanus Manutianus 5250 (dixi de eo vol. III p. 131) indeque nuper edidit Albertus Dumont (*inscriptions et monuments figurés de la Thrace.* Parisiis 1876). Vaticanus liber cum longe plenior et in universum emendatior sit quam Ashburnhamianus, non multum ex hoc proficimus; ego suppressis erroribus inutilibus satis habui breviter indicare qui tituli in hoc libro legantur et utilia si qua repperi afferre.

1. Ἐν Σηλυμβρίᾳ (?) παρὰ τὴν πύλην ἐν ἀρχαίῳ λίθῳ εὕρηται τοιοῦτο ἐπίγραμμα ὑπὲρ Κυριακοῦ τοῦ ἐξ Ἀγκῶνος ἀνδρὸς φιλολόγου τε καὶ τῶν παλαιῶν Ἑλληνικῶν τε καὶ Ῥωμαικῶν εὐσυνητικωτάτου (sic) καθ' ἡμᾶς γενομένου. Dumont 62*b*, sed ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΣ pro ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣ.

2. Ἐν Πειρίνθῳ τῇ νῦν Ἡρακλείᾳ καλουμένῃ ἀπὸ Ἡρακλείου Κωνσταντινουπόλεως ἄρξαντος. Dumont 72*e*; sed non ponuntur nisi tribuum nomina quaedam.

3. C. I. Gr. 2020.

4. Dumont 72*c*. — 2 ΝΕΙΚΗϹ — 3 ΚΑΙ ΑΙΩΝΙΟΥ — 9 ΚΑΙ ΔΗΜΟΥ [ΡΩΜΑΙΩΝ ΚΑΙ ΒΟΥΛΗϹ ΚΑΙ ΔΗΜΟΥ] ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ; ubi quae intra uncos posui ex Vaticano libro exciderunt. — 12 ΤΕΙΜΗϹ — 16 ΑΡΧΙΜΥϹΤΟΥΝΤΟϹ.

5. Χρησμος Σιβυλλης. Επαν το βακχος ευασας πληστα (vel παηστα) πουε αιμα και πυρ και κονις μιγησεται[1]). — Wilamowitzius, quem de hoc Sibyllae vaticinio interrogavi, rescripsit non ex auctore aliquo id petitum esse, sed ex lapide descriptum; videri sibi epigramma incepisse a vocabulo εὐτυχεῖτε (quod Dumontius habuit pro clausula tituli praecedentis), deinde sequi haec:

Χρησμὸς Σιβύλλης:
ὅταν δ' ὁ Βάκχος ἐυάσας πλανήσεται[2]),
τότε αἷμα καὶ πῦρ καὶ κόνις μιγήσεται

cum subscriptione hac, quam Dumontius traxit ad sequentem n. 72*d*: Σπέλλιος Εὔηθις ἀρχιβουκολος Ἡρακλείδου Ἀλεξάνδρου ἀρχιμυστοῦντος. Observandum est εὐτυχεῖτε in codice scriptum esse minio, quod fieri solet in titulorum principiis, post ἀρχιμυστοῦντος autem notam esse, quae tituli finem indicare solet.

6. Dumont 72*d*.

7. ΑΥΡ ΑϹΚΛΗΠΙΟΔΟΤΗ | ΚΑΤΕϹΚΕΥΑϹΑ ΤΟ ΛΑ|ΤΟΜΙ[ο]ΝϹΥΝ ΤΩ ΒѠ|ΜѠ ΕΜΑΥΤΗ ΚΑΙ ΤѠ | Γ[λ]ΥΚΥΤΑΤѠ ΜΟΥ ΑΝ|ΔΡΙ ΑΥΡ · | ΕΠΙΤΥ[νχ]ΑΝѠ Ѡ ΚΑΙ | ϹΥΝΕΖΗϹΑ ΕΤΗ · Λ | ΟϹ ΑΝ ΔΕ ΕΤΕΡ[ο]Ν | [δ]ѠϹΕΙ ΤѠ Τ · Ж Φ ΚΑΙ | ΤΗ ΠΟΛΕΙ Ж Φ · | ΧΑΙΡΕ ΠΑΡΟΔΕΙΤΑ. Traduntur ΛΑΤΟΜΙΝ (quod emendavi ad simillimam C. I. Gr. 2032) — ΓΑΥΚΥΤΑΤѠ — ΕΠΙΤΥΙΙΑΝѠ — Ι del. ante ΕΤΗ — ΕΤΕΡѠΝ | ΑѠϹΕΙ. Haec opinor inedita est.

8. Dumont 72*a*. ΔΙΙ ΖΙΒΕΛϹΟΥΡΔѠΙ, non ΖΒΕΛϹΟΥΡΔѠ, idque verum nomen puto numinis Thracici.

9. C. I. Gr. 2024 imperfecte; deficit in medio vocabulo.

---

1) Codex Vaticanus, unde hunc locum mihi excripsit Dessau, δο (pro το) et μιγησεται, praeterea convenit.

2) πλανήσεται proposuit Bormannus.

Th. Mommsen.

Prodiit d. 31. Mai 1877.

Formis Academicis (G. Vogt).

SYLLOGE INSCRIPTIONVM FORI ROMANI.

(v. Tabula I[1])

Syllogen inscriptionum Urbanarum, cuius volumen primum nunc prodiit, non potuisse non eis legibus parere, quae totius Corporis copiis digerendis sapienter dictae sunt, hoc est ut in partes sacrarum publicarum privatarum discriberentur, omnium consensu facile comprobetur. nihilo tamen minus ea est huius provinciae condicio a ceterarum illa haud exiguo discrimine diversa, ut aegre careamus locorum discriptione ubi aut primitus illae extiterint aut repertae sint. cui desiderio licet aliqua ex parte satis fieri posse addito indice topographico non negaverim — id quod audio in animo esse eis quibus profligandi operis cura demandata est — tamen tali consilio neque umquam me iudice satis commode topographiae studiis consultum erit neque vero horum studiorum quae quidem nunc est acceleratio spem nos patitur incohare longam, dum cetera sylloges volumina quamvis intenta opera per annos non paucos prela exercebunt. quare spero fore ut si, quam mihi ipsi tanquam necessarium topographiae fori romani fundamentum struxi SYLLOGEN INSCRIPTIONVM FORI ROMANI, nunc publici iuris fecero, ea etiam aliorum studiis interim — nam particulam aliquam operis postmodo ampliandi tractavi — profutura sit. sed de consilio meo quibusque ego adiumentis instructus fuerim paucis accipe.

Ultimis mensis Maii primisque Iunii huius a. 1876 diebus Romae in ipso foro qui tum extabant titulos omnes descripsi. idem fecerat ante me dd. 19—26 mensis Novembris a. 1875 Iohannes Droysen meus cuius apographa postquam cum meis contuli, cum multos lapides interim aliorsum ablatos esse cognovissem, plerosque autem in novum Museum lapidarium Collegii Romani (vel Musei Kircheriani) migrasse audirem, Guil. Henzenum precibus adii, ut non solum qui etiam tum in foro extarent lapides mecum relegeret verum etiam quae ibi non comparerent in horreis Musei illius,

---

1) Formam fori romani scito me ipsum delineasse ad illustrandam hanc Syllogen, non quo imaginem reliquiarum fori perfectam et ad artis normam exactam ederem.

quae ipse urgente reditus tempore pervestigare non possem, anquireret. cui desiderio meo vir optimus noluit deesse. interim ut de locis quibus inde ab anno 1870 tituli inventi essent quam plenissime constaret Acta manu scripta excussi a Iosepho Fiorellio liberalissime mihi ad excutiendum concessa. sunt bipertita, continua et extraordinaria, hoc indice: *Rapporti settimanali* (item *straordinarii*) *della real sopraintendenza per gli scavi di antichità e custodia dei monumenti della provincia di Roma.* incipiunt Acta a m. Ian. a. 1872: non extant anni 1874 continua (*settimanali*) praeter mensium Ian. Febr. Mart. (ultima sunt 28 Mart.). ultima quibus uti licuit pertinebant ad 7 Nov. 1875. — deinde domum reversus e sexto Corporis inscriptionum volumine excerpsi quaecumque aut certis aut probabilibus testimoniis ad forum referebantur. quo facto sponderi potest eorum qui inde ab anno 1870 in foro reperti sunt titulorum vix unum alterumve me fugisse; de eis qui antea ibi eruderati sunt praeter sepulcrales nec multos nec gravioris ponderis. quamquam sciendum est neque annis 1817 ss. 1831 ss. 1849 a Fea Sartio Canina aliis satis accurate de minimo quoque frustulo litterato relatum esse (quid quod ne de publicorum quidem monumentorum quorundam fragmentis ingentibus quicquam certi adnotatum reperitur) et latere in Schedis Corporis inscriptionum, quae ad reliqua Urbanarum volumina condenda nunc cummaxime in ordinem rediguntur, quae illis ipsis quos dixi annis in foro reperta sint. sed quae nunc composuimus ea supplendi vel corrigendi materia si subinde succreuerit nemo gravabitur, dummodo haec nostra conferant ad illustrandam fori romani historiam. — tegularum inscriptiones, ut nunc res est, seponere visum est: nec sunt multae quantum sciam. de potioribus infra suo loco dictum. — denique moneo non nullarum inscriptionum verba integra, velut fastorum publicorum et sacrorum, inscriptionis Duellianae, titulorum virginum Vestalium, me non exscripsisse ob causas consentaneas, in ceterarum textu constituendo praeter paucas ut par erat secutum esse Corporis editores.

Sed quae ex his copiis ad topographiam fori romani accuratius enucleandam effici posse videantur exponam bipertito commentario: primum enim agendum est de effossionum — liceat enim uti vocabulo si non optimae aetatis at commodo — temporibus locisque, deinde de ipsis fori monumentis eorumque fatis quatenus his effossionibus illustrantur.

COMMENTARIVS.

I. Annales effossionum fori.

Pauca praefanda sunt de fori romani habitu inde a saeculo duodecimo usque ad decimum quintum sensim mutato, qua de re pluribus dictum olim Topogr. 2, 480 ss. igitur post dirutas aa. 1221. 1257 Frangipanium aliorumque munitiones (v. Gregorovius 4, 376. 5, 316), quibus spatium inter S. Mariam Liberatricem et templum Faustinae occupatum fuisse videor mihi

demonstrasse l. c., hortos per totam fori aream pertinuisse invenimus. cuius rei testis est synopsis praediorum Lateranensium a Nicolao Frangipani sedente Bonifacio VIII (1294—1303) conscripta editaque a Crescimbenio in libro inscripto, 'Istoria della chiesa di S. Giovanni avanti porta Latina' p. 203 ss., quo libro Romae usus sum a. 1872 (nunc iterum uti non licet) commonefactus a C. Corvisierio. transcripsi quae huc pertineant verba haec (p. 207): *in primis habet duas domus in foce magina iunctae simul quae vocantur camere cum duobus casarenis in quibus fuerunt domus et modo sunt orti et sunt murati arcum circa iuxta ecclesiam SS. Cosme et Damiani ... item duo alia casarena diruta in quibus modo sunt orti cum introitu et exitu ad ipsa per arcum de foce magina iuncta simul cum ipso arcu quae nunc penet Iacobus de Pasqua quorum hii sunt fines: ab uno latere ecclesie SS. Cosme et Damiani, ab omnibus aliis lateribus sunt orti* ... (p. 209): *item unum casarenum in quo sunt quatuor colupne in regione S. Adriani* e. q. s. et hae quidem columnae possunt esse eaedem quarum in regestis Innocentii tertii 2, 102 (v. Top. 2, 669) mentio fit: *hortum s. Sergii sive post s. Sergium et hortum inter columnas usque ad abscidam et usque ad custodiam mamortinam*; locus sive potius *arcus* qui dicitur *foce magina* an a nomine Focae columnae eius inscripto pendeat id quod visum Corvisierio hoc loco non diiudicabo (v. Herm. 7, 271): hoc apparet saeculo decimo tertio aream fori ruderibus omnigenis terraque advecticia contectam fuisse. ad hortos illos iterum digitum intendemus ad aa. 1553 sq. — praeterea constat ea tempestate templi Concordiae pronaum cum inscriptione stetisse, item arcum Fabianum eiusve partem stetisse saeculo duodecimo veri simillimum est, perisse autem templi Castorum pronaum (v. infra). — certiora edocemur post translatam Avinione sedem apostolicam. constat enim inde a tempore Eugenii IV pontifices maximos forum romanum eiusque viciniam aliaque urbis loca ruderibus antiquis conspicua aut eruderanda locasse hominibus privatis, in primis opificibus marmorariis, aut ipsos ad extrahendos lapides, quibus in aedificationibus ecclesiarum atque palatiorum uterentur, pertemptasse.

A. 1431. ad Eugenii pontificatum pertinent verba decreti a Ferd. Gregorovio (hist. Urbis 7, 559) e libro a me non viso Amatii (di alcuni mss. dell' archivio segreto Vat. p. 212) exscripta, marmora detrahere iubentis *de muris antiquis existentibus in loco ubi fuit Secca antiqua*, hoc est *zeccha vecchia*, quo vocabulo tum S. Hadriani templum dictum esse notum est (cf. De Rossi le prime raccolte p. 44). quos muros vix crediderim totos supra terram eminuisse; immo eminentibus eorum particulis lucri cupidinem ad perscrutandam materiam, qua iam tunc aream fori contectam fuisse dixi, excitatam esse et res ipsa docet et persuadent excerpta ex archiis pontificiis nuper evulgata ab A. de Zahn Bull. dell' inst. 1867, 189 ss. et Müntzio Revue arch. 1876 m. Sept. p. 158 s.

A. 1451. (Müntz p. 171): *a Santa Triana* (h. e. S. Hadr.) *dove si sono chavati i peperigni e marmi.*

A. 1461. 1462. (ib. p. 172) (*cavar*) *trevertini a la zeccha vecchia, treverini a Santi Cosme e Damiano e a la zeccha vecchia.*

A. 1499. (ib. p. 174) locatur '*marmorariis*' *cava de Sancto Cosmo e Damiano ad tre colonne.*

Similiter eisdem annis locantur extra forum rudera ad S. Mariam novam (1450. 1499: Müntz p. 170. 174), Aventini regio nescio quae (1454: ib. p. 171) concediturque effodere *marmora et lapides tiburtinos* ad S. Nicolai in Carcere (1506: Zahn p. 191).

Praeterea sciendum Bartholomaeum Suardium qui vulgo dicitur 'il Bramantino', qui Romae degisse videtur aa. 1499 et inter 1503 et 1513, dedisse orthographiam aedificii antiqui quod fuerit *a Marforio dirinpetto all' archo*, hoc est, nisi fallor prope arcum Severi (v. Le rovine di Roma ... studi del Bramantino t. XXXV): idem aedificium Labacconem a. 1557 delineatum edidisse ascriptis his *dov' è al presente la chiesa di sant' Adriano quivi da man sinistra verso'l tempio tempio d'Antonino et Faustina v'era un edifitio in forma quadra* cett. (Archit. fol. 17) olim monstravi (Jahresbericht 1875 p. 762). Suardium constat suorum partem debere aliorum artificum pugillaribus, item apparet Labacconem aedificium non vidisse. ita explicatur testimoniorum de loco dissensus. sed crediderim inde efficiendum esse non procul S. Hadriani templum illa rudera extitisse extremo s. XV eaque (ut significavi l. c.) a Suardio eiusve auctore artificiose restituta esse: itaque forsitan eisdem illis perscrutationibus regionis eiusdem cognita sint estque sperandum ut aliquando in lucem redeant.

Constat igitur testimoniis plurimis ante ecclesiam S. Hadriani, nimirum versus arcum Severi, et ante ecclesiam SS. Cosmae et Damiani multis ante Smetios Panvinios Ligorios annis fossores in antiqua monumenta saevisse, aliquot autem inscriptiones ex illa strage per urbem dispersas curiosorum hominum in manus venire potuisse. quid igitur mirum si pro ingenti quae etiamtum ibi saeculo decimo quinto medio extiterint lapidum copia nunc misera tantum pauculaque frustula remanserunt? sed iam videndum an istis eruderationibus tituli aliquot debeantur ea tempestate inventi.

Ante aa. 1484. 1495. 1497. in sylloga Iucundi priore, cuius partem eam quae continet urbanas inscriptiones a. 1484 scriptam esse probavit Mommsenus CIL 3, 1 p. XXVII, duo fastorum consularium fragmenta leguntur: 1, (Henz. VIIII) 'apud aedem S. Mariae in Publicolis in pariete domus d. Prosperi de S. Cruce'. 2, (Henz. XXXIX) 'in pariete domus d. Antonii de Rusticis'. eorum prius eodem loco extare testatur Mazocchius; Panvinius cum dicit 'aliquando pro limine ostii aedis' illius fuisse, dein 'fani muro affixum' esse, testem se praestat in hac quoque re parum fidum. similiter erravit de anno fastorum inventorum (v. a. 1546). quattuor alia fragmenta item videntur ante a. 1546 solo extracta esse si quidem unum 3, (IV) a Panvinio 'in gradibus arae maximae sive tribunae basilicae S. Pauli', aliud 4, (XVII) a Mazocchio 'in pariete domus d. Francissi de Fabii', denique tertium et quartum 5. 6, (XXXVII tri. XI) a Smetio 'in domo Delphinii Gentilis' visa sunt. quae fragmenta omnia posse multis ante Iucundum temporibus casu de foro sublata esse cum probe intellexerit Lancianius Bull. d. i. 1871, 261, nescio cur idem coniecerit fr. I Pom-

ponii Laeti tempore cum aliis lapidibus ad Castoris extractum esse. nam quod fr. I non potuisse diu pro gradu ecclesiae fuisse, quippe quod non nimis detritum sit, ea ratiocinatio nititur Panviniani testimonii fide quam suspectam esse monui. quae autem inscriptiones Laeti tempore non ad latus templi sed post templum eruderatae sunt, eas esse non posse fastorum partes iam demonstrabo.

Primum igitur constat eo testimonio quod ad huius Syll. n. 93 adscripsi Pomponium eodem quo Iucundus tempore, h. e. a. 1499, vidisse titulos virginum Vestalium, *epigrammata reperta in pronao templi Vestae sub Palatio contra forum romanum*, quibus verbis quoniam templum Vestae sola coniectura eo loco fuisse dicitur ubi reperta sunt epigrammata, parum de loco profici consentaneum est: at omnis dubitatio tollitur Iucundi testimonio *ante SS. Cosmae et Damiani sola mediante via in quodam harundineto* eadem eruderata esse dicentis, hoc est ante, non post templum Castoris. contra eodem anno 1499 etiam post templum fossorum industria marmora litterata e terra extracta sunt. qua de re Pomponius in compendio romanae historiae hoc anno primum edito (v. ad n. 93) in vita Decii haec habet: *in aede Castoris et Pollucis in parte fori romani versus Palatium cuius vestigia effodi vidimus.* scilicet ab eodem Pomponio Albertinius de eadem re accuratius edoctus a. 1510 sic testatur (sylloges Mazocch. a. 1523 f. XXXIV^{v}): *templum Castoris et Pollucis in via sacra Fo. Ro. sub palatio ubi nunc est tabernaculum Virg.* (*vir* ed a. 1510) *ad ponticulum in quo loco effossa fuere vestigia cum duabus tabulis marmoreis dedicatione ipsius teste pomp. letae* (sic) *qui eas vidisse affirmat.* haec si pendent a verbis compendii Pomponiani, apparet non Laetum sed Albertinium tabulas illas vidisse, hunc autem sua Pomponianis admiscuisse; si ab epistula aliqua Laeti pendent, vidit Laetus quam Albertinius dicit dedicationem: utut est, ego de dedicatione ibi reperta dubito ob causas eas quas nunc exponam. sed primum omnium sciendum eodem loco inventum esse a. 1549 titulum notissimum CIL 6, 804 VORTVMNVS | TEMPORIBVS DIOCLETIANI ET | MAXIMINI, *in foro romano prope ponticulum ante aedificium illud quadratum quod Statoris putant* (ita Pigh.) sive *medio inter columnas templi Iulii* (i. e. Castoris) *aedem s. Theodori spondas Palatii maioris et hortos Consolationis spatio* (ita Smetius), *ubi et viae stratae silices et altius fodientes aquam vivam invenere* (ita cod. Waelscap.): unde factum ut in forma locum accurate indicare potuerim. itaque 'tabulae binae marmoreae' post templum Castoris inventae sunt. atqui epistylii aedis Tiberianae aut Domitianae partes inscriptas vix putaverim ab antica in posticam partem, immo sat longe ab ipso templo esse ablatas atque in ipsa via derelictas neque facile quisquam tabulas marmoreas vocaverit saxa ingentia de epistylio deiecta. sed unde suborta Laeto suspicio tabulas illas pertinere ad aedem Castoris, cuius situs tunc ita non cognitus fuit, ut Laetus tribus columnis, quae sunt ipsius, Domitiani statuam impositam fuisse inepte coniecerit libelli de vetustate urbis (si tamen est Laeti) a. 1515 iterum editi f. 2^{v}? memineris tituli a Sartio primum editi qui inter Henzenianos Suppl. ad Or. est n. 5755. hunc Mommsenus ita restituerat (Arch. Zeitung 1846 p. 227):

. . . . ANVS
post aedem CASTORIS · DECVRIO
. . . . INIANAE
*nice*PHOR · FABER · ARG
*ad vo*RTVMNVM

idem monuit optime talia quadrare Smetiano de titulo altero Vortumni testimonio. itaque similis monumenti inscriptio reperta post templum Castoris ante quadratum illud aedificium, quod nunc quoque quo nomine sit nuncupandum dubitatur, illa aetate facile pro 'dedicatione' templi venditari potuit, non potest fuisse consularium triumphaliumve fastorum fragmentum. — ante templum misera quaedam inscriptionis permagnae sive binarum inscriptionum frustula reperta sunt (64. 65): ea an sint dedicationis reliquiae dubito, cf. c. II.

Eadem tempestate (hoc est ante a. 1495) teste Sabino lapis n. 109 sub arcu Severi repertus est iacebantque teste Iucundo (Pighioque) tres bases n. 91 ibidem ubi bases virginum Vestae repertae sunt.

A. 1509 prope templum Vespasiani *multa marmora* cum eisque basis n. 110 effossa est.

A. 1539 praesente Accursio *ad latus arcus Septimii ante aedem Sergii et Bacchi* effossa basis Stilichonis n. 111: de loco ecclesiae dicendum c. II; non posse eam perisse a. 1536, quae fuit Feae opinio, hoc ipso documento constat. quare nunc confidentius quam olim (Top. 2, 451 ss.) eam Pii IV tempore (1559—1565) dirutam esse arbitror.

Ante a. 1543 quo Marlianus alteram Topographiae editionem paravit *sub templo Concordiae* (immo Saturni) inscriptiones epistylii scholae Xanthae (n. 3) effossae: quod factum esse post a. 1532, quo prima libri editio emissa est, dixeris. certe neque in hoc libro neque apud A. Fulvium aliosve qui ante a. 1553 scripsere, memoria eius effossionis extat. — eadem tempestate — nimirum teste Marliano *proximis annis* ante a. 1543 — prope *S. Laurentium in Miranda* teste Fabricio pars inscriptionum arcus Fabiani (92[a]) effossa est: v. a. 1546.

Aa. 1546. 1547 feraces fuere fructuum epigraphicorum. nimirum a. 1546 (inde a d. 15 Augusti secundum Ligorium) teste Metello *prope tres columnas* (v. n. 69) fragmenta fastorum consularium et triumphalium reperta sunt, hoc est iuxta latus meridionale templi Castorum, ubi reliqua fragmenta praeter paucissima annis 1817 s. 1870 ss. extracta sunt: v. adn. ad n. 69 et infra c. II. universa testimonia habes ab Henzeno tam diligenter composita vix ut quod addas inveneris. — idem observavit eruderationem illam ab ultimis a. 1546 mensibus videri continuatam esse usque ad a. 1547. — eodem anno 1547 reliqua pars inscriptionum arcus Fabiani prope templum Faustinae inventa est (cf. a. 1543). earum unam in Maximorum hortos transisse traditum est: nunc Lancianii industria compertum habemus Maximos in eruderatione templi Faustinae, cuius gradus e terra tum protractos esse ad ornandam basilicam Vaticanam tum maxime sub magisterio Michaelis

Angeli instaurari coeptam, nescio quo iure suam sibi partem habuisse: haec enim ille e Bodleiano Ligorii codice transcripsit Bull. d. i. 1871, 265 s. (cf. c. II). — eodem a. 1547 cum ad fundamenta arcus Severi sine dubio ob quaerenda marmora terra pervestigatur repertae sunt bases septem n. 113—119.

Ab a. 1547 usque ad saeculi decimi octavi finem substitisse fossorum operam non recte contendit Lancianius l. c. p. 266. extant enim testimonia iteratarum per annos circiter viginti proximos effossionum nec dubito quin plura eis quae infra ascripsi colligi possint.

A. 1549 bases duae virginum Vestalium (cf. a. 1497) praesente Pighio *in comitio ad viam sacram sub radice Palatii e regione SS. Cosmae et Damiani* extractae sunt (v. n. 93), eodem a. sex bases ad arcum Severi (122).

Ante a. 1553 *in hortis columnae Maeniae* (h. e. Focae) *adiacentibus* effossus est titulus Naevii Surdini cuius postica pars eo ipso tempore imago Curtii insculpta est. v. ad n. 32. esse hortos illos eosdem quos supra diximus saeculo XII et XIII dici SS. Sergii et Bacchi apparet. eorundem mentio facta in libello de vetustate urbis Laeti nomine inscripto editoque annis 1510 et 1515 (f. 3ʳ ed. a. 1515): ..*ad hortum aestivum est arcus Severi imperatoris.*

A. 1554 basis una de quattuor illis Gabinii Vettii Probiani *in hortis prope tres columnas* reperta est (n. 28), hoc est in basilica Iulia ubi olim posita fuit; eodem anno basis Augusti ad arcum Severi (n. 123).

A. 1563 titulus Planci (126) ad arcum Severi,

A. 1565 inscriptio columnae rostratae Duellianae (127) ibidem reperta est.

Apparet post Pomponii Laeti aetatem vix umquam esse aditum ad sepulta fori rudera ob aliam causam petitum nisi lucri causa inque easdem identidem lapidicinae illius vastissimae regiones esse descensum, in viciniam arcus Severi aedisque S. Hadriani, templi Faustinae aedisque SS. Cosmae et Damiani, trium columnarum templi Castorum. nec profecto mirum quod qui post a. 1585 antiqua monumenta radicitus evellere eorumque ornamenta ad nova urbis templa atque palatia condecoranda adhibere statuit, Sixtus V, solum illud totiens subversum tanquam parum ferax non amplius attigisse videtur. quid quod fama fertur ingesta eum insuper materia, ex novis aedificationibus in Montibus factis collecta, dirutis aliquot sacellis christianis antiquissimis, denique solo in eum modum exaequato quo videmus iacere Campum vaccinum usque ad haec tempora, futuris fossoribus impedimenta parasse efficaciora. fama ferri dico quod per libros multos parum certis documentis propagatur: quae documenta frustra quaesiveris in magnis baronis Hübneri voluminibus. hoc testor in epistularum Sixti ad Fontanam datarum, quibus sat multae continentur res ad illustrandam monumentorum veterum historiam aptae, ea parte quam Constantini Corvisierii beneficio Romae a. 1872 perlegere licuit, nihil omnino me repperisse quod pertineat ad fori historiam pertexendam.

Itaque sepultis felici fortuna eis aedificiorum lapidumque reliquiis quae pontificias devastationes 'barbarica' illa 'incursione' saeviores effugerant lux reddita est inde a saeculi proximi exitu.

Anni 1788 mensibus ultimis duobus et a. 1789 primis tribus Fredenheimii sumptu per totam basilicae Iuliae longitudinem fossa ducta repertus est titulus n. 37 (ubi v.) detectaque pavimenti graduumquc basilicae bona pars. Oberlinius, qui ea de re iussu illius rettulit a. 1796 (Exposé d'une decouverte de M. le chev. Frédenheim .. faite au forum Romanum en Ianvier 1779, Strassb. 1796), porticuum, quibus forum clausum esset, reliquias ibi inventas esse dixit ceterum falsam Nardinii de foro inter Capitolinum Palatiumque sito opinionem amplexus. rettulit item testis oculatus C. Fea Var. di notizie p, 75 sq. sed ibi cum dicit eruderationem pertinuisse a. 3. Nov. 1780 (non 1788) ad 4. Mart. 1789 (idemque repetitur in Indicatione fori ad n. 45) rem narrat mihi certe aliunde non notam.

A. 1801 C. Fea curator antiquitatum factus strenue ad eruderanda fori quoque vestigia se convertit: *dopo la publicatione*, inquit, *di questa raccolta Ostiense* (a. 1802) *intrapresi gli scavi grandi di Roma, agli archi trionfali di Settimio Severo e di Constantino . . . più nel Foro Romano preparato da più anni con tasti parziali per tracciarne i confini, e tutte le magnifiche fabbriche intorno segnato il tutto in tavola grande in rame colle indicazioni à stampa separata delle località, la Santità di Leone XII approvó lo scavo nel 1827* (Misc. 2 p. VII). edita est Feae 'Indicazione del foro romano e principali fabbriche adiacenti colla spiegazione in libretto separato' separatim a. 1827 (quam editonem non vidi) repetitaque in actis mensilibus Instituti nostri a. 1836. — non substitit umquam vir eximius adiutus exterorum sumptibus (qua de re rettulit l. c.) usque ad annum mortis 1836. testis est in primis praeter Relationes infra commemoratas forma egregia quam e manibus tam Romanorum quam exterorum nescio quo fato elapsam esse iam alibi conquestus sum (Herm. 7, 262) sic inscripta 'Il foro romano, la via sacra, il clivo capitolino dal 1809 al 1837 di Giovanni Angelini arch. ed Antonio Fea arch. archeologo' (Romae a. 1837, tabb. tres: extat in bibliotheca Instituti ubi charta lucida expressi). praeterea conferatur Augusti Caristie forma inscripta 'Plan et coupe d'une partie du forum romain' edita a. 1821. sed per annos singulos Feae operam persequamur.

A. 1803 arcus Severi vicinia totiens pervestigata denuo atque in perpetuum liberata est: repertus ibi titulus n. 128 ubi v. adnotata. sed quod consilium fuerat summi pontificis aream fori totam primum noviciis aedificationibus dein terra liberandi, propter rei publicae mutationem usque ad annum 1811 intermissum fertur (Nibby R. a. 2, 179: at v. a. 1811).

A. 1811 (1809?) dum cloaca a templo Faustinae ad templum Castoris, dein ad columnam Focae perducitur, inventum est fragmentum fastorum sacerdotalium n. 75 (ubi vide). — eodem anno gradus templi Faustinae ruderatos esse Nibbyus auctor est R. ant. 2, 634: at Caristie (Plan, ad n. VIII) hoc anno 1809 evenisse testatur.

A. 1813 d. 23 Mart. eruderata basis columnae Focae (n. 134). inscriptionum quae nunc quoque ibi extant quasque sub divo extitisse per annos multos color ipse lapidum indicat, utrum tunc an postea aa. 1834 ss. inventi sint (v. e. c. 23. 24. 62. 142—144) mihi non magis constat quam editoribus CIL.

Aa. 1814—1817 Fea quid praestiterit in foro eruderando (nam de aliis locis hic tacemus) adiutus exterorum sumptibus exposuit in libris inscriptis 'Prodromo di nuove osservazioni (1816)', 'Nuovi frammenti de' Fasti consolari (1820)', 'Varietà di notizie (1820)', sed more suo, ut a publicandis actis effossionum exorsus mox ad gravioris momenti res enucleatius tractandas evagaretur. breviter rem tetigit Nibby l. ad a. 1803 citato. audio spem esse fore ut acta ipsa sive schedae eius integrae aliquando in lucem evolgentur. interim eis utendum quae per illos quos dixi libros sparsa sunt.

A. 1816 (inde a. m. Martio) sq. templi Castoris gradus et latus meridionale eruderata sunt (v. ad n. 70). eodem tempore circa columnam Focae aliquot inscriptiones detectae (v. ad 135 ss.) item gradus basilicae Iuliae et bases ingentes latericiae duae, detecta rudera aedis Concordiae (ad n. 11 ss.) clivique Capitolini (Var. 65).

A. 1818 denuo versus basilicam Iuliam terra commota inventum ingentis inscriptionis publicae frustulum n. 25.

A. 1824 legatus Francogallorum Concordiae templi effossionem absolvisse fertur (v. n. 17).

A. 1827—1834. Leonis XII iussu a. 1827 denuo quod inter Capitolium et Colliseum inter est effodi coeptum; initium factum a Colliseo, dein *fu cominciato lo sgombramento intiero della falda Capitolina, fu ampliato lo scavo intorno alla colonna di Foca e fu ingrandito quello della Grecostasi*' (i. e. templi Castorum). '*questi lavori durarono dall' anno 1829 fin' all' anno 1834: posteriormente sonosi rallentati*' (Nibby R. a. 2, 180 cf. 75); '*negli scavi fatti dall' a 1827 all' a. 1834, ai quali ho assistito, molte monete sono state scoperte . . presso la colonna di Foca ed alle falde del Campidoglio, vale a dire nel tratto compreso nelle demolizioni di Paolo III e fra quelle monete di tutte epoche varie ne furono trovate col nome e coll' arma di Paolo III ad una profondità ragguardevole dal piano attuale e sopra tutti i punti dello scavo* (ib. p. 177). inscriptionem ea tempestate repertam novi unam n. 129: at eis ipsis annis quibus rem neglegentius lentiusque actam audimus.

Aa. 1834. 1835 reperti sunt sub Capitolio titulus n. 6, in basilica Iulia tituli 26. 29 ad arcum Severi n. 129 ad columnam Focae n. 140.

Sed eo ex tempore ad annum usque 1872 quodcumque in foro actum Instituti nostri relationibus laudabilique sociorum eius tam romanorum quam germanorum concursu publici iuris factum, licet in his quoque desideres actorum plenitatem atque in minimis accurationem. nam quod supra ad a. 1813 monuimus pertinet etiam ad aa. 1849 ss. constat autem.

Aa. 1848 et 1849 per liberae rei publicae tempora ad totius fori effossionem acriore studio homines non minus patriarum antiquitatum quam libertatis cupidos se accinxisse eamque mox converso rei publicae statu intermissam denuo sane quam lente susceptam continuatamque esse usque ad a. 1853. scilicet his annis basilicae Iuliae angulus ille septentrionalis paulo latius detectus, arcus Tiberii substructiones inventae ac statim destructae, vicinia arcus Severi iterum pervestigata. quarum effossionum imago egregia extat in libro alioquin praeter narrationem quandam, ad quam c. II revertendum, prorsus inutili et summa rerum antiquarum inperitia insigni, edito a Raviolio, Caninae alumno, et Montirolio 'Il foro romano' (R. a. 1852); extant relationes sane exiles in actis annalibusque Instituti. sat larga inscriptionum messis collecta est (a. 1849 n. 38. 48—52. 54. 131 s., a. 1853 n. 53. 66).

Ab anno 1870, postquam Roma Italis libertatique reddita est, tandem aliquando quod inde a saeculo XVI totiens frustra temptatum est, ut naviter si non perfectum at ex parte maiore profligatum sit, debetur Petri Rosae consiliis strenuisque laboribus. extant harum effossionum Acta manu scripta, quae supra dixi me pertractasse, extant Relationes Brizionis Bull. dell' inst. 1872 p. 225 ssi 257 ss. et Rosae duae, altera praevia altera prolixior inserta libro quem ipse edidit inscripto 'Sulle scroperte archeologische della città e provincia di Roma negli anni 1871—72, relazione pres. a. s. E. il ministro di publ. istr. dalla r. Sopraintendenza degli scavi della prov. di Roma' 1873. hunc librum infra Relationem vocabo. praeterea partem effossionum enucleatius edissertavimus testes uterque oculati Lancianius (Bull. dell' inst. 1871 p. 241 ss. 257 ss.) et ego (a. 1872 Hermae 7, 261 ss. et a. 1876 Jahresbericht 1876 p. 171 ss.). formam euderationum dedit Dutert in libro inscripto 'Le Forum romain et les forum' (Paris 1876) t. III. IV, quo de libro exposui Jahresbericht 1876 p. 171 ss. formae a Rosae delineatae a. 1872 nequedum publicatae ectypum ipsius beneficio possideo. denique quae inde ab a. 1876 sub auspiciis Fiorellii acta sunt paucis exposita extant in mensilibus relationibus inscriptis 'Notizie degli scavi di antichità comunicate alla r. Accademia dei Lincei' (vidi Relationes mm. Ian. Feb. Mart. Apr.). his subsidiis instructus breviter exponam acta aa. 1870—1876.

A. 1870 extremo et a 1871 basilica Iulia tota detecta, inventae teste Relatione p. 53 *poche ed insignificanti iscrizioni dell' impero,* quae sunt huius sylloges n. 27. 33—35. 39 (fragm. fastorum sacerd.), 56. 57; praeterea tabulae lusoriae similiaque n. 41 — 46, inscriptionis Graecae reliquiae n. 47, quarum rerum ib. p. 52 mentio iniecta est. eodem anno 1871 templi Castorum gradus et latera viarumque in utroque latere reliquiae effossae (v. relationem Lancianii 31 Dec. a. 1871 factam), eruderata item via sacra quae dicitur areaeque fori pars adiacens cum basibus sex ingentibus, denique cloacae quae sub basilica extat pars (v. Brizio p. 225 ss.) usque ad mensem Martium a. 1872, quo tempore ego Romam profectus usque ad m. Maium eruderationi interfui. dein area ante templum Castoris et aedis d.

Iulii latus occidentale cum parte frontis eiusdem rostrisque Iuliis (*verso i primi del m. Aprile* Brizio p. 257 s., cf. Herm. 7, 280 s. 9, 342 ss.), et puteal quod videtur Scribonianum. — in area fori ubi a via sacra secundum frontem templi deflectit via versus septentrionem, in ipso angulo inventum aedificium constructum medio aevo (v. Brizio p. 233 sq.), quod aedificium superstes m. Iunio a. 1872 mox videtur esse destructum; nunc certe periit. — in Relatione p. 53 ss. notae temporum nullae, in Actis hae: m. Ian. 1872 cloaca maxima sub pavimento basilicae eruderata, inde Aprili ad Castoris et ad aedem d. Iulii transitum (12. 20), dein aedificii quode dixi vicinia pervestigata (Mai. 9. 13. 19. Iun. 7); denique 9 Iun. apud columnam Focae nescio quae parietinae (*alcune brutte costruzioni medioevali* cf. ad n. 151) destructae. addo d. 22 Maii secundum litteras ab Helbigio ad me tum reducem datas in 'rostris Iuliis' semicircularis muri qui fuerit aedificii Augustei reliquias detectas esse.

Autumno a. 1872 hibernisque a. 1872/73 mensibus area fori orientem versus (v. ad Syll. p. 268) eruderata inventa plutea marmorea anaglyphis ornata *nel principio del settembre* (Relazione p. 62; *in questi ultimi giorni* Gazzetta ufficiale 14 Sept.), inque destruenda turri, quae medio aevo eis inaedificata est, usque ad mensem Novembrem, ut videtur, tempus consumptum (Acta 16 Nov.). basis Domitiani quae putatur detecta *verso il termine dell' anno* [1872] (Relazione p. 71) areaque fori circum eam detersa principio a. 1873 (Acta 19 Ian.).

A. 1873 verno aestivoque tempore continuatum opus aream fori versus orientem detegendi (Acta 31 Mai. 7 Iun.). inventi lapides litterati multi. in latere meridionali fori videtur regio quae est circa posticum templi Caesaris eruderari coepta esse. inventi pone hanc aedem aliquot inscriptiones mense Iulio (Acta 25. 26 Iul.), nec multo ante si recte intellego perplexa Actorum verba (21 Iun.) comparuere aedificii rotundi vestigia (quod in Actis l. c. et 31 Ian. 1874 'puteal' dicitur, postea templum Vestae audiebat) quaeque ei a parte orientali contiguae sunt parietinae incertae, quod opus per hibernos menses a. 1873/4 profligatum esse olim testem habui De Boorium v. d. (Jahresbericht 1875 p. 772). in Actis mentio harum rerum satis exilis extat d. 24 Nov. 18 Dec. 1873, 31 Ian. 1874.

Inde a m. Martio a. 1874 Acta extraordinaria testantur in orientali latere (30 Mart. 18 Mai.) et ad templum Caesaris (10 Iun.) effossionum limites propagatos esse, Acta continua anni 1874 deficiunt inde a m. Martio. — eodem tempore fori detegendi cura fere omissa, Collisei area detegi coepta: Acta a. 1875 praeter quasdam circa templum Caesaris effossiones (10 Febr.) nihil continent quod pertineat ad forum.

His annis tribus 1872—1874 inventi sunt tituli huius syllogae infra scripti (a 1872) 55—60. 63(?)—65. 67. 86. 147 ss. 152 ss. 164—166 (a. 1873) 83. 87 — 90. 154 ss. (1874) 84. 157 ss. 169. — a. 1875 tituli nulli videntur reperti esse.

A. 1876 translata antiquititatum cura summa ad I. Fiorellium aedis Faustinae gradus eisque quae proxima sunt effossa sunt. extant eiusdem Relationes perbreves supra citatae. prodierunt eo anno e terra tituli 76—82. 85. 189 ss.

II. De monumentis fori romani.

Deorum dearumque memoriam in foro romano olim tot monumentis celebratam ultimis imperii romani temporibus paene extinctam esse vel haec inscriptionum sylloge docet. nam si exceperis Iovis epulonis basin originis incertae (v. ad 151), deinde titulos intra aedium sacrarum parietes dedicatos Concordiae (11—16. 50. 155) Vestae (53: v. infra) Libertatis (20), basesque Augustae domus Fortunae Reduci Victoriae Paci dicatas (114—118), quae monumenta cur excipiam ultro apparet, paucissimi tituli sacri relinquuntur: Volcani deique incerti dedicati ab imperatore Augusto (121. 123), Herculis Tiburtini (7: quamquam hoc quoque monumentum ipsius *stationis* ubi extabat tutela utebatur), tituli Ἀθάνᾳ ἀποτροπαίᾳ et ἀπωσικάκοις θεοῖς *ex oraculo* dedicati (135. 136. cf 45), hoc est de ducentis circiter quinque. quo magis mirandum esset quod anno 367 p. C. *deorum consentium sacrosancta simulacra* restituere placuit (2), nisi De Rossii praeclaris disputationibus constaret, quarti quintique saeculorum imperatores christianos ita non in pagana monumenta saevisse ut ea urbi decori esse voluerint adempta superstitione. sed consentaneum est ararum signorumque antiquitus in foro dedicatorum partem maiorem tot novorum monumentorum paene singulis annis foro immolitorum irruptioni continuae cessisse paulatim, ut non ita multa duraverint ad imperatorum illorum nedum ad 'barbaricae irruptionis' tempora. itaque detractis illis titulis sacris quid mirum quod reliqui sunt plerique Augustae domus virorumque honoratorum interque eos quorum aetas certa sit vix dimidiam partem efficiunt tituli Antoninorum aetate antiquiores, liberae autem rei publicae temporibus paucissimi eique extremis scripti sunt. quae res quo clarius cognoscatur laterculum titulorum certa aetatis nota insignium infra exhibui distinctis aedificiis publicis, quae pauca sunt, litteratura quadrata.

Syllogae numerus	*monumentum*	*annus (aetas, imp.)*
92	ARCVS FABIANVS factus	a. 633
	restitutus	a. 698?
137	b. M. Cispii L. f. praet.	inc. saec. VII?
151	b. magistrorum collegii tibicinum Iovi Epuloni sacra	inc. saec. VII?
126	basis (?) L. Planci L. f.	712
68	b. Augusto dedicata	725
121	b. Volcano ab Augusto d. . . .	745

Syllogae numerus	*monumentum*	*annus (aetas, imp.)*
123	b. deo incerto ab Augusto d. . ' .	746
58	b. Augusto d.	754
164	b. Augusti ut videtur	inc. Augusti
33	b. Naevii Surdini praet.	inc. Augusti?
150	b. magistrorum collegii tibicinum .	inc. Augusti
12. 13. 49. 50. 156	bases pro salute Tiberii dd. . . .	inc. Tiberii
48	b. pro salute Claudii d.	46 Claudii
127	b. columnae Duellianae restituta .	inc. Claudii??
5	TEMPLVM VESPASIANI	inc. Domitiani
116. 118	bases Victoriae et Paci Vespasiani dd.	inc. Vespasiani
114. 117	bases domus Augustae (fort. Vesp.) dd.	inc. Vespasiani?
37	b. kalatorum pontif. et flam. Traiano d. (?)	101. 102. Trai.
8	MONVMENTVM inc. Hadriano d. .	132 Hadriani
66	b. Hadriano a scribis aediliciis d.	137 Hadriani
67	b. Hadriano d.	inc. Hadriani
89	bb. Hadriano d.	inc. Hadriani
73	TEMPLVM FAVSTINAE (consecr. a. 141) ET PII	post 141 Antonini Pii
74	b. Pio a pistoribus d. (dubitatur de loco)	144 Pii
88	b. Pio d.?	inc. Pii?
76	b. Pio d.?	inc. Pii?
51	b. incerto d.	153 M. Aurelii
6	b. divae Piae Faustinae a viatore quaestorio d.	p. a. 176
47	b. Severo d. graece	post 193 Severi
53	b. pro salute Iuliae matris Caracallae	post a. 198 Caracallae
108	ARCVS SEVERI ET CARACALLAE . .	203 Sev. et Carac.
5	TEMPLVM VESPASIANI restitututum .	inc. Sev. et Carac.
3	SCHOLA scribarum facta	214 Carac.
93—107	bases statuarum virginum Vestalium	ab a. 240 Gordiani ad a. 301 Galerii Maximiani
168	b. C. Iulio Ovinio Paterno cos. praef. urb. d. (?)	post a. 281
124. 140	bb. Flavio Val. Constantio d.	inc. Constantii
55	b. Maximiano d.	290 Maximiani
61	b. Maximiano d.	inc. Maximiani
22	TEMPLVM ROMVLI dedicatum Constantino	inc. Constantini

Syllogae numerus	*monumentum*	*annus (aetas, imp.)*
133	b. statuae equestris Constantini .	inc. Constantini
91	bases tres curante Fabio Titiano praef. urb. d.	339—41 Constantis
119	b. Constantio d. a Neratio Cereali praef. urb.	352—53 Constantii
128. 129	b. Constantio d. a Vitrasio Orfito praef. urb. II	354 Constantii
125	b. d. a Neratio Cereali cons. ord.	359 Constantii
120	b. Valenti d. a C. Ceionio Rufo Volusiano praef. urb. II . . .	365 Valentis et Valentiniani
2	PORTICVS DEORVM CONSENTIVM restituta a Vettio Praetextato praef. urb.	367 Valentis et Valentin.
28—31	BASILICA IVLIA reparata in eaque statuae d. a Gabinio Vettio Probiano praef. urb.	377 Val. et Gratiani
33—36	opera Polycliti, Timarchidi, Praxitelis, Bryaxidis ib. collocata .	eodem?
77. 78	statuae 'celeberrimo urbis loco' restitutae ab eodem	377 "
162? 140	Constans	
163	MONVMENTVM factum Gratiano Valentiniano Theodosio a L. Valerio Septimio Basso praef. urb.	379/383 Grat. Val. Theod.
142. 143	bases (?) Valentiniano d. (?) . .	inc. Valentinian.
111	basis statuae Stilichonis	398—400
160	b. Arcadio d. a Ceionio Rufio Albino praef. urb. II	389/391 Hon. et Arc.
122	b. statuarum equestriam (?) Honorii et Arcadii	399 Hon. et Arc.
111*a*	Stilichonis statua in rostris posita a. Fl. Pisidio Romulo praef. urb.	406 Hon. et Arc.
18	SECRETARIVM SENATVS restitutum a Fl. Annio Euchario Epifanio praef. urb.	412 Hon. et Theod.
56. 109. 113. 152	Augustorum binorum bases . . .	inc.
21	ATRIVM LIBERTATIS restitutum (?) .	inc. Theodorici
134	FOCAE columna honoraria d. . .	608
7	STATIO nescio quae facta vel restituta	incerto
27	AEDIFICIVM incertum aetate infima restitutum	incerto

ab hoc laterculo abesse volui aliquot monumentorum publicorum fragmenta, de quibus infra dicendum est, item frustula sat multa illa quae ipsius litteraturae genere saeculis infimis inde a tertii exitu vindicantur. iam obiter inspicienti apparebit verum esse id quod supra dictum est, horum monumentorum circiter nonaginta partem fere dimidiam aetati Antoninis inferiori deberi, nulla omnino superesse de temporibus liberae reipublicae, unius si excipias Fabiani arcus titulos unumque praeterea duosve titulos, qui fortasse ante Augusti principatum exarati sint, hoc est, omnino nullum extare saeculi septimi exitu octavive initio antiquiorem. quibus quidem rebus optime illustrantur vicissitudines fortunae quas celeberrimum urbis locum subisse annalium memoria testatur. — deinde satis constat inter titulos in foro repertos latere quosdam qui aliunde eo delati sint: sunt autem sepulcrales octo (n. 86. 138. 139. 147. 150. 158. 189. 197) reperti omnes in area fori inde a columna Focae usque ad templum divi Iulii (christiani hominis unus 150), quo coniecti sunt cum materia undique ex urbe collecta maxime tempore Sixti V (v. supra). non constat quo tempore in ecclesiam SS. Sergii et Bacchi conditam saeculo octavo, dirutam ut videtur inter annos 1539 et Pii IV pontificatum (1559) pervenerint quinque tituli sepulcrales Mazochiani (Epigr. n. 112). atque unum quidem illorum (86) traditum est erutum esse *dagli scarichi nelle parti superiori del tempio di Giulio Caesare*, alterum (152) insertum fuisse aedificationi medii aevi: similia si de titulis aliis praeter sepulcrales tradita essent, sane accuratius cognitum haberemus an plura generisque diversi fragmenta a foro aliena in hac sylloge extarent. at ea et fuit et nunc fere est hominum socordia, ut vix bis terve verbis certis adnotatum legamus utrum in ipsa fori area an inter terram materiamque ingentem insuper congestam lapides litterati iacuerint (70. 152. 154). idem dicendum de columnis statuis cippis aris tot denique marmorum fragmentis, quae utrum ruina aedificiorum proiecta dispersaque an asportata sint, scire quam maxime eorum interest qui non solis reconcinnandis aedificiorum illorum membris incumbunt. mihi qui annorum 1872 et 1876 paucis mensibus ac fere subsecivis horis operi interfuerim sane non contigit, ut certa maiorisque moliminis testimonia colligerem: sed dum iterum iterumque adstiti operis mirabar quod inter tantae altitudinis materiem praeter lateres contritos, minuta lapidum silicumque frustula, alia id genus aedificiorum dirutorum eorumque recentiorum reliquias alias aliis superinstratas perrara antiquorum monumentorum fragmenta eminerent. neque in Actis supra commemoratis aa. 1872 — 1875 qua quidque altitudine latuerit adnotatum repperi nisi d. 15 Mart. 1873, ubi aliquotiens repetitur reperta esse fragmenta architectonica *fra i scarichi*, et d. 22 Mart. 1874, ubi dicitur inter columnam Focae et S. Hadrianum *nelle banchine superiori del lavoro* capitulum ordinis corinthii extitisse; item bis terve diserte narratur in ipsa area talia iacuisse prostrata, velut columnam illam *presso il nucleo del suo piedistallo* (16 Dec. 1872) hoc est ad basin secundam, ubi eam iacentem vidi a. 1872 (photographo exemplo felici fortuna excepta extat in Rosae Relatione ad p. 54, cf.

ib. p. 56, infra a me delineata exhibetur)[1]) nunc inter alia rudera suo loco avulsa est; item alio loco Actorum narratur (30 Mart. 1874) *si è scoperta una grande base attica in marmo appartenente alle note colonne onorarie* (de quibus infra dicendum) *lungo la via sacra alto 0, 45 per 0, 95 di diamentro, la quale è capovolta sul piano del foro*, denique in Relatione de capitulo ordinis dorici inserto aedificio medii aevi ea narrantur quae transcripsi ad n. 151, itemque quibus infra usus sum de columnis quibusdam ad basin 'Domitiani' inventis.

Hoc quoque dolendum quod de aetate atque usu eorum aedificiorum, quae fere in Actis *muri posticci, torri medioevali,* similiter vocantur nunc quaerendi materia cum ipsis erepta est: etenim quo tempore facta sunt eo apparet fuisse integra magnam partem monumentorum antiquorum, quippe quorum frustulis constructa sint. fuerunt autem tria potissimum aedificia, quae nunc cum maximo horum studiorum detrimento destructa sunt, unum adstructum basi primae latericiae e regione vico Tusco quem dicunt positae (v. Syll. 164 — 168 et c. I ad a. 1870/71), aliud immolitum pluteis marmoreis (v. ib. ad a. 1872), tertium vicinum columnae Focae (Syll. 151 supra c. I a. 1870/71): quartum extat e regione porticus templi Faustinae contiguum aedi divi Iulii. horum aedificiorum, quorum primum et quartum vidi, alterius imaginem photographam nactus sum, propterea mentionem inieci quod ad redintegrandam aliquot veterum monumentorum memoriam quam maxime pertinent. ac primum quidem breviter dicam de regione rostrorum et arcus Severi (v. tab. nostrae fig. 2): a capite enim fori ordiendum.

Duas res in tanta monumentorum fori ruina fragminumque omnium dispersione sat miras esse dixeris: primum quod inter arcum Severi et columnam Focae ingens prae aliis locis integrorum cipporum basium similiumque monumentorum multitudo accumutata sit (v. Syll. 109—111. 111*a*. 113. 114—118. 119. 121—124. 126. 130—133? 140—143 non longe a columna versus S. Hadrianum 157 — 163), deinde quod exiguo a columna spatio dirempta plutea illa anaglyphis ornata inventa sint, hoc est artis monumentum quod paene integrum ad nos pervenerit de sescentis solum atque eiusmodi quidem monumentum quod suapte natura in primis videatur aptum ad subvertendum. haec anaglypha in basibus antiquis suis, non medio aevo factis, stetisse donec insertis marmoreis trabibus ea Petrus Rosa augustiora videri voluit, et olim mihi persuasum fuit et nunc postquam hoc anno 1876 in re praesenti quaestionem retractavi, quam maxime est persuasum. alterius plutei pars quaedam exigua avulsa adhuc latet, nisi tamen saeculo XV extracta perierit, alteram particulam, quae nunc monumento restituta est, iacentem vidi prope columnam a. 1872: cetera extant suo loco videnturque per aliquod tempus obiecta fuisse ludibriis sive barbarorum sive christianorum hominum, qui capita maxime effigiesque im-

[1]) Photographum exemplum repetitum est in libro Parkeri The forum Romanum t. XVIII post absolutum hunc commentarium ad me adlato.

peratorum eorumque comitum ruperint ac vexaverint. quibus de rebus non repetam quae nuper plenius disputavi (Jahresbericht 1875 p. 726 ss. 1876 p. 175 s.). iam quaerenti mihi quibusnam causis utrumque, accumalata ad arcum Severi monumenta antiqua eaque sat integra, conservata autem exemplo paene unico plutea, tribuendum sit, ultro oblata est difficillima res, regionis illius inde ab octavo saeculo ad duodecimum historia. scilicet constare videtur ecclesiam SS. Sergii et Bacchi viciniam arcus occupasse hortumque eius ecclesiae pertinuisse pone ecclesiam usque ad Marforium; deinde demonstravi Topographiae volumine altero (p. 453) in Hieronymi Cockii imagine fori 'Praecipuis romanae antiquitatis monimentis' a. 1551 Antverpiae editis inserta (tab. *T*) inter columnam Focae et arcum Severi comparere ecclesiam sat magnam, cum turri campanili, ut vulgo loquuntur, hoc est eo ipso loco quo 'rostrorum substructio' (v. fig. 2) cum basibus aliquot e ruderibus denuo emerserunt. Cockium delineasse aedificium illud animi causa aut loco alieno vix quisquam qui imaginem illam ceterasque operis primarii examinaverit putabit. aut igitur SS. Sergii et Bacchi est ecclesia illa, concidentque quae Feae maxime auctoritate de situ eius sub templo Concordiae vulgo creduntur, qua de re l. c. pluribus dictum est, aut est ecclesia aliunde mihi certe non nota. sed utut est — viderint enim quibus illorum temporum historiae fontes adhuc delitescentes adire licet: mihi quidem mirum videretur nihil prorsus in litteris medii aevi de ecclesia eo loco alteri vicina traditum esse — hoc videtur extra controversiam positum esse aedificationem ecclesiae SS. Sergii et Bacchi, 'ubi umbilicus', rostrorum quidquid saeculo octavo cum statuis vicinisque monumentis superfuerit conservasse itemque coniectare licebit non multo post id tempus versus meridiem secundum viam quae ab arcu Severi ad templum Faustinae tendit aliud aedificium constructum esse quibus plutea illa sive parietum sive murorum instar fuerint. ac sane memorabile est quod anaglypha ea quae intrinsecus extant longe minorem labem traxerunt quam ea quae extrinsecus: deinde utrisque quasi tectum quoddam sive concameratio super imposita inventa est quam diximus 'turrim medii aevi' visam esse inventoribus, at sub illa interque ipsa plutea, si pavimento antiquo integro, si photographae imagini silentioque Actorum credendum sit, materies solo postmodo accumulata. accedit quod ad eandem viam e regione templi Faustinae ut supra dixi aedificium eiusdem fere aetatis — ut periti volunt — quo ecelesia SS. Sergii et Bacchi condita est nuper comparuit partim conglutinatum marmoribus antiquiorum aedificiorum. unde abunde constat octavo fere saeculo forum romanum non desertum, verum novis aedificiis completum fuisse. vix ausim ultra hos terminos prodire: quamquam qui Cockianam imaginem cum forma nostra aliave comparaverit haud facile abnuerit posse turrim campanilem ecclesiae illius, quam prospicienti versus arcum Severi pone ecclesiam constitisse apparebit, esse ipsam eam cuius rudera anaglyphis imposita iam funditus sublata sunt.

Ingentem numerum basium diximus accumulatum esse iuxta rostra. nec mirum; constat enim in rostris antiquo tempore statuas clarorum virorum

aliaque monumenta publice posita esse (de quibus v. Detlefsenus Ann. 1860 p. 138 ss.) idemque factum eisdem translatis a. 710, qua de re ante me (Jahresb. 1875 p. 746 ss.) video recte iudicasse Braunium dissertatione post mortem eius edita (Philologi Suppl. 2, 425). partem eorum monumentorum quae in rostris veteribus steterunt interisse testes sunt Asconius Pliniusque qui ea 'fuisse' ibi testantur, partem, veluti statuas Sullae et Pompei statuamque Cn. Octavii in novis rostris — quae cave ne putes esse rostra aedis divi Iulii sed ea ipsa de quibus agimus ad latus arcus Severi — denuo collocatas esse audimus (cf. Jahresb. p. 747). fuisse inter haec monumenta columnam rostratam Duellianam, eamque postquam nescio quo fato mox interierit sive Augusti principatu sive Claudii — utrum enim verum sit hoc loco mittimus quaerere — restitutam esse constat testimonio certissimo Servii in Georg. 3, 29 nec procul ab eo loco (immo si quid ponderis habet testimonium Ciacconianum, proxime) inventa est basis superstes (v. n. 127). sed eorum quoque quae e veteribus in nova rostra translata sunt non potuere non pleraque ea tempestate auferri quo novis ea ornamentis condecorare libuit. nec desunt testimonia. nam nec ullus ibi praeter columnam restitutam titulus liberae rei publicae inventus est et novimus statuas *in rostris* positas imperatorum Augusti (v. infra) et Claudii (Pollione teste Claudii c. 3) et Stilichonis, cuius basin licet quo loco reperta sit ignoretur tamen in rostris olim esse collocatam ipsius tituli verba demonstrant (Syll. n. 111*a* .. *statuam in rostris* . . . *locandam decrevit* . . a. 406): alteram positam eidem inter annos 398 et 400, cuius basis 'ante aedem SS. Sergii et Bacchi' reperta est, utrum ipsis rostris imposita fuerit an iuxta rostra steterit nescimus. denique e tot titulis honorariis prope rostra inventis non nullos esse statuarum in rostris positarum coniectura haud improbabili nobis videmur statuere. sed praeterea eidem loco vindicaverim statuas duas quas Gabinius Vettius Probianus praefectus urbis a. 377 *fatali necessitate conlabsas celeberrimo urbis loco adhibita diligentia reparavit* (n. 77. 78). quas bases inventas ante aedem Faustinae cur Petrus Rosa in basilica Iulia nuper quasi ibi olim extitissent collocaverit, equidem non assequor. neque enim ulla causa potest cogitari cur eis non inscripserit ea verba quae inscripsit statuis ibi eodem anno conlocatis *statuam quae basilicae Iuliae a se noviter reparatae ornamento esset adiecit* (n. 28 — 31). quem igitur dixit locum urbis celeberrimum, eum vix putaverim esse forum romanum, verum rostra. neque enim casu accidit ut similibus verbis aliquotiens significentur, velut apud Plinium (34, 24) *senatus* (Cn. Octavio) *statuam poni iussit quam oculatissimo loco eaque est in rostris,* apud Ammianum 16, 10, 13 *cum venisset ad rostra, perspectissimum priscae potentiae locum* (nam ita scribendum pro eo quod libri habent *forum*). adde quod *in cereberrimo* (sic) *fori loco* verba tituli Veronensis CIL 5, 1, 3332 ad rostra municipii, de quibus infra dicam, referenda sunt, quodque imperatores Theodosius et Arcadius Alexandreae statuam Materni Cynegii praefecti praetorio per Orientem (a. 384—389) *in eadem splendida urbe* . . *loco celeberrimo constitui collocarique iusserunt* (CIL 3, 1, 19): potest

sane locus ille esse forum Alexandrinorum, at potest esse ipsius fori locus conspicuus tribunali rostrisve ad publicas orationes apto. denique his testimoniis eorum sententia comprobatur qui Taciti verba An. 4, 67, 8 *vel celeberrimo fori effigiem divi Augusti amplecti populumque ac senatum auxilio vocare* de loco, non de tempore intellegenda esse voluerunt: scilicet in rostris stetisse tum Augusti statuam hoc ipso testimonio eoque nisi fallor solo edocemur. ac municipiorum quidem coloniarumque in exornandis foris ea fuit aemulatio urbis, vix ut ullum eorum rostris tribunalibusve ad exemplar rostrorum fori romani factis caruisse videatur. sciendum enim, quode olim monui (Jahresbericht 1875 p. 751 s.) rostrorum et tribunalium nomina Romae aetate imperatorum in promiscuo haberi solita esse, ita ut rostra significaverit Ammianus 16, 10, 13 cum dixerit *adlocutus nobilitatem in curia populumque* [*e*] *tribunali.* addo luculentum Frontonis testimonium de eloq. p. 145 *immortales seirint comitium et rostra et tribunalia Catonis et Gracchi et Ciceronis orationibus celebrata hoc potissimum saeculo conticescere*, hoc est rostra ante curiam in comitio sitam. iam intellegetur, opinor, quid sibi velint *tribunal et rostra* tituli Rusicadensis Renierii 2169 et *tribunal* titulorum Veronensis (CIL 5, 1, 4960 cf. supra) et Beneventani (IRN 1502), nequid dicam de funere publico Capuae *foro* elato, scilicet ubi laudatio publica sollemni urbanoque more habita esset (Plin. n. h. 7, 176 conl. Plaut. Most. 999). in Pompeianorum igitur foro rostra tribunaliave extare res est certissima, licet Pompeianarum antiquitatum libri ea de re taceant. ego cum a. 1867 Pompeis commorarer videbar mihi animadvertere basin illam quam dicunt magnam in latere occidentali positam esse rostrorum substructionem, non esse basin statuae, eamque rem significavi Ricardo Schoenio tunc in publicis oppidi huius monumentis explicandis versanti. nunc video Fiorellium quoque suo iure quaesivisse de rostris Pompeianis (descriz. di Pompei p. 254). sed quod ibi dixit forum continere 'due *tribunalia* con due minori suggesti che potevano tener luogo di *rostra*' ea parum intellego. sed hanc rem aliis diiudicandam relinquo. ad forum romanum redeo.

Prope rostra igitur extant tres bases latericiae, praeterea secundum viam sacram quam dicunt octo artificio plane gemino factae, denique in area fori e regione templi Caesaris una: apparet autem — id quod infra quanti sit momenti cognoscetur — hanc solam extitisse in area tempore labentis imperii. quaesivit Bunsenus in actis Instituti nostri minoribus a. 1836 num de tribus illis basibus, quas primo loco nominavi, una fuerit *basis Constantini* (n. 133) octavi saeculi initio visa ab Anonymo Einsiedlensi; et iure quaesivit vir sollertissimus miroque animi fervore his rebus investigandis deditus. sed errore proclivi quemque tunc devitare non licebat nondum perfecta eruderatione tribus illis quartam addidit quae nulla est; est enim angulus ipsius substructionis rostrorum eo tempore semisepultae. huic igitur tribuebat *equum Constantini* (quem tunc homines docti Marci Aurelii equestrem statuam esse putabant), ceteras utpote parum amplas operisque pessimi tali statuae parum convenire ratus. non repugno de

operis structura aetati sat recenti attribuenda; neque vero intellego cur infra Constantini aetatem detrudenda sit. sed enim prius accuratius quaerendum erat de loco quo Anonymus basin vidisse videatur. puto me demonstravisse post Rossium itinerarium Einsiedlense quod fertur itinera continere in forma quadam saeculi septimi octavive depicta. haec igitur in forma itinera quae quidem basin tangant supersunt.

6		*A porta Aurelia usque ad portam Praenestinam*	
	(sinistra)		*(dextra)*
	. . . .		. . . .
4		*per pontem maiorem*	
5	*S. Georgii* (in Velabro), *S. Sergii*		*Palatinus, ad S. Theodorum*
6		*per arcum*	
7	*Capitolium, umbilicum*		*S. Maria antiqua*
8		*equus Constantini*	
9	*S. Hadriani*		*SS. Cosmae et Damiani*
10		*forum romanum*	
11	*S. Cyriaci et thermae Constantini*		*palatium Traiani, ibi ad Vincula*

nihil mutavi nisi quod vv. 4. 6. 8. 10 ratione nisi fallor sat probabili medio spatio attribui quae in codice in hunc modum binis columnis discerpta leguntur *per pontem — maiorem, per ar — cum, equus con — stantini, forum ro — manum.* itaque in forma iter facienti a porta S. Pancratii ad Maiorem post pontem Ruptum (tunc integrum) a sinistra Velabrum et ecclesia SS. Sergii et Bacchi ad arcum Severi, a dextra Palatium cum ecclesia S. Theodori fuit, dein per arcum nescio quem progredienti a sinistra Capitolium super ecclesiam S. Sergii a dextra S. Maria antiqua, nunc nova; ibi tangitur equus Constantini; sequitur S. Hadriani a sinistra a dextra SS. Cosmae et Damiani templum, dein forum romanum. haec intellegi nequeunt nisi formae figuram eiusmodi redintegres:

CAPITOLIVM

▭ S. Georgii	▭ S. Sergii	▭ S. Hadriani
⟶ pons maior	arcus	equus Constantini FORVM ROMANVM
PALATINVS S. Theodori ○	S. M. antiquae ▭	SS. Cosmae et Damiani ○

in forma igitur equus Constantini cum fori romani nomine videtur extitisse inter S. Hadrianum et SS. Cosmam et Damianum satis amplo a SS. Sergii et Bacchi (hoc est ab arcu Severi) spatio dirempta: unde equum aut in media area fori aut inter S. Hadrianum et SS. Cosmam et Damianum, hoc est ante basilicam Aemiliam stetisse conicias. alterum iter in hunc modum a librario pessum datum est.

1 *A Porta S. Petri ad S. Luciam in Orphea* (*orthea* cod.)

	(*sinistra*)	(*dextra*)
5	*forum Traiani et columna eius*	*S. Sergii ubi umbilicum Romae*
6	*Tiberis* *arcus*	*Severi*
7	*S. Hadriani*	*cavallus Constantini*
8	*S. Cyriaci* *forum*	*romanum*

e. q. s.

ubi apparet (mihi certe non dubium est) Tiberim a sinistra in dextram partem traiciendum esse, reliqua quae post v. 8 secuntur multis dubitationibus obnoxia sunt. sed utcumque de his rebus iudicabitur, iterum videmus cavallum Constantini fere in aream fori ante S. Hadrianum detrudi et ab arcu Severi removeri. aut igitur equus in media area fori aut viae quae tendit a templo Faustinae ad arcum Severi margini septentrionali appositus fuerit oportet. illud si verum est, sequitur ut illa basis, quam solam in area et nunc extare et ultima imperii romani aetate extitisse supra dixi, quaeque putatur esse Domitiani statuae equestris, sit basis equi Constantini; sin alterum illud statueris, vix dubitabis quin basis Constantini etiam nunc sub terra lateat. atqui alibi monui sat mirum videri quod Domitiani equus praeclaris Statii carminibus (silv. 1, 1) quasi ante oculos legentium positus post poetae aetatem a nemine ullo scriptore commemoratur; idque eo magis mirum dixeris quod utpote in medio foro quasi alter eius umbilicus conlocatus non potuit non omnium oculos animosque in se convertere. quid igitur si post mortem eius senatus non solum in curia imagines eius detrahendas censuit, verum etiam equestrem eius statuam deiciendam? accedit quod in anaglyphis quibus Traiani imperatoris bene facta celebrantur, in media fori area basis ingens in eaque sedens imperator, adstans Italia grata comparent. significavi alibi (Jahresbericht 1875 p. 758 sq.) mihi videri hoc artificio indicari votum eo tempore monumentum aliquod quod in medio foro Italiae gratitudinem testificaretur. scio hanc coniecturam testimoniorum fide destitutam esse: nihilo tamen setius in ea imaginum illarum accuratione aegre equestris statuae in medio foro positae vestigium desideraveris. satis habeo significasse et debere et posse quaeri causam silentii quo Domitiani equus inde a Statii aetate pressus in litteris antiquis non comparuit.

At ipsius statuae tituli fragmentum haud procul ab ista basi repertum esse nuper Henzenus Rosae aliisque persuasit (v. n. 166). quaestionem de supplendo fragmento non iterum retractandam sumam (v. quae dixi Jahresbericht 1875, 770 sqq.). at miror quod editores CIL in Addendis non Domitiani sed Augusti nomen restituendum rati parum exaequarunt trium versiculorum priorum spatia spatio ultimi, de quo supplendo dubitari nequit. quam rem Henzenus, cum primum ea de re egit, probe aestimaverat. itaque satis habeo inscriptionis fragmentum cum supplemento utroque lectoris oculis iterum subicere.

< 0,95 >

0,26 ^		IMP CAESARI DIVI F
0,24	1,78	AVGVSTO COS
0,24		TRIB POT PONT MAX
0,22 v		PLEPS VRBANA XXXV TRIBVVM

IMP CAESARI DOMITIANO
AVG GERMANICO PONT MAX
TRIB POT III IMP VI COS X PP
PLEPS VRBANA XXXV TRIBVVM


quodsi titulus Domitiano re vera dedicatus fuerit, quod nunc quoque mihi videtur satis certum esse, tamen nunc confidentius quam olim feci nego eum esse equestris statuae, primum eas ob causas quas exposui l. c. (nimirum carminis Statiani verba aegre conciliantur cum dedicatione facta a plebe urbana ob datum congiarium), deinde ob eas causas quas supra edissertavi. tabulam longam fuisse circiter m. 3,0 apparet; latera baseos minora lata fuisse m. 6,0 videbimus: unde efficitur ut possit illa huic affixa fuisse, non ut non possit non fuisse. ceterum fragmentum, cuius reliquae partes non comparuere, repertum est ad aedificium medio aevo multis antiquorum aedificiorum spoliis constructum: itaque quis spondeat proximo olim monumento detractum esse?

Titulum igitur statuae equestris Domitiani extare iniuria contenditur. de ipsa basi in Relatione a. 1873 p. 71 s. haec leguntur: *verso il termine dell' anno 1872 s'incontrò un gran nucleo di sostruzione e di forma quadrilunga su cui nel medio evo eransi confusamente sovrapposte quattro colonne di giallo antico. nel rimoverle dal posto per determinare i limiti precisi del nucleo si vide che questo era internamente costituito da forti blocchi di travertino solidamente congiunti fra loro per mezzo di ferree grappe. tutto all' intorno doveva essere circoscritto da un gran podio marmoreo alto circa 60 centim., i cui varii blocchi si raccolsero scompaginati, ma vicino al detto nucleo. lo stato attuale di esso misura ai due lati maggiori una lunghezza di metri 7. 20 e di 4. 20 ai minori: l'altezza maggiore è di metri 1. 15. tenuto conto pero dei blocchi in marmo che costituivano lo zoccolo del basamento, alcuni dei quali misurano una larghezza media di m. 0, 80 ed un' altezza di 6. 60 compresa la cornice, si possono ricavare le dimensioni approssimative dell' intiero piedestallo in metri 10 sopra 6.* cf. supra c. I. his quod addam non habeo, nisi quod in re praesenti longitudinis pristinae mensura mihi visa est fuisse m. 8, 75 et quod tota basis item uti plutea anaglyphis ornata tiburtinis lapidibus, quibus area fori strata est, artificio nisi fallor pessimo imposita est: ut quovis pignore contendam eam

Domitiani tempore non esse factam. quae cum ita sint, quis negaverit ne basin quidem hanc esse equestris statuae Domitiani, posse esse equi Constantini? sed certum iudicium tum demum ferri poterit cum latus fori septentrionale redivivum factum sit. quas autem statuas tres illae bases vicinae substructioni rostrorum olim sustinuerint dubito an umquam possit certa ratione effici, quamquam probabiliter conicias bases *ab* sustinuisse equestres statuas, non sustinuisse basin *c*: quodsi quis his rebus pensitandis Romae multum temporis impenderit, forsitan inter titulos hac sylloga conlectos deprehenderit quorum mensurae mensuris superstitum nucleorum apprime conveniant. id quod etiam de eis basibus dicendum quarum nunc facienda mentio est.

Extant igitur bases ingentes quadratae octo (nimirum prima a templo divi Iulii numeranti medio aevo ex parte conversa in aedificium nescio quod de quo supra diximus) quas inter se aequis spatiis m. 6, 94 distare lateraque longa plus minus m. 4, 45 habere adnotavi ipse dimensus a. 1872: altas esse circiter m. 4, 00 imago photographa maximi moduli docet. accuratissime de septima et octava cum primum detectae sunt anno 1818 disputavit Fea (Varietà p. 71 ss.). ac primum quidem de prima versus Capitolium hoc testatus est: *a quello (piedistallo) verso il Campidogiio dallo parte interna verso il piedistallo compagno si sono veduti nel piano superiore due bolli istessi nella grandezza e nelle parole; ma differenti nella direzione di una rapa nel centro e di una piu piccola dopo* DOM., *così:* OFFSRFDOM. addidit easdem litteras se invenisse in lateribus aliorum aedificiorum, templi Veneris et Romae, arcuationum basilicae Constantinianae (quam falso contra Nibbyum pro templo Pacis venditavit); omissa rapa easdem in lateribus thermarum Diocletianarum legisse Fabrettium 520, 317, item pro sexto elemento quod est F substituto T se ipsum in lateribus circi Romuliani extra portam Appiam (quem Caracallae falso nomine dixit: v. Feae et Bianconii opus f. 189); denique non constare unde eandem inscriptionem Marinius (Vat. n. 1191) et Boldettius (Oss. sui cem. p. 528) sumpserint. addo eandem (sine rapa) nuper repertam esse in basilica Iulia teste Lanciano Bull. dell' inst. 1871, 246 eodemque teste in aedificiis saeculi tertii in monte Esquilino Bull. mun. 1, 68. 3, 81. iam constat de aedificiorum quae nominavimus origine atque fatis: constat certissimis testimoniis (de quibus videsis Top. 2, 7) aedificata esse circum et basilicam a Maxentio, dedicata a Constantino illum a. 309 hanc anno incerto, item eodem imperante templum Romae et Veneris refectum esse post incendium, imperante Diocletiano factas esse thermas nominis eius, refectam esse basilicam Iuliam (v. acta horum imperatorum composita ib. p. 31 s.). quare cum extra controversiam positum sit Diocletiano Constantinoque imperantibus aedificatum esse tegulis quibus notae OFFSRFDOM impressae sunt, eidem tempori latericiae bases attribuendae sunt, in quibus comparent eaedem notae. quae ratiocinatio nulla umquam notarum adhuc dubiarum interpretatione infringi poterit. ac prima quidem quinque elementa vix dubium est quin significent *off(icina) s(ummarum) r(ationum)* — qua de re v. Fea l. c. —; sed quae sequuntur alii

aliter interpretati sunt, velut *f(ecit) Dom(itius)* cum alii tum nuper Lancianius Bull. mun. 3, 81; Mommsenus mihi quid rei esset sciscitanti rescripsit non posse non figlinae nomen sequi, flagitare igitur analogian inscriptionis *off(icina) s(ummarum) r(ationum), f(iglina) Oceana* ut hae notae sic explicentur: *off(icina) s(ummarum) r(ationum), f(iglina) Dom(itiana).* sed ego urbanarum tegularum syllogen plenam putaverim expectandam esse, meum certe iudicium non interponam: hoc loco satis habeo monuisse O. Hirschfeldium in libro inscripto 'Untersuchungen auf dem Gebiet der röm. Verwaltungsgeschichte' p. 33 ss. probabili ratione statuisse *summarum rationum* procuratorem Marci demum imperatoris tempore factum esse. — denique non tacebo in Actis ms. supra compluries citatis d. 9 Mai 1872 tegulam commemorari sic inscriptam ∘OFFSRD∘P∘N repertam ad basin primam. — constat igitur bases illas octo aequali omnes artificio factas deberi Diocletiano, qui etiam basilicam Iuliam senatumque aedificia areae fori adiacentia instauravit. — olim has bases marmore incrustatas fuisse Feam docuere reliquiae misellae tabularum marmoris candidi ipsis basibus affixarum. idem deprehendit in superficie basium *l'imposta o l'incavo per la colonna*, ipsasque columnas quae basibus impositas esse coniecit singulas ad singulas bases iacentes repperit *di granito rosso del più bello del diametro di palmi 5¾* (= m. 1, 282): extant ibidem adhuc; sunt autem non striatae. itaque non putaverim columnam striatam quae a. 1872 reperta est ad basin secundam olim huic impositam fuisse (quae fuit opinio Rosae Rel. p. 57): nisi credendum sit diversi generis columnas basibus plane geminis imponere placuisse. supra conquestus sum quod parum curari solet quo quidque situ inter parietinas compareat. itaque quoniam photographae imagines a. 1872 non sunt in omnium manibus, postea autem columna ea loco mota est, non inutile duxi situm eius qualem in pugillaribus a. 1872 depinxi infra primis lineis adumbrasse:



iacebat igitur columna devexa versus basilicam Iuliam super cumulum magnum terrae ruderibus omnigenis mixtae, inter quae saxum quadratum (*b*) et basis columnae nescio cuius (*a*) comparebant. ibidem repertum fr. 153 *Augg. et* . . . hinc effici videtur columnam illam post accumulata in area fori rudera cum aliis fragmentis eo coniectam esse nec satis constare unde avulsa sit. deinde audi auctorem Relationis p. 56 haec disputantem de basibus a. 1872 detectis: *sovr' essi dovevano poggiare altrettante colonne onorarie probabilmente innalzate verso i tempi di Constantino. imperocchè è*

notevole che già altre volte in questa prossimità si rinvennero iscrizioni imperiali degli Augusti di quei tempi e nei nuovi scavi uscì alla luce una testa di Costanzo figlio di Constantino insieme con un' iscrizione dedicatoria di un qualche monumento a Valentiniano Pio per parte di Flavio Graziano. dixi ad Syll. n. 55 hunc esse titulum non Valentiniano sed Maximiano Pio a Turranio Gratiano a. 290 dedicatum nec repertum iuxta bases verum a. 1872 partem eius ante aedem Castoris, alteram in basilica Iulia ante a. 1870, ut videtur, unde apparet prorsus incertum esse quo pertineat. caput illud quod Constantii esse visum est quo pervenerit nescio: fortasse fuit inter statuarum Augustarum multarum reliquias in horreis Palatini montis nuper congestis, dein si famae credendum sit Romae pervagatae aliorsum ablatis. quas autem inscriptiones 'Augustorum' olim iuxta bases repertas dixerit ignoro: nostram syllogen qui perlustraverit inveniet aliquot honorarios imperatorum titulos Feae tempore prope bases binas columnae Focae vicinas repertos esse neque quicquam obstat quo minus alios, qui in basilica proxima aut in septentrionali latere fori iacebant, a basibus eo delatos arbitremur: at nullo mihi certe argumento constat unum alterumve eorum avulsum esse a basibus latericiis. — longe melius de solvenda quaestione illa quae facit ad cognoscendum ornatum fori tertio saeculo restitutum architecti meriti essent, si tot columnarum fragmenta inter rudera reperta accurate dimensi quaesivissent quaenam certa ratione basibus illis aut abiudicandae aut attribuendae viderentur esse: qua tamen a cura et Rosa cum suis et cui copiis eius uti concessum fuit Dutertius procul abfuere. certe nihil de his rebus in Relatione romana, nihil in Foro architecti gallici invenias: in Actis manu scriptis praeter illam de columna opinionem, quam puto me supra labefactasse, iterum de columnis neque probabilius dictum d. 30 Mart. a. 1874: *si è scoperto una grande base attica in marmo appartenente alle note colonne onorarie lungo la via sacra alta 0, 45 per 0, 95 di diametro. la quale è capovolta sul piano del foro.* at supra vidimus columnas binas quae iuxta bases item binas repertae sint tempore Feae diametrum habere m. 1, 282. itaque qui post Dutertium eoque accuratius reliquias fori ad artis legem redintegrare suscipient — nec dubitamus quin romani architecti hoc munere naviter ut solent perfungi properaturi sint — rogatos volumus, ut opus a topographorum philologorum studiis sane alienum, ipsis familiare profligare amplius ne detrectent. — sed ultimo loco revertendum ad Feam: is enim postquam de columnis absolvit haec addidit p. 71: *presso a queste si sono trovate due marmi quadri che a prima vista sembrano due architravi con cornice e due fasce ciascuno; ma sono due piedistalli di due statue di bronzo, probabilmente, che stavano sulle due colonne . . . hanno sopra due grandi buchi scarpellati per levarne il metallo o ferro e il piombo che fermava la statua.* omisi quae de basibus Domitiani statuae vindicandis inseruit. inter rudera iuxta columnam Focae nunc accumalata illa marmora non repperi.

Arcus triumphales in foro romano constitutos novimus quinque, Fabianum, Augusti binos, alterum erectum iuxta aedem divi Iulii ob recepta

a. 734 signa Parthica (v. infra) alterum a. 724 post victoriam Actiacam erectum teste Dione 51, 19; arcum Tiberio dedicatum a. p. C. 16 (769) *propter aedem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa ductu Germanici auspiciis Tiberii*, quae sunt verba Taciti An. 2, 41; denique arcum Severi, qui extat. extabant reliquiae arcus Tiberiani cum anno 1852 fundamenta arcuationis ad sustinendum clivum novum, quo a foro ad Capitolium nunc escenditur, iacerentur. rettulit ea de re Montirolius libro paene in oblivionem dato atque in his terris vix cuiquam noto quem supra c. I ad a. 1848 s. citavi p. 8—17. inde excerpsi olim — nunc enim ne mihi quidem liber in promptu est — quae infra scripsi. testatur igitur reperta esse *un cuneo di marmo appartenente ad' un arco di trionfo ed una piccola imposta che sopra vi corre . . . un rocchio di colonna che dal suo taglio interno chiaramente si vede aver appartenuto ad un angulo di questo arco . . . . . . moltissimi frammenti dell' attico superiore fra i quali ve ne sono due con iscrizione . . un angolo della cimasa.* e quibus fragmentis a se arcum restitutum iri promittit p. 13. sed inscriptionis fragmenta quae ibidem transcripsit reperta sunt proxime arcum, alterum (Syll. 25) a. 1818 iuxta bases latericias septimam et octavam, alterum (26) a. 1835 in ea basilicae Iuliae parte quae contigua est arcu Tiberii: illud igitur ubi repertum sit non traditum esse cum dixit Mommsenus (Res gest. d. Augusti p. 132), immemor fuit prolixae Kellermanni disputationis; ignoratur unde provenerit tertium fragmentum quod nunc quoque ad aedem Saturni extat illi simillimum (n. 23) itemque quartum (24) quod non vidi. Kellermannus igitur fragmenta 25 et 26 accurate dimensus testatus est litteraturam utramque geminam, marmoris genus idem esse (v. ad n. 26): ego, qui solum fr. 26 viderim non, dubito fidem habere homini accuratae harum rerum cognitionis. quodsi arcus Tiberii ad exemplar eius qui Tito in sacra via summa dedicatus extat redintegrandus sit, possit sane fr. 26 quod nunc longum est m. 2, 42 versum primum inscriptionis explesse, qui dum integer fuit longus fuerit oporteat m. 4, 50, hoc est, viae publicae, cui arcus impositus est mensuram paene aequaverit. quodsi Henzenus Mommsenusque recte fr. 25 verba v. 2 *lumin*[*ibus*] (nimirum Albi et Rheno) v. 4 [*signis*] *recip*[*eratis*] explessent sane optime omnia procederent. verum non fugit Mommsenum quam incerta sint haec supplementa: nec video quid obstet quominus [*provinciis*] *recip*[*eratis*] scribatur. idem Mommsenus inscriptionis eiusdem initio vindicavit fr. 23 ubi v. 1. 2 *C*[*aesari*] . . . *pon*[*tifici maximo*] legendum coniecit. tacuit de versu ultimo, ubi cum propter omissum punctum vix possit legi *in d*[*icionem*] non video quid aliud subesse possit quam talia . . *in amicitia*]*m Ind*[*os* . . . , quae optime quadrant ad foederis cum Indis a. 734 facti commemorationem, quae commemoratio facile in arcu Augusto eodem anno ob reciperata signa Parthica dedicato fieri potuit (cf. Mommsen Res g. p. 84 ss. 89 s.). verum hic arcus totius fori spatio ab eo loco discretus erat ubi fr. 23 repertum est: nam scholiasta Veronensis Vergilii p. 98 K. ad verba *Parthosque reposcere signa* haec adnotat: *huius facti nicae* (v. Mommsen l. c. p. 85) *repraesentantur in arcu qui est iuxta aedem divi Iulii.* nec praetereundum non ad in-

scriptionem verum ad tropaea vel anaglypha haec pertinere; quae qualia fuerint luculenter nisi fallor docemur anaglypho thoraci statuae Augusti Vaticanae insculpto: scilicet non dubium id quod non invenio ab editoribus statuae adnotatum arcus illius insignia ipsa ibi esse repetita. sed ad inscriptionem ut redeam, hoc unum relinqui videtur ut arcus huius destructi nescio quo tempore lapides aliis aedificationibus postmodo inserti fuerint. neque ea coniectura omni argumentorum fide destituta est. nam *iuxta aedem divi Iulii,* quam nunc videmus circum circa ruderibus liberatam, nec vola nec vestigium arcus triumphalis comparuit. praeterea platea tota qua circumdatur viaeque contiguae infima aetate rudi artificio restitutae sunt. alter autem arcus Augusti factus post Actiacam victoriam ubi steterit in foro ignoramus: at ne huius quidem vestigia comparuere; praeterea haud facile lacera haec inscriptionum fragmenta titulo in victoriae illius laudem composito inseras. potest igitur esse fr. 23 arcus Augusti, videntur esse fr. 26 et 25 arcus Tiberii. denique non tacebo neutri horum arcui videri convenire eam orationis prolixitatem, quam coniunctis fr. 23. 24. 25 (adde fr. 26) Mommsenus effecit. quod ut legenti planum fiat infra composui fragmenta quattuor disposita ex coniectura Mommseni auctaque versu primo, ut par est, secundum Kellermannum.

m. 4, 50

m. 2, 42

		m.		
(26)	~~SENATVS · POPVLV~~ *SQVE ROMANVS*	0,20?	1	
(23)	O	0,25	2	
	PON	0,25	3	
	*LIT*ORIBV*S*?	0,20	4	m. 2,30
	VTO · C	0,20	5	
	*IN AMICITIA*M · IND*OS*?	0,20	6	
(25. 24)	VI · IN OMAN	0,19	7	
	*FL*VMIN*IBVS*? MVM	0,16	8	
	RVE·SVM	0,16	9	
	SIGNIS? RECIP*ERATIS*	0,16	10	

ultra prodire dabitur siquis architectus quod olim Montirolius promiserat quantum quidem nunc licet exsecutus sit, ut conlectis examinatisque fragmentis quae prope columnam Focae extant coniectura capiatur de pristina arcus Tiberiani forma.

Haud certiora de arcus Fabiani longe celeberrimi situ nunc comperta sunt. testimoniorum antiquorum memoria, quae primus Mommsenus conlatis epigraphicis recte aestimavit (Ann. 1858, 173 ss. cf. De Rossi Ann. 1859, 324) efficitur fuisse arcum *iuxta regiam in sacra via* (ita Asconius personatus in Verr. 1, 7, 19 p. 133 Or.), vel *prope Vestam* (ita schol. Gron. p. 393) vel *sacram ingredientibus viam post templum Castoris* (p. 399),

hoc est exeunti e foro in sacram viam proprie sic dictam e regione templi Faustinae. his indicationibus concinunt verba vitae Salonini c. 1 a Mommseno restituta: *fuit statua in pede montis Romulei hoc est ante sacram viam inter templum Faustinae ac Vestae ad arcum Fabianum* (nisi quod praetulerim *ac Vestam*, ut dixi Jahresber. 1875 p. 775: codices *intra t. f. aduentam*), ubi apparet *ante sacram viam* locum eundem significare quem *post templum Castoris* dixit scholiasta Tullii. his demum testimoniis ita ut factum enarratis apparet Ciceronem in Planciana 7, 17 voluisse sacrae viae totae spatium definire summae sacrae viae (ubi postea arcus Titi) atque fornicis Fabiani commemoratione. relinquitur quod negotia facessat unum testimonium scholiastae Persii 6, 49: *puteal Scribonis Licinii est in porticu Iulia ad Fabianum arcum.* puteal creditur esse id quod in forma eo nomine insignivi (quode pluribus dictum Herm. 7, 285 Jahresber. 1875, 755): quae coniectura etiamsi falsa esset, tamen ob ceterorum testium laudatorum consensum certum esset porticum illam Iuliam esse non posse porticum basilicae Iuliae; falsum igitur esse quod visum Rosae aliisque arcum stetisse in angulo basilicae Iuliae eo qui Castoris templo e regione est (v. Jahresber. p. 775). esse eam porticum aedis divi Iulii, quod Beckero aliisque visum, eam certe dubitationem movet quod in platea quae aedis huius substructionem superstitem ambit, nulla porticus vestigia comparuere. sed huius plateae ea est condicio ut tota barbaris manibus videatur transformata esse. — ab antiquis testimoniis transeundum ad memoriam narrationum de titulis Fabiorum aa. 1546 et qui praecedebant post Rossium breviter examinandam: vix enim habeo quod egregiae eius disputationi addam. docuit igitur primum titulos *A*, dein *B* eodem fere e loco protractos esse: quem locum esse e regione templi Faustinae versus Palatinum montem et tres columnas; Palatini enim viciniam demonstrari tam codicis Metelliani de titulis *A* testimonio diserto quam codicis Manutiani de titulis *B* verbis his *in comitio*; creditum enim esse ea tempestate comitium radicibus Palatii vicinum esse (p. 323). atque hoc quidem sane extra controversiam positum est. nam cum comitii memoria post interitum imperii romani penitus extincta sit, ita ut ne in Mirabilium quidem libro eiusque commentis saeculo XIV scriptis nomen eius redintegratum sit, primus ut videtur Blondus Flavius Romae inst. 2, 72 ss. Graecostasin *in montis Palatini angulo contra Antonini et Faustinae uxoris* fuisse, comitium autem *in foro romano inter turrim quae Pallara appellatur et lacus Curtii locum* (quem dixerat e regione esse SS. Cosmae et Damiani templum, *collisque Palatini quem foro imminere videmus radices et Faustinae monumenta.* turrim illam dictam *Pallara* fuisse ad s. Mariae in Pallara ecclesiam, quae fuit in Palatio prope arcum Titi (v. Top. 2, 509), satis certum videtur. ac de Graecostasi quidem persuasit Albertinio f. XVIII^r ed. Maz. at quae eodem quo Blondus tempore Poggius scripsit de var. fortunae lib 1 p. 21 (ed. Paris. a. 1723) ex parte tantum intellego: *forum esse porcorum bubalorumque diversorium comitium serendis oleribus cultum. extat tamen comitii portio quaedam murorum insigni structura, in quibus adhuc duo signa marmorea togata in summo*

collocata sunt. scilicet utrum muros 'aedificii incerti' (ita nuncupavi) an aedium palatinarum significaverit, mihi non constat: utut est apparet Poggium quoque comitium eidem regioni tribuisse cui tribuit Blondus. — examinatis igitur his testimoniis nemo opinor Dutertio plauserit qui arcum Fabianum, quem Fabiani dicit, in latere aedis d. Iulii ei viae imposuerit quae a Faustinae templo ad arcum Severi tendit (Le Forum t. III. IV). quid quod nuper postquam ea pars eruderari coepta est apparuit ne vestigium quidem arcus triumphalis ibi extare. at ne ibi quidem reliquiae eius comparuere ubi eum fuisse hucusque demonstratum est (cf. ad n. 25). aut igitur totus aevo infimo destructus eiusque saxa quaedam eodem loco ad extruenda alia aedificia adhibita sunt, aut stetit paulo ultra eum limitem quem hoc anno 1876 eruderationi factum indicavi in forma: utrum sit verum licet diiudicari non possit, hoc tamen praetulerim eo quod *templum Fabiorum* in libro Mirabilium iuxta templum Faustinae commemoratum fornicis memoriam etiam tum superstitis continere nunc quoque mihi videtur (Top. 2, 476. 482). — denique nescio an fornicis structura atque ornamenta redintegrari possint. certum est inscriptionem primariam bis, hoc est in utraque fornicis fronte scriptam fuisse, item certum videtur trium Fabiorum titulos (*B*) ad statuas super impositas pertinuisse — quae quo artificio factae fuerint ea de re post inventam nuper tibicinis statuam Esquilinam coniectura capi potest; — denique 'scuta' et 'signa victoriae', quae vidit Fabricius, qualia fuerint docent similis generis anaglypha arcus superstitis Arausiensis a Caristio publicati et incerti nunc perditi, cuius imaginem saeculo XVI factam editam habes Archaeol. Zeitung a. 1872, 9 ss. (cf. Jahresbericht 1875 p. 760).

Devenimus ad eum locum qui est de pristina sede templi Vestae Regiae fastorum consularium atque triumphalium: de quo identidem significavi ne nunc quidem posse certa ratione iudicari. esse templi Vestae fundamenta rotundam substructionem eam quam in forma mea vides e regione templi Faustinae positam non nego; cur negem certo constare esse templi Vestae dixi Jahresber. 1875 p. 772. neque aliud quid probant decantatae illae virginum Vestae bases honorariae quam fuisse atrium Vestae circa ea loca ubi si audias scriptorum testimonia non potest non fuisse, sub angulo montis Palatini in forum verso sive circa aedem S. Mariae Liberatricis (cf. ad n. 93—107), non ut nuper placuit Dutertio, ante substructionem illam rotundam versus templum Faustinae: v. quae dixi Jahresber. 1876 p. 173. itaque non longe a pristina sede abstracta basis anathematis alicuius olim in atrio, opinor, illo conlocata et reperta, si Caninae verba recte intellego, inter basilicam Iuliam et aedem Castoris (n. 53 [*Ve*]*stae donum pro salute Iuliae Aug*(*ustae*) *matris M. Antonini Aug*(*usti*) *n*(*ostri*) cett.).

Atrium illud in annalibus annorum 542 et 543, quibus usus est Livius 26, 27, 3. 27, 11, 16, *atrium regium* dictum esse constat — secundo enim loco quod traditum est *atrium regiam* qui defendunt rem ineptam nec latine dictam tuentur — unde, ut cetera taceam, efficitur ut templi Regiaeque atrium idem fuisse existimandum sit. templo igitur Vestae Regia contigua erat.

quod aedificium arsit denuo a. 606 teste Obsequente c. 19, tertio ante a. 718 quo a Cn. Domitio Calvino auri coronarii ex victoria Iberica accepti parte magnificentius instauratum est. hoc enim anno triumphi acti, non anno victoriae reportatae 715 dedicationem factam esse Dionis verba 48, 42 indicare videntur: *τό τε χρυσίον τὸ παρὰ τῶν πόλεων ἐς αὐτὰ εἰωθὸς δέδοσθαι ἐκ μόνων τῶν Ἰβηρικῶν ἔλαβε καὶ ἀπ᾽ αὐτῶν τὸ μέν τι ἐς τὴν ἑορτὴν* — nimirum *τὴν τῶν ἐπινικίων* — *ἀνάλωσε τὸ δὲ πλεῖον ἐς τὸ βασίλειον. κατακαυθὲν γὰρ αὐτὸ ἀνῳκοδόμησε καὶ καθιέρωσεν ἄλλοις τέ τισι λαμπροῖς κοσμήσας καὶ εἰκόσιν ἃς παρὰ τοῦ Καίσαρος ὡς καὶ ἀποδώσων ᾐτήσατο.* eodem anno idem *de manibieis* dedicavit eam basin quodque ei impositum fuit quam inter rudera areae quam dicunt Palatinae *paucos abhinc annos* effossam testatur Henzenus huius ephemeridis tomo primo p. 215, *nel gennajo* 1868 Lancianius Viscontiusve libri de Palatino p. 120: tacent, ut videtur, Acta P. Rosae. L. Munatium Plancum constat paucis ante annis (711) Saturni aedem refecisse post triumphum ex Gallia actum; eiusdem basis *de manib(iis)* anno sequente dedicata *prope arcum Severi,* si fides Torrigio Pighioque, hoc est prope aedem ab eo refectam reperta est (v. Syll. n. 126). horum exemplorum similitudo eaque tanta, ut lac lacti non similius dixeris, me movent ut sumam quod Henzeno parum probabilitatis habere visum est, primitus illam Domiti basin stetisse in atrio Regiae ab ipso refectae una cum similibus, quibus *εἰκόνας* illos ab Octaviano acceptos imposuerit. unde quod in Palatinae domus aulam areamve pervenit non mirum: nam cum constet Augustum e Regia migrasse in Palatium, palatina domus utpote pontificis maximi eis ornamentis digna iudicari potuit quibus vetus Regia olim utebatur. — Regiam Domitianam qui admodum exiguam fuisse putant Ovidianis certe carminibus Trist. 3, 1, 27 ss. (ubi *regia parva Numae*) rem suapte natura vix credibilem male defendunt. quid quod ne vetus quidem Regia, quippe quae et tabularium sat magnum et sacraria supellectili sacrorum publicorum referta (de quibus dixi Top. 2, 271 ss.) continuerit intra fines angustos coartari potest. his rebus nunc quoque prohibeor quominus sine ulla dubitatione eorum opinioni subscribam qui fastos Capitolinos ab a. inde 742 marmoreis Regiae Domitianae parietibus inscriptos esse contenderunt. nam — ut repetam quae exposui Hermae 7, 269 s. non intellecta ut videtur ab Ottone Hirschfeld ib. 9, 99 sq. — parastatarum marmorearum, quibus triumphi inscripti fuere, ea est altitudo (m. 3, 38), ut etiamsi podii trabeationisque quod eis conveniat addideris, parietum aedificiive altitudinem sane perquam pusillam effeceris: his autem rationibus hominem artis peritum Lancianium ductum videri significavi ut fastos potius operi scalarum templi Castoris inscriptos coniecerit, cuius altitudini parastatae illae conveniant. neque vero hanc coniecturam tanquam certam aut tum probavi aut nunc probo: hoc sustineo, neutiquam de Regiae parietibus fastorum memoria conscriptis decisum esse prius quam architecti harum rerum periti totam quaestionem ad artis legem pertractaverint. ego quod ad rem pertineat vix quicquam addere possum praeter ea quae hucusque disputavi. nam etiam post inventa his annis nova fastorum fragmenta res eo redit, ut, quoniam

plurima eorum annis 1546 et 1547 ad latus meridionale templi Castorum inventa sunt (v. ad n. 69), ibidem alia tempore Feae aa. 1816. 1817 (n. 69. 70) et unum anno 1873 (n. 72), quod ipsa exiguitate huius diligentiam fugerat, at pauca locis non longe inde remotis, tria non longe a basilica Iulia versus aedem Antonini a. 1872 (71), aliud ante hoc templum a. 1876 (81), aliud eodem anno inter idem aedemque divi Iulii (79), eam ob causam aedificium antiquum illud, quod possit fuisse Regia atriumve regium, extitisse inter templum Castoris et ecclesiam S. Mariae Liberatricis sumendum sit. quod aedificium dirutum sit oportet aut totum aut maximam partem ante annum 1546, cum praesertim si recte Fiorellii verba intellexi, fragmentum n. 76 aedificio ultimis imperii romani temporibus vel ineunte media quam dicunt aetate facto insertum fuerit.

Collegii sacerdotum quod in aede Iovis Propugnatoris in Palatio consistebat fastos ibidem olim propositos esse dixeris: at reperta sunt fragmenta duo eorum in basilica Iulia aa. 1849. 1871 (n. 38. 39), tertium Poggii aetate extabat in ecclesiae S. Martinae (n. 19). etiam fastorum augurum fragmentum in foro repertum est: neque vero certo constat utrum inter templa Faustinae et Castoris an in area fori iacuerit (v. ad n. 75). praeterea kalatorum pontificum et flaminum album e basilicae Iuliae ruderibus (n. 37), item magistrorum collegii tibicinum qui sacris p. r. apparebant haud procul a columna Focae sed inserta aedificiis medio aevo ibi extructis, ut quo loco antiquitus steterit, non compertum habeamus (v. ad n. 151). ab his ut ordiatur oratio, Mommseni opinionem Bull. d. i. 1873 p. 42 significatam probare non possum, stationem scholamve tibicinum vicinam Palatio eam ob causam videri fuisse quod nostra basis nimirum Iovi Epuloni sacra in foro, altera (Or. 1803) ab eiusdem collegii magistro dedicata *numini domus Augustorum, Victoriae sacrum; Genio collegii tibicinum romanorum* cett. ad arcum Constantini, tertia (Or. 2448) ipsi collegio ab immuni perpetuo dedicata ad septizonium inventae sunt. nam, ut certum sit, quod non est, nostram basin in foro dedicatam esse, non video quid tali dedicatione Iovi Epuloni in foro facta de eorum qui dedicaverint sive schola sive statione probetur. idem pertinet ad kalatorum nomina saxo marmoreo inscripta (n. 37), idem ad *decuriones a co(n)s* (?) tituli n. 52. et sciendum utrumque e basilicae Iuliae ruderibus prodisse, proxime repertum esse titulum praetoris M. Cispii (32): quae monumenta possunt in porticibus basilicae postea magnificentius omni statuarum genere ornatis (n. 28 ss. 33 ss.) remansisse inde ab antiquo tempore. sed ne huic quidem coniecturae multum tribuerim quoniam in angulo basilicae eo cui S. Mariae Gratiarum ecclesia inaedificata fuit fragmenta marmorea ad calcem faciendam undique congesta reperta sunt. itaque Palatini quoque collegii auguraliumque fastorum paucula illa fragmenta in eam regionem forsitan ad eundem usum asportata sint, de Palatino monte illa, haec aut de Capitolio aut de Regia: nam ubi constiterit collegium augurum ignoro; in arce mansisse non videtur.

TITVLI.

I (1—22). In latere occidentali et septentrionali[1]).

1 = C. I. L. 6, 937. — In epistylio octo columnarum ordinis ionici quae sunt aedis Saturni ad forum:

senatus populusque romanus | incendio consumptum restituit

fortasse haud procul fuit basis n. 126.

---

2 = 102. — In fragmentis epistylii porticus detectae a. 1834 sub tabulario. nunc cum ipsa porticu restituta loco antiquo.

deorum c]onsentium sacrosancta simulacra cum omni lo[ci totius adornatio]ne cultu in f[ormam antiquam restituto] | uettius praetextatus v. c. pra[efectus u]rbi reposuit | curante longeio[. . u. c. c]onsulari.

A. 367 p. C.

---

3 = 103. — Ante a. 1543. 'SVB Concordiae templo' [h. e. Saturni] 'in capite fori dum fossores altius terram moliuntur invenere locum cuius antae cum epistyliis marmoreae efficiebant VELVTI PORTICVM VEL APOTHECAS TREIS in quibus consisterent qui publica acta notarent ac publicarent, ut ex titulis coniicimus; nam uno . . .' (v. infra) Marlianius (1543) 2, 10, a quo pendet Faunus (1549) 2, 10, possunt pendere G. Fabricius (1550) p. 137 ('. . TRIPLICIS PORTICVS fundamenta superioribus annis effossa constat': duce Marliano illo tempore se Romae antiqua monumenta perlustrasse testatur in praefatione libri), Lucius Maurus (1556) p. 20 ('come tre botteghe'). — 'La fascia o architrave è stata a' tempi, nostri rovinata tutta a fatto e portatene via le pietre' ed a. 1552 Faunus (qua editione careo). titulos qui ex ipsis lapidibus transcripsit Metellus (Romae commoratus aa. 1545—1555) de loco nihil testatur; qui lapides non possunt ipsi vidisse Manutius atque Ligorius repertos dicunt 'PRESSO L'ARCO DI SETTIMIO': putatur ille sua Gentili Delphinio debere, hic a quo pendeat videtur ignorari. — sed de aedificio paulo accuratius disputandum priusquam inscriptiones eius transcribam. itaque inde a Bunseno (a. 1836) creditur cellas concameratas, quae sunt sub area porticus deorum Consentium, esse 'apothecas' illas a Marliano visas; sunt

---

[1]) Sciendum me nunc quoque ut feci olim (Hermae 7, 268) latera fori minora occidentale (sub Capitolio) et orientale (versus arcum Titi), maiora septentrionale (a S. Martina ad Faustinam) et meridionale (a Saturni templo ad Vestae) nuncupare, in Actis autem manu scriptis (q. d. 'Rapporti') 'orientale' latus vocari quod nobis septentrionale est. — ordo inscriptionum is est ut primum (I. II) quae in ambitu fori, dein (III) quae in ipsa area aut repertae sint aut extent enumerentur. praeterea moneo syllogen me composuisse m. Septembri 1876, rectractasse m. Februario a. 1877, commentarium absolvisse 1 Ian. a. eiusdem.

autem numero septem (tres noverat Bunsenus) altae plus minus m. 3,0 ac fere luce privatae (v. imago phot. apud Parkerum For. pl. IX), praesertim cum templum Vespasiani alte substructum et angiportus angusti spatio diremptum obstiterit; ut nesciam quomodo in his cryptis caliginosis atque depressis scribae librarii consistere potuerint. nec potest ante ostia earum porticus scholae fuisse, quippe quae in viam ut dixi angustam pateant nullo tempore pilis columnisve conlocandis aptam. itaque ne hoc quidem Dutertio (Forum p. 12) concedam in cellis illis septem *imagines argenteas deorum septem* (tit. c) collocatas fuisse nisi has quas exposui rationes redarguerit. — quodsi quaeras ubi scholam fuisse equidem existimem, fateor me dubitare an omnino Marlianii et Manutii testimonia quae sunt 'SVB templo' Saturni, 'presso l'arco di Settimio' iure putentur ad locum revera nec sub templo neque ad arcum situm pertinere. — titulos sic dedit Marlianius (cuius exemplo potiorem ceterorum discrepantiam inseram): 'nam VNO EPISTYLIO INTERIORI PARTE legimus hunc' (titulum):

(a) *c. auillius* (sic Man., *auilius* ceteri) *licinius trosius curator* | *scholam de suo fecit* (*refecit* Man.) |

(b) *bebryx aug. l. drusianus a. fabius xanthus cur. scribis librariis et praeconibus aed.* (*aedil.* ceteri) *cur. scholam* | *ab inchoato refecerunt marmoribus ornaverunt uictoriam augustam et sedes aeneas et cetera ornamenta* | *de sua pecunia fecerunt* (*faciunda curaverunt* Manutius, deficiunt Met. Ligor.: v. infra)

extra vero in eodem epistylio erat hic titulus

(c) *bebryx aug. l. drusianus a. fabius xanthus cur. imagines argenteas deorum septem post dedicationem scholae* (*post d. s.* om. Man., *rum septem p. d. s.* om. Ligor.) | *et mutulos cum tabella aenea de sua pecunia dederunt* (*fecerunt* Met.)'.

his accedit titulus a Marlianio omissus, transcriptus a Metello ceterisque:

(d) *a. fabius xanthus bebryx aug. l. drusianus cur. scholam* e. q. s. congrua verbis tituli b usque ad *ornamenta dederunt*:

in quo titulo hoc mirum, quod cum sit plane geminus titulo b praeter inversum ut assolet in repetitione ordinem nominum conlegarum, ultima verba sola dicuntur differre; deinde suspicionem movet quod Metellus atque Ligorius (vide tamen ne hic ab illo pendeat id quod tenor tituli c ab utroque similiter truncati mihi certe innuere videtur) eum integrum exhibent, omittit totum Marlianius, ex Manutiano autem exemplo talia referuntur

A · FABIVS · XANT//////

AB · INCHOATO · REFECIT///////IBVS · AEDIL · CVR · SCHOLAM

contra integrum habent Marlianius et Manutius titulum b, dimidiatum Metellus cum Ligorio (qui tamen binis vocabulis v. 1 auget uno v. 2 privat) in hunc modum

BEBRYX · AVG · L · DRVSIANVS · XANTHVS
AB · INCHOATO · REFECERVNT · MARMORIBVS · ORNAVERVNT · VICTORIAM AV

non minus suspiciosa sunt testium de sede fragmentorum verba. inspectis autem, quas Bormannus mihi transmisit, schedis C. I. L. iam paulo certe commodiore ratione lectori dissensum eorum subicere licet. Marlianii Metelli Ligorii verba ex schedis transcripsi, Manutiana, quae in his non repperi, ex C. I. L.

Marlianius: 'uno epistylio interiori parte': *a b*, 'extra vero in eodem epistylio': *c*

Metellus: sine praescripto: *a*, *c* usque ad v. DE 'a tergo epistylii' ORVM — FECERVNT, 'extra in eodem epistylio': *d* usque ad PRAECON 'in alio latere' IBVS — DEDERVNT, 'in alio': *b*

Ligorius: 'in frammento di architrave': *a d*, 'lato esterno': *b*, 'lato interno': *c*; ita in Neap., idem in Par. sine praescr.: *a*, in eodem epistylio': *b c d*.

Manutius: in eodem epistylio ab interiore parte: *b*, ab exteriore: *c*, 'di sopra': *a*, cui addit frg. *d*.

iam licet videar mihi quendam testimoniorum Marlianii Manutiique et Metelli Ligoriique consensum animadvertere — nimirum illi *a b* titulos interiori, *c* titulum exteriori parti epistylii, hi *a b* titulos diversis eiusdem epistylii partibus adsignare videntur — tamen neque Metelli verba satis intellego nec prius rei adhuc plane obscurae explicationem posse felici eventu temptari puto quam de propagine apographorum quaesitum fuerit. videant igitur quibus ea de re iudicium competit si forte ultra prodire datum sit. integros vidisse titulos illos Marlianium Metellumve equidem non crediderim.

---

4 (ined. ?). — In una de tribus tabernis (v. n. antec.) hoc anno iacebat fragm. marm. litteris pessimis, quod descripsi.

O R F R

---

5 = 938. — Saeculo octavo in epistylio aedis Vespasiani de qua supersunt tres columnae ordinis corinthii cum parte epistylii, ab anonymo Einsiedlensi lecta, nunc ex parte superstes; fuit:

diuo uespasiano augusto s. p. q. r. | *imp. caess. seuerus et antoninus pii felic. aug*[*g.*] *r*ESTITVER

---

6 = 1019. — A. 1834? Parvus cippus marmoreus rep. 'sotto il palazzo di Campidoglio verso il foro' Amatius; 'entre se temple' (Vespasiani) 'et celui de la Concorde' Bunsenus Ann. inst. 1834, 24; nunc in mus. Cap.

diuae piae | *faustinae* | *uiator q.* | *ab aer. sat*

a sin. urceus scalpro deletus, a d. patera.

7 = 342. — 'Fragmentum cippi marmorei litteris parum pulchris rep. sub tabulario' Sartius.

*h*ERCVLI TIBVRTINO E*t*
TVS · ASINIVS · PANARIS *tus*
· IDEMQVE · STATIONEM

8 = 974. — A. 18..? 'Fragm. tab. marm. litteris magnis aere olim incrustatis repertum sub templo Iovis tonantis' (h. e. Vespasiani) Sartius; extat in mus. Capit.

s. p. q. R	0,130
imp. caes. diui traiani PARTHICI F	0,110
*diui neruae n. traiano ha*DRIANO AVG	0,085
pont. max. imp. ii trib. pot. xiiii II COS III P P	0,062
*quod summo animi a*RDORE MISSO	0,085
*exercitu ex antlatis lab*ORIBVS MAX*imis*	0,062
*rempublicam ab ho*STE LIBERAVERIT	

A. 135? v. Henzenus.

9 = 1565. — A. 18..? Fragm. tab. marm. litteris aetatis fere Antoninorum rep. 'sotto il tempio di Giove tonante' (h. e. Vespasiani) Sartius; extat in mus. Capit.

IIVM III
*s*ENATVS · LAE · II
NPAGE · IMA
M · BELLO · IVDAE
ae . . QVA LIBVRNI
*c*LASSIS · ORNATV
S · ORAE · MARI
timae . . . . . IARVM · AD

de proelio navali sub Hadriano Piove commisso cogitabat Mommsen.

10 = 89 cum add. — Saeculo octavo in epistylio pronai aedis Concordiae, cuius stylobates extat post arcum Severi ab anonymo Einsiedlensi lectus, nunc periit.

s. p. q. r. aedem concordiae uetustate collapsam in meliorem faciem opere et cultu splendidiore restituit.

Bases tabulaeve quinque (n. 11—16) in aede Concordiae dedicatae ibique inventae a. 1817, sexta (n. 50) et septima (155) aa. 1849 et 1873 repertae sunt locis diversis.

11 = 3675*a*. — A. 1817. Fragmentum basis marmoreae rep. in aede Concordiae: 'facendo eseguire lo scavo colla massima attenzione ... finalmente si sono ritrovate giovedi scorso 31 luglio due iscrizioni votive in lastre di marmo' (v. nn. ss.) .. 'una terza iscrizione si era trovata prima più piccola ...' Fea Varietà p. 90.

\L CO
CON C *ordiae*

---

12 = 90. — A. 1817. Tabula marmorea rep. 31 Iul. in aede Concordiae (v. ad n. 11), 'lunga sopra tre palmi, alta circa uno e mezzo, larga meno di mezzo con sua cornicetta, stata affissa al muro, come si scorge da due perni di ferro in cima ancora attacatavi' Fea l. c. p. 93; extat in mus. Cap.

m. artorius geminus | *leg. caesar aug. praef. aerar mil* | *concordiae*

---

13 = 93. — A. 1817. Tabula marmorea rep. 31 Iul. in aede Concordiae 'di meno belli caratteri tutti uguali ma alquanto più piccoli dell' altra, incisa parimente sopra lastra scorniciata già affissa al muro lunga un palmo e mezzo circa, alta poco meno il pezzo che resta'. Fea l. c. p. 94; extat in mus. Cap.

leg. aug. pron. I V S I T ANIAE
cos. DESIGN
pro S *A* L VTE · TI · CAESARIS
A V GVSTI · OPTIMI · AC
IVSTISSIMI · PRINCIPIS
CONCORDIAE
AVRI · P · V
ARGENTI · P · X

---

14 = 94. — A. 1817. Fragmentum tabulae marmoreae rep. in aede Concordiae. 'Venerdi della scorsa settimana [19 Sept.] nello scavo della Concordia sotto il tabulario si è ritrovata una quarta iscrizione votiva, piccola, ma tanto frammentata, che non se ne può capire il contesto ...' Fea l. c. p. 105; extat in mus. Cap.

. . . .
PROC
CONC *ordiae d. d.*
AVRI · P · V *argenti p. x.*

v. 1 PROC Borm. qui descr., PRO · C Fea.

15 = 2304. — A. 1817. Fragmentum calendarii 'oltre le iscrizioni spettanti alla Concordia fu trovato poco distante dalle medesime il seguente frammento in lastra di marmo grossa 3 once alta 8 larga 5 di un calendario di ottimi caratteri alti circa due terzi di oncia e coloriti in rosso . . .' Fea Varietà p. 105; latitare videtur.

. . . .	A . .
. . B	C . .
. . C	C . .
. . D	. . .
. . E	. . .
. . F	. . .

---

16 = 91. — A. 1824? Basis marmorea 'reperta in aede Concordiae . . nunc frons deserta extat in museo Capitolino' Henzen.

q. coelius l. f. pr. | *aed. pl. cer.* | *pro pr. ex s. c. q.* | *ex uoto suscepto* | *pro incolumitate* | *ti. caesaris divi aug. f.* | *augusti* | *pontific. maxim.* | *concordiae d. d.* | *[a]uri p. xxu*

---

17 = 2001. — A. 1824. 'Fragmentum tabulae marmoreae rep. a. 1824 sub Capitolio cum dux Blacas legatus Francogallorum aedem Concordiae effodiendam curaret' (ita Melchiorrius), continens fastos collegii sacri, quod esse sodalium Antoninorum propterea creditur, quod hi *in aede divi* [*Pii*], ut est v. 2, convenire consueverint. verba non ascripsi.

---

18 = 1718. 'In ecclesia Sancti Martini' (corr. Sanctae Martinae) 'iuxta Sanctum Hadrianum' Poggius ibique viderunt testes s. XVI omnes ('in hemicyclo chori S. Martinae' Smetius, 'in maiori capella S. M.' Albertinus): periit.

saluis dominis nostris honorio et theodosio uictoriosissimis principibus | *secretarium amplissimi senatus quod uir inlustris flauianus instituerat et fatalis ignis absumpsit* | *flauius annius eucharius epifanius u. c. praef. urb. uice sacra iud. reparauit et ad pristinam faciem reduxit*

Epifanius praef. urbis a. 412, de Flaviano nihil constat.

---

19 = 2004. 'In lapide fracto in ecclesia Sanctae Martinae prope Capitolium' Poggius. est fragmentum fastorum collegii sacerdotum 'in Palatio in aede Iovis Propugnatoris' consistentium pertinens ad aa. p. C. 180—200.

20 = 470. 'Fragmentum tabulae marmoreae ... in aede divae Martinae' Smetius; 'litteris semipedatibus in tabula marmorea ingenti' Pighius, 'litteris unciarum 9' Bianch., 'litteris inferioris temporis nempe Diocletiani' Cittadinius. — in vinea pontificis Clementis VIII, olim Aldobrandinorum, viderunt Pighius et Cittadinius: periit.

s]*enatus populusque r*[*omanus*] | *libertati*

---

21 = 1794. 'In ecclesia S. Hadriani in foro Romano' Cittadinius qui solus descripsisse videtur. periit.

† *sal*VIS · DOMI*no n.*
AVGVSTO · ET · GL*oriosissimo rege*
THEODERICO · VA...
EX · COM · DOMEST*icorum*
IN · ATRIO · LIBER*tatis*
QVAE · VETVS*tate squalore*
*q*VE · CONFEC*ta erant*
*re*FECIT

sic Henzenus. sed vide quae dixi Formae urbis p. 32.

---

22 = 1147. In epistylio columnarum in aede rotunda, quae est ante basilicam SS. Cosmae et Damiani; vidit Panvinius, delineavit Ligorius. vide Rossius Bull. crist. 1867, 61 ss. — Panvinius legit:

ab altera parte	*ab altera*
CONSTANTIN	MAXIMO ... ME ...

explevit Rossius [*imp. Caes. fl.*] *constantin*[*o*] *maximo* [*triu*]*mp*[*hatori* vel [*se*]*mp*[*er uictori augusto s. p. q. r.*

II (23—107). In latere meridionali et orientali.

23—26. Putantur pertinere ad arcum Tiberii qua de re v. supra p. 263.

23 = 906*a* — A. 1835? Ingens fragmentum marmoreum effossum sine dubio ibi ubi nunc extat, ad posticum templi Saturni. ubi dimensus sum et descripsi. altum 1,40 largum (parte infima) 0,82 crassum 0,70, litteris olim aeneis.

///o///	0,25
P O N	0,25
O R I B V	0,20
V T O · C	0,20
A M · IND	0,20

v. 2 ultimam N fecit Henzen: nunc praeter hastam nihil superest. v. 3 O dedit Henzen: nunc vix apparet margo litterae. v. 5 A dedit Henzen: nunc praeter pedem litterae nihil superest. — modulum litterarum v. 2—5 Henzenus 0,19 esse indicavit. puto me satis accurate dimensum esse.

24 = 906*b* — A. 1835? Fragmentum marmoreum repertum ibi ubi n. 23. fertur extare ad t. Saturni, ubi non inveni.


O M A N	0,19
M V M	0,16

25 = 906*c*. — A. 1818. Ingens fragmentum marmoreum quod nunc fertur iacere ad t. Saturni, ubi non inveni. 'mi fa sospettare l'esistenza di qualche grande edifizio dietro a queste due colonne verso la Consolazione' (dicit columnas basesque latericias ad 'viam sacram' prope columnam Focae tum detectas) 'il frammento di una grande iscrizione in marmo ivi ritrovato largo circa 3 palmi in ogni verso e altrettanto profondo con lettere quasi quadrate di buona, ma non della miglior forma ricavate nella pietra senza metallo ...' Fea Varietà di notizie p. 72: idem mensuras litterarum addidit. postea descr. Kellermann Bull. 1835, 35 et Henzen, quem sequor, quoniam describere non potui.

	Fea, unc.	Kellerm. unc.	Henzen, metr.
QVI · IN	9	$10\frac{1}{2}$	0,19
	2 >		
LVMIN	$7\frac{3}{4}$	$8\frac{1}{2}$	0,16
	2 >		
QVE · SVM	9	$8\frac{1}{2}$	0,16
	2 >		
RECIP	$8\frac{1}{3}$	$8\frac{1}{2}$	0,16
	pal. $3.4\frac{1}{12}$ = m. 0,73		

litteras a parte sinistra fracturae integras dedere Fea et Kellermann (nisi quod hic R tunc vix agnosci testatus est); v. 3 ultimam M faciunt Kellermann ('potius M quam N') et Henzen, N Fea. — Coniunxit Kellermann cum n. 26. v. Comm. l. c. — 26. 27 ad basilicae Iuliae inscriptionem pertinere iniuria putantur. cf. n. 27.

26 = 1269. — A. 1835. 'Ingens saxum marmoreum epistylii ut videtur litteris permagnis rep. a. 1835 ad forum in basilica Iulia' Kellermann Bull. 1835 p. 35. extat prope columnam Focae. longum est m. 2,43 (dimensus est Droysen). fuit aeneis litteris nunc sublatis.



sque romanus

Kellermannus l. c.: 'di questa basilica non ha guari si è trovato un tronco di marmo lungo palmi 10 oncie 5 appartenente all' architrave e precisamente a quella parte del medesimo che conteneva il principio dell' iscrizione scolpitavi cosi rilevandosi dalla disposizione degli ornamenti architettonici come dalle lettere stesse intagliate nel marmo, delle quali però in questo tronco non sono contenute che le parti superiori, il resto essendo stato scolpito in un altro tronco, il quale non si è trovato ancora. l'iscrizione dunque non dice altro che . . . le lettere sono incavate nella pietra per contener le cifre di metallo che anticamente vi furono affisse'. addit litteras N et V ad amussim aequare mensuram litterarum fragmenti supra relati n. 25, item marmor esse generis eiusdem.

27 = 3843. — A. 1871? Fragmentum epistylii repertum ut videtur (nam certi nihil adnotatum inveni) in ruderibus basilicae versus aedem Saturni, litteris pessimis; nunc extat sub arcu novicio qui viam a Capitolio descendentem sustinet, ubi descripsi. primus ed. Lanciani Bull. dell' inst. 1871, 246

cur. operum publicorum et aed. SACRARVM · RESTITVTA · ET · IN · M*eliorum statum?*

initio spatium non conscriptum, quod neglexit Lancianius; idem supplevit ut supra additque: 'non so se un pezzo di epistilio su cui è scritto con sottili caratteri . . . appartenga alla basilica, come del resto sembrerebbe richiederlo l'aggettivo femminino'.

28—31 = 1658*a*—*d*. — A. 1554. 1665. 1835. Bases quattuor marmoreae. integrae tres, comminuta una.

28 = 1658*a*. 'in basi reperta a. 1554 IN HORTIS PROPE TRES COLVMNAS' Pighius, 'in via sacra in hortis ablatis Cryptae ferratae iuxta columnam' Sanloutius'. de loco v. n. sq. periit.

in latere sinistro:

(*in fronte est titulus Fl. Claudii Constantini*)

GABINVS VETTIVS
PROBIANVS VC · PRAEF · VRBI — a. 377 p. C.
STATVAM QVAE BASILI
CAE IVLIAE A SE VOVITER
RE PARATAE ORNAMENTO
ESSET ADIECIT

nescio an huius tituli pars sit:

29 = 1658*b*. fragmentum repertum 'al primo scuoprissi della scala della basilica' (ita Kellermann Bull. 1835, 37; 'sotto la colonna di Foca' minus accurate Sartius, ed. C. I. L. n. 1658*d*): licet versuum divisio non ad amussim conveniat. supersunt enim:

A
ASILICA
ER REPARATAE
SET ADIECIT

30. 31 = 1658*a*. *b* gemina praeter scribendi quasdam discrepantias:

GABINVS · VETTIVS
PROBIANVS VC · PRAEF VRB
STATVAM CONLOCARI PRAE
CEPIT · QVAE · ORNAMENTO
BASILICAE ESSE POSSIT
INLVSTRI

quorum exemplorum alterum, quod expressi (30), ubi repertum sit non constat, alterum (31) a. 1665 in S. Hadriani repertum est, 'in un piedistallo quadrato mentre si facevano alcuni fondamenti per la nuova fabrica'. Gualdus.

Propter loci et temporis communionem addo:

32 = 1467. — A. 1553. 'IN HORTIS COLVMNAE MAENIAE' (i. e. Focae) 'ADIACENTIBVS hoc anno 1553 repertum est marmor, in quo sculpta est imago Curtii . .' Marliani in libello cui titulus 'B. Marliani topographiae urbis haec nuper adiecta . . .' s. l. et a. pgg. 12. quod testimonium indicavi Hermae t. VII p. 264. non discrepant testimonia Henzeni: 'tab. marm. effossa in foro Romano INTER ARCVM SEPTIMII ET TRES COLVMNAS MEDIO SPATIO AD DEXTRAM EVNTI PALATIVM VERSVS ubi olim lacus Curtius puteal et pr. peregrini tribunal' Pighius; 'in horto prope aedem D. Mariae de Consolatione' Manutius; 'prope aedem D. Mariae liberatricis' Vacca. — nunc latet titulus muro applicitus in museo Capitolino: imago Curtii adversa conspicitur.

l. naevius l. f. surdinus | pr. | inter civis et peregrinos

anaglyphum si saeculo XVI factum est, ut periti iudicant (Helbig Rhein. Mus. 1869, 478 Matz Bull. dell' inst. 1869, 71) sane marmor ipsum litteratum non potest non ante a. 1553 inventum esse: potest etiam plane alio loco inventum esse, quanquam cur fraus ad loci quoque indicationem necessario pertinere putanda sit — quae est Bormanni sententia — non assequor.

33. A. 1871. Basis marmorea quadrata rep. hoc anno 'presso l'angolo NO. della basilica dalla parte del vico Iugario'. Lanciani Bull. dell' inst. 1861, 245. extat ibidem.

OPVS · POLYCLITi

cum nn. 34 ss. composuit et illustravit De Rossi Bull. mun. 1, 174 ss.

34. eodem? — Basis marmorea praecedenti aequalis ibidem reperta fracta in duas partes, quas Droysen m. Novembri h. a. diversis locis descripsit, Rossius primus coniungendas esse docuit. extat ibi nunc reconcinnata. — ed. De Rossi l. c. p. 176.

oPVS · TIM aRCHI

35. eodem? — Basis marmorea nn. aequalis rep. in canali quodam viae s. Omobuono prope plateam della Consolazione, quam ad basilicam pertinere fortasse recte coniecit Rossius l. c. — ed. ibidem p. 174.

OPVS · PRAXITELIS

36. 'Basis quadrata' Waelsc., 'ante januam domus Alex. Crescentii juxta D. Marci' Donius; periit. ad basilicam pertinere fortasse recte suspicatus est Rossius l. c. p. 177, ubi ed. ex Donio et codd. ms.

OPVS · BRYAXIDIS

37*a*. *b* = 2184. — *a* 'Le ch. Frédenheim commença la fouille le 3 Nov. 1788 dans l'endroit situé vers la S. Maria delle grazie devant la fonderie des cloches et la fit conduire vers les trois colonnes prétendues de Iupiter Stator' [t. Castoris] . . . 'ayant creusé jusqu'à vingt quatre palmes de profondeni on trouva . . un fragment d'une tablè de marbre . .' Oberlin. 'iscr. incisa sopra un grosso sasso con ottime lettere' Marini Arv. 210. — *b* 'Repertum ad viam sacram' solus Pighius servavit.

a) *kalatores pontificum et* | *flaminum* | (secuntur nomina decem)

b) *pote*]*state v. imp. ii* | *cos. iiii p. p.* | *kalatores* | *pontificum* | [*et*] *flaminum* | [*cur*]*atori*[*bus* ('in latere sin. litteris minutis' nomina XXVII).

Fr. *b* pertinet ad a. 101. 102. coniunxit Henzenus.

---

38 = 2009. — A. 1849. Fragmentum magnum fastorum sacerdotum qui in aede Iovis Propugnatoris in Palatio consistebant pertinens ad annos 197—238 p. C., repertum hoc anno inter rudera basilicae; ed. primus Henzen Bull. 1849, 133.

---

39 = 2008. — A. 1871 fragmentum eorundem fastorum ibidem repertum. — tertium v. in ecclesia S. Martinae.

40—46. In pavimento gradibusve basilicae Iuliae scarifata.

40 = 248. — A. 1853. 'Saxum magnum pavimento ut videtur olim insertum litteris quinti circiter saeculi neglegenter exaratis rep. a. 1853 ad sacram viam inter clivum Capitolinum et basilicam Iuliam'. videtur pertinere ad basilicam. — descr. Henzen, Brunn, De Rossi (ut ridiculus sit qui hos viros errasse insimulet F. Gori Edifici Palatini p. 56). non vidi.

a

phallus ORFITE *phallus*
CINEDE QVI
sic *b*IS PROMISITI PEDI
CARE ET NON BITI

b

GENIVS
POPVLI
ROMANI
DAR E

a 4 *non vis te dare* interpretatus est Bethmann. — *b* genium populi romani aureum vicinum respicit.

41. — A. 1871. In lapidibus tiburtinis, quibus ambulacra basilicae strata sunt, multae inveniuntur tabulae lusoriae, numeris repletae quas praetermittimus: edentur enim cum sui similibus aliis ab homine docto propediem. transcribam tamen quotquot inveni verba inscripta et tabulis quas dixi et similia aliis figuris. inedita sunt nn. 42—46.

in ambulacro partis occidentalis (si recte memini):

///INCIS GAV	*de*	S PERDES PLANGIS
//////		///
		C
		X
		C CCO
LARMA		/S ⊢ ET RECIDE

sequuntur versus non conscripti v, in ultimo sexto extat C. — vs. 1 solum edidit Lancianius Bull. Inst. 1871, 242, legitque initio BINCES. non spondeo me ultimi versus prima recte dedisse.

42. Ibidem in ambulacro lateris meridionalis circulo inscriptum (descripsi):

A L B ꓥƧ

43. Ibidem inter pilas intimi ordinis lateris orientalis a Capitolio septimam et octavam (descripsi):

A L L/I Ꞇ E S ?/
OMI/N A

44. Ibidem paulo propius Capitolio (descripsi):

phallus
I S T

45. Ibidem in gradu secundo scalarum quibus a 'via sacra' ascenditur circulo inscriptum (descripsi):

MENOTꟽ'OP CꓥRO
ex ORACVLC

titulos 'ox oraculo' ibi vicinos respicit v. 2, dei deaeve nomen an lateat v. 1 non assecutus sum neque assecutus est qui mecum iterum inspexit Henzenus.

46. — A. 1871. Non alienum erit enumerare aliquot imagines simili artificio pavimento inscriptas quas hoc a. 1876 descripsi:

prope angulum qui Palatinum spectat vir rudi arte factus currens hastamque intorquens tunica indutus.


in ambulacro lateris meridionalis equus primis lineis optime adumbratus, stans. fortasse qui fecit equestrem aliquam statuam vicinam respiciebat.

in ambulacro lateris orientalis caput humeri bracchia viri armati dextra coronam sinistra hastam tenentis.

---

47. — A. 1871. In pavimento basilicae 'una delle lastre adattate a questo scopo' (de refecta infimis temporibus basilica loquitur) 'conserva le seguenti traccie di una iscrizione monumentale' Lancianius Bull. Inst. 1871, 243 qui plenius ed. quam Pellegrinius ib. p. 131. sunt fragmenta duo longa alterum (*a*) 0,61 alterum (*b*) 1,20 quae eodem loco denuo et accuratius ceteris descr. Droysen descripsit mensurasque exegit.

a *b*



0,13 post a. 193

a. b. v. 1 sic Droysen: ATOPA · K | AICAPA Pell., ATOPAMKAICAPA Lanc. — *b.* 2 *αϛ* non viderunt Pell. Droys., AC Lanc. — *b* 3 extr. ЄYC Droys. solus vidit, item apices incertos v. 4.

---

48 = 917. — A. 1849. 'Basis parva marmorea reperta a. 1849 in basilica Iulia, nunc in repositis musei Lateranensis' Henzen Bull. 1849, 140.

pro sa]lute r[editu] | uictoria | [ti. cl]audi caesa[ris | au]g. germanici [pon]t. max. tr. pot. ui [imp. xi | cos. iii] cos. desig. iiii [pp. | e]x voto susc[epto | uet]uria q. f. [ex] auri p.

A. 46 p. C.

---

49 = 904. — eod. 'Basis parva marmorea rep. vere a. 1849 in basilica Iulia nunc in repositis musei Lateranensis' Henzen Bull. 1849, 140.

ti. caesari diui | augusti f. | augusto pontifici | maximo principi | optimo | c. geminius q. f. cam | atticus | auri p. u. | argenti p. u.

50 = 92 cum add. — eodem. 'Basis marmorea nuper reperta in basilica Iulia'. ed. Henzen Bull. 1849, 140 et conl. ms. Caninae Bull. 1853, 182; cf. Momms. C. I. L. 3 p. 588; nunc est in museo Kircheriano.

p]ro salu[te] | ti. caesaris au[gusti] | pontificis ma[ximi] | concordiae | m. hordeonius . . . | procurator reuersus | et provinc. nar[bonens] | auri p. u. argenti p. . . .

---

51 = 856. — eodem. Cippus marmoreus; 'trovato negli scavi del foro romano questa settimana' 22 Sept. 1849 Sarti; descr. De Rossi et Henzen; latitare videtur.

. . . . *cu*
RAVIT · DE*d*
III · K · MART
PRAESENTE · ET · RVFEN
COS

A. 153 p. C.

---

52 = 1220. — A. 1849. 'Fragmentum basis marmoreae repertum a. fere 1849 in ruderibus eius partis basilicae Iuliae quae prope clivum Capitolinum est'. Henzen. extat in basilica Iulia, ubi descripsi.

in latere primario:

DECVRIONES A COS

(sequitur laterculus nominum quattuor columnis comprehensus)
in latere primarium aspicienti sinistro litteratura recentiore:

censurae ueteris | [p]ietatisque singularis | domino nostro.

---

53 = 786. — A. 1853. Marmor quadratum rep. 'nell' estremità meridionale dell' antica basilica Giulia . . lungo la via traversale che dal foro stesso dava accesso alla via nuova', Canina Bull. 1853, 117; nunc in repositis Laterani.

ue]stae donum pro salute | iuliae aug. matris | m. antonini aug. n̄. p. m. | eutyches fictor cum filiis | uoto suscepto

---

54 = 1766. — A. 1849. Fragmentum tabulae marmoreae repertum in basilica Iulia: fr. *a* nunc extat in repositis musei Lateranensis; ed. Henzen Bull. 1849, 141 rest. Rossius Bull. 1853, 41 (= Or. H. 6430).

a. *ex aucto*RITATE TARRACI BA*ssi u. c. praef. urb.*
*nomina ui*NARIORVM QVI SIBI PECVN*iam*
*con*TRA DISCIPLINAM ROMAN
VINDICARE CONSVEVER

b. VALERIVS | DIIIVM NVNNIVS QVODVVLDEVS . . IFVM

sequuntur nomina octo . . . .
perierunt nomina

55 = add. ad 1128. — A. 1872. Fragmenta duo basis marmoreae alterum (*a*) repertum ut videtur ante a. 1872 in basilica Iulia (locum indicat Henzen), ubi descripsi, alterum (*b*) repertum a. 1872 ante gradus templi Castoris (ita Brizio Bull. 1872, 231) vel prope bases magnas e regione positas, ubi secundum Relationem a. 1873 p. 46 s. reperta est 'un' iscrizione dedicatoria di un qualche monumento a Valentiniano Pio per parte di Flavio Graziano' (certe non novi aliam inscriptionem ad quam haec verba quadrent: v. supra p. 261); idem dein translatum in montem Palatinum, nunc est in museo Kircheriano. ubi cum vidit Mommsenus a. 1876 agnovit esse cum *a* coniungendum. — descr. Henzen quem sequor.

a *b*

CLEMENTI|SSIM|*o ac for*
TISSIMO · I|MP CAE|*s. m. aur.*
MAXIM I|ANO · PIO|*felici*
INVICTO A|VG · PONT|*max.*
TRIB POTE|ST · V · COS III|*p. p.*
TVRRANI V|S · GRATIAN|*us*
~~P R A E F V R B~~

A. 290 p. C.

56. — A. 1871. In basilica Iulia rep. 10 Sept. h. a. inter fragmenta marmorea omnigena medio aevo accumulata in pavimento ad calcem faciendam 'nel centro dell' ultima navata verso ponente' Lancianius Bull. inst. 1871, 255. idem habet Brizio ms. 1872 'presso la colonna di Foca', ubi non inveni.

SD
GVSTOR
ICIA · OMNI
RENTVR

57. — A. 1871. ibidem eodem loco teste Lanciano l. c.

VIC
O · ET · C
IENO

58 = 3868 — A. 1872. 'Blocco di marmo reso informe dalla consumazione' rep. a. 1872 ut videtur haud procula n. sq. (Brizio Bull. d. inst. 1872, 229); nunc extat inter secundam et tertiam basin (a meridie numeranti) ubi titulum et valde detritum et in medio nescio quo instrumento alte cavatum descripsi; recognovit et restituit Mommsenus.

p|RO|*uidentissimo hostium*
de|VICTO|*ri fid*|ISS|*imo dominorum n.*
c|ONSVLTORI ETIAM|*diuini*
mu|NERIS ACNO|*bilitatis participatori*

59 = 3748. — A. 1872. 'Cippo quadrangolare di marmo alto 0,60 larg. 0,63 e prof. 0,70 rinvenuto quasi all' angolo nord-est della basilica' Brizio Bull. inst. 1872, 229. ibidem p. 228 restituit Henzen. nunc ante aedem Castoris ubi descripsi.

*c. c*AESARI A*Vgusti f.*
PRINCIPI *iuuentutis*
PONTIFIC*i cos.*
*sen*ATVS · ET *populus r.*
*dedi*C · P R *idie?*

v. 5 ultima fuit aut R aut P. pertinet ad a. 754 cf. Or. 634.

---

60 (ined.) — A. 1872. Fragmentum basis rep. 12 Apr. 1872 in eruderanda cloaca maxima sub basilica, ut videtur secundum ea quae parum distincte relata sunt Rapporti 12 Apr. 1872. — idem descr. Droysen; ego non repperi.

HELIODO

---

61 = 1127. — A. 1849. Fragmentum basis marmoreae quod nunc extat in basilica Iulia (ubi descripsi) ibique repertum est: v. Bull. 1849, 140.

FORTISSIMO *piissimo*
INVICTISSIM*o principi*
DOMINO NOSTR*o imp. caes.*
MARCO · AVR · Va*l. maximiano*

---

62 (ined.) — A. 1872? Fragmentum marmoreum quod nunc extat in basilica Iulia ibique ut videtur repertum est. descripsimus Droysen et ego.

MIP OTENS LB

---

63 = 3796. — A. 1872? Fragm. quod a. 1872 ego et a. 1876 Droysen in basilica Iulia descripsimus. ubi inventum sit mihi non constat.

SSIMO
OT XII 0,063
P · P
A A

63*a*. Aedis Castorum 'dedicationem' duabus tabulis marmoreis inscriptam effodi vidisse Pomponium Laetum testatur Albertinius. quem tamen falsum esse Commentarii c. I p. 241 demonstravi. item incertum est utrum ad huius aedificii an ad ad aliorum pertineant fragmenta ss.

64 (ined.?). — A. 1872. 'Frammento d'iscrizione con le lettere alte 0,10 molto incavate ed in origine forse riempite di bronzo'. rep. a. 1872 ante gradus templi Castorum. Brizio Bull. d, inst. 1872, 231. frustra quaesivi.

Ē · TR   0,10

---

65 (ined.?). — A. 1872. 'Frammento d'iscrizione monumentale' item aeneis olim litteris, rep. eodem loco ubi n. sq. (ut videtur, quippe die insequenti repertum): Rapporti 9 Nov. 1872.

MP   0,32

---

66 = 1854. — A. 1853—55? 'Fragmentum basis marmoreae litteris magnis et pulchris effossum fere a. 1853—55 in foro romano inter basilicam Iuliam et aedem Castorum, nunc in monte Palatino inter marmora reposita'. descr. Henzen, rest. Borghesi.

in fronte:

ɪ V I
scribae · *ae*D I L · C V R*ul*
*et hon*Ó R E · V́ S I
*a*V C T Ó R E
*imp. cae*S T R A I A N O
hadriano AVG · P · P ·
*quo*D · CERTA · IIS

in latere:

*lo*CV*s* A*dsi*GNATV*s*
*a*CVRATORIB · OPER*um et locorum publicorum*
DEDICA*t* . . .
*l*VCIO · AELIO · CAESAR*e ii p. caelio balbino cos.*

A. 137 p. C.

---

67 = 3754. — A. 1872. Ad angulum frontis aedis Castorum vico Tusco adiacentem, si recte interpretor verba actorum, ('Rapporti' 8 Nov. 1872): 'avanzandosi lo scavo verso la rovina vergine (?) proveniente dalle fabbriche del foro incontro all' angolo orientale della basilica Giulia fra la via sacra ed il vico Tusco'. m. Nov. in foro vidit Droysen, nunc extat in museo Kircheriano. descr. Henzen.

*caes*ARI — D*iui*
*traian*I PARTHIC*i filio*
*divi ne*RVAE · NEPOT*i*
traiano HADRIANO AV*g*
pont. max. tr-I-B-V-N- *pol*

Rapp. v. 1 ИICII 3 NERO 4 AVG 5 *om.*

68 = 873. — A. 15..? 'In marmore pario quadrato long. ped. 9 lat. 3 spiss. 2 effosso AD TRES COLVMNAS templi Iulii' (h. e. Castorum) 'in foro romano' Smetius, Pighius; 'innanzi il portico di Faustina' Manutius. periit.

senatus populusque romanus | imp. caesari diui iuli f. cos. quinct | cos. design. sext. imp. sept | republica conseruata

A. 725.

---

69. — Ante a. 1484? 1546 et 1547. Fragmenta fastorum consularium et triumphalium, de quibus plenissime disputavit Henzen C. I. L. 1 p. 415 ss. tria fragmenta ante Iucundum h. e. a. 1484 per urbem dispersa legebantur, ingens multitudo reperta est inde ab a. 1546 mense Augusto usque ad a. 1547. — de loco Metelli testimonium iure suo Henzenus (p. 416 adn. et p. 421) plurimi fecit: 'in foro romano prope tres columnas'; non discrepant ceteri; Panvinius: 'ante templum Faustinae'; Ligorius cum dicit fragmenta reperta esse ad Ianum imum 'dove la via sagra si spartiva in due strade, nella via nuova e quella che montava già all' antica porta Mugonia del Palatino' significat eum ipsum locum ubi reperta sunt frr. 70 et 72, id quod cuivis apparebit qui 'Effigiem antiquae urbis' ab ipso delineatam editamque a Tramezino (utor exemplo eo quod in Donati 'Roma vetere ac recente' a. 1695 repetitum est) examina verit. — ceterum cf. quae dixi in commentario c. I ad a. 1546 et c. II ubi de Regia exposui.

---

70 = C. I. L. 1 — A. 1816. 1817. Fragmenta septem fastorum consularium et triumphalium. 'nello scavo che ho aperto nel mese di marzo [a. 1816] coi forzati ove era la fontana in campo vaccino, profittando della bella opportunità che debbo far transportare d'ordine della Santità di Nostro signore la tazza di granito .. al Quirinale .. si sono rinvenute cose degne della comune nostra attenzione . . .' ibi repertum fragm. a: Fea Prodromo (1816) p. 13. 17. 19. idem de eadem effossione accuratius in Fastis p. X s. disseruit: 'incominciando da quella parte medesima del primo scavo sull' angolo della scalinata del tempio, riconobbi subito la terra ossiano i calcinacci stati mossi e quasi crivellati da cima a fondo. inoltrandomi in seguito AL LATO DESTRO DEL TEMPIO VERSO IL MEZZOGIORNO ove cessavano le antiche ricerche A MEZZA ALTEZZA dello scavo si rinvenne' . . (fr. 7 Feae) 'e cosi di fatti riescì sul fine dell' anno stesso 1816 e nel principio del seguente fino ai 23 marzo che più e più mano mano se ne rinvennero . . .' (fr. 1—6 Feae). ed. post Feam Henzen. — verba non excripsi.

---

71 = Eph. epigr. 1, 157. 2, 285. — A. 1872. Fragmenta tria tabularum triumphalium (Eph. 1) quorum primum d. 9 Apr. (teste Henzeno, Eph.) reliqua ante d. 31 Mai. (teste eodem Bull. m. Maii a. 1872) reperta sunt, et fr. fastorum consularium rep. d. 8 Apr. (Eph. 2). fragmenta tabula-

rum triumphalium 'non longe a basilica Iulia versus aedem divi Antonini reperta' dicit Henzenus, tacet de consularium fastorum frustulo, tacent Acta. ego vidi m. Aprili a. 1872 fragmentum primum ante Castoris (cf. Hermes 7, 269) ibique putaverim cetera quoque inventa esse.

---

72 = Eph. epigr. 2, 210. — A. 1873. Fragmentum fastorum consularium repertum 'non lunghi dal fianco del tempio de' Castori e della via Nuova verso il lato meridionale del foro' Rapporti 5 Iul. 1873. 'Fin dal principio del mese di Luglio p. p. mi fu communicato . . un framm. di fasti rinvenuto . . . nella parte posta dietro del tempio di Cesare verso quello d' Antonino e Faustina' Henzen Bull. 1874, 136.

---

73 = 1005. In templo Faustinae in epistylio:

diuo antonino et | diuae faustinae

Versum primum postea additum esse arguunt litterae insculptae eiusdem, cum emineant litterae alterius. praeterea aedis nomen sollemne est Faustinae, non Antonini et Faustinae: cf. Fea Fasti p. LXXIII s. et nn. ss. — Faustina Pii consecrata est a. 141, Pius ipse a. 161.

---

74 = 1002. — A. 1547? Basis marmorea in aedibus Maffeiorum visa a Metello ceterisque praeter Ligorium qui sic testatur: 'hora raccontarò d'alcune reliquie di marmi trovate ivi appresso al tempio' (Faustinae) 'cavandosi d'avante per levar li scalini' ['sette ordini di scalini' Lig. Vat.] 'co quali si montava nel portico di esso in servitio della fabbrica di Sanpietro . . . . eravi' ['nel angolo sinistro del principio della montata' Lig. Vat.] 'anchora una base di statua molto bella che sopra alla quale era la imagine di Antonino Pio postagli dalla compagnia dei fornari, la quale riserba lo illustrissimo cardinal Maffei . .' Ligorius in collect. cod. Bodleiani, unde ed. Lanciani Bull. Inst. 1871, 263 s., et similiter in Vatic., unde ed. Fea, Fasti p. LXXII. mendacii arguitur, non convincitur Ligorius in C. I. L.: et ut sit mentitus, verba eius certe adscribenda fuere.

[imp. caesari | diui hadriani f.] diu | traiani parthici n[ep] | diui neruae pronep | t. aelio hadriano | antonino aug. pio | pont. max trib. potest uii | imp. ii cos. iii p. p | corpus | pistorum.

---

75 = 1976. — A. 1811. Fastorum augurum fragmentum rep. in foro a. 1811 'nel costruir una chiavica che dal tempio di Antonino e Faustina toccando quello di Castore e Polluce volta verso la colonna di Foca', Fea. nunc extat in museo Capitolino. potest igitur in area fori, potest inter templa illa inventum esse. — quae olim eisdem fastis tribuebantur fragmenta duo, eorum alterum sodalibus Augustalibus tribuendum esse alterum auguribus abiudicandum ostendit Dessau huius Eph. 3, 74 ss.

76 = 3771. — A. 1876. Fragmentum marmoreum. 'innanzi al tempio di Antonino e Faustina . . . . fra i materiali di costruzione' (aedificii infimis imperii temporibus erecti) . . 's' intravidero basamenti onorarii e grandi pezzi di marmo tolti da altri publici monumenti, fra i quali si notò parte di una iscrizione . . la quale fu trasportata nel nuovo Museo lapidario del Collegio Romano' Fiorelli, Notizie degli scavi di antichità Ian. 1876 p. 12.

M*A*X*imo*
*i*MP XI *cos. iii proco s. p. p.*
*m. aurelio ant*ONINO P

spectare titulum ad Severum et Antoninum aut ad hunc solum vidit Henzen.

76*a* = 3756*a*. — A. 1876. Fragmentum marmoreum rep. ibidem ubi n. 76 teste Fiorellio l. c. p. 87.

antonini AVG · P *i i f.*
diui HAD*riani n.*

'pertinet ad M. Aurelium Caesarem' Henzen.

---

77. 78 = 3864. — A. 1876. Bases marmoreae duae. Nel foro romano continuandosi a sgombrare la terra interposta fra il tempio di Giulio Cesare e quello di Antonino e Faustina cominciarono ad apparire i gradini che davano accesso al pronao di quest' edifizio, spogliati però . . . . in vicinanza de' quali tornarono a luce due di quei basamenti onorari accennati nella relazione dello scorso mese' . . . Fiorelli, Notizie degli scavi di antichità, Febr. 1876 p. 23 s.; nunc P. Rosae iussu pilis basilicae Iuliae impositae sunt, ubi descripsi.

77 GABINIVS VETTIVS
PROBIANVS · VC
PRAEF · VRB
STATVAM FATALI
NECESSITATE CON
LABSAM CELEBERRI
MO VRBIS LOCO ADHI
BITA DILIGENTIA REPARAVIT

78 GABINIVS VETTIVS
PROBIANVS · VC · PRAEF
VRBI
STATVAM FATALI NECES
SITATE CONLABSAM
CELEBERRIMO VRBIS
LOCO ADHIBITA DILIGEN
TIA REPARAVIT

---

79 = Eph. epigr. 3, 11. — A. 1876. 'Si tolse dal medesimo sito' (de quo v. n. antec.) 'un masso parallelepipedo di marmo che faceva parte dell' angolo interno di qualche recinto, portante incisa nel modo che segue una pagina dei fasti consolari rispondente agli anni 755—760 di Roma . .' Fiorelli, Notizie l. c. p. 24. 'fr. effossum m. Febr. a. 1876' Henzen l. c. p. 11. ibidem rep. 'd. 10 Mart.' fr. tabularum triumphalium: id. p. 16.

80 = 3909. — A. 1876. 'Un' altra base si trasse pure dal medesimo scavo appartenuta a qualche statua imperiale il cui titulo essendo stato abraso non serba che i nomi dei dedicanti in una delle sue facce laterali' Fiorelli Notizie l. c. p. 25.

ualerio tito s. p. r. | *aurelio catullino p. p. cur. coh.* | *cura agente* | *p. iulio iustino* ↄ |

81 = Eph. ep. gr. 3, 16. — A. 1876. 'Nel foro romano presso il tempio di Antonino e Faustina si raccolse un nuovo frammento dei fasti triomfali . . .' Fiorelli Notizie Mart. 1876 p. 43.

82 = 3822. — A. 1876. Eodem loco quo n. antec. 'un frammento d'iscrizione a grandi lettere'. Fiorelli l. c.

M A I E *stati*

82*a*. 'Fra le terre' (ante templum Faustinae) 'una soglia di marmo con le lettere rozze . . .' Fiorelli Notizie April. 1876 p. 54; descripsi ibidem. praeter Fiorellium edidit Pellegrinius in Ephemeride Buonarroti m. Febr. 1876 p. 8 (diss. seorsum editae 'scavi di Roma'). meum exemplum hoc est:

F R O Ƨ · P R I M /////

fro(n)s prim(a) Pellegrinius, qui sub F littera pinxit > (quod non vidi) nec scripturae evanidae post ultimam vestigia indicavit; EROS Fiorellius perperam. — similia v. n. 163*a*. 178. 180. 202 ss.

83 = (ined.?) — A. 1873. Inter rudera quae circa puteal iacebant fragmentum marmoreum (?) a. 0,18 l. 0,42, quod non repperi. Rapporti straordinarii 18 Dec. 1873:

sic




84 = 3744*a*. — A. 1874. Fragmentum ibidem ut videtur repertum a. 0,17 l. 0,20, quod non repperi. Rapporti 31 Ian. 1874. ad 't. Vestae' descripsere De Boor (qui epistulis ad me datis dd. 27 Febr. et 17 Apr. accurate de lapide corroso rettulit) et Droysen quorum exempla fere concinunt.

De Boor, Droysen:



Rapporti:



'riga rasa'

3 reliquias quattuor elementorum REDO De Boorio satis certae visae, ᴚIDↃ dedit Droysen.

85 = 3866*a*. — A. 1876? Ibidem iacebat hoc anno fragmentum largum 0,63 altum 0,54 tabulae marmoreae litteris pessimis, fortasse ibi repertum. descripsimus Droysen (qui dimensus est) et ego.

ABIVS 0,098
PR 0,120

vs. 1 in rasura: non posse cogitari de arcu Fabiano vidit Henzen: fortasse *f*]*abius* [*titianus* tituli n. 91.

---

86. — A. 1872. Cippus marm. 'dagli scarichi nelle parti superiori del tempio di Giulio Cesare verso i suggesti dei rostri' Rapporti 20 Apr. 1872; praeterea descr. Droysen. non vidi.

d. m | *feliclae* | *fecit* | *nereus* | *con bene* | *merenti* | *uix. ann. xuiii* | *mens. uiii* | *dieb. xxi*

---

87. — A. 1873. Fragmenta marmorea extracta 'dagli scarichi' post templum d. Iulii. non vidi. habent Rapporti 12 Iul. 1873.

DIS · M
COSMV
CIANI

---

88 = 3784. — ibid. 'lastra di marmo 0,33 × 0,14'

N III VI
anto NINI PII PP
ET · I

---

89. — ibid. fragmentum 'fra i marmi coloriti'

AV

---

90. — ibid. fragm. marm. 0,39 × 0,44

VDE
N

---

91 = 1653. — Ante a. 1497? Tres bases: quarum duas ante templum SS. Cosmae et Damiani iacere dicit Iucundus easque repertas ad tres columnas dicit Pighius, ad Faustinam Morillon, in foro Metellus et Smetius; tertiam extare in foro romano Pighius, in foro Traiano ceteri. extant duae, altera Romae in villa Borghesiorum, altera Neapoli.

fabius titianus | *u. c. consul* | *praef. urbi* | *curauit*

s. urceus d. patera. — cos. 337 praef. urb. 339/41.

92 *A*—*C* = 1303. 1304. 1407. Inscriptiones fornicis Fabiani. — Ante a. 1543 et a. 1546. de inscriptionibus *A C* 'fornices Fabiani fu detto da Fabio Massimo lo quale era avanti alla statione de' municipii per onde si andava in via nova al foro et sul colle palatino, del quale fa mentione Asconio Pediano e nel cui luogo havemo posto nel disegno della Roma, furono trovati i fragmenti con alcune poche lettere scritte, che sono state portate in Capitolio, scritte in sasso Tiburtino' Ligorius; idem alibi: '.. lo qual' arco fu nella via sacra INCONTRO ALLA STRADA CHE PER FIANCO PASSAVA AL TEMPIO che hora si vede dedicato alla diva Faustina ed al divo Antonino' cett. — de eisdem Panvinius: 'saxa Tiburtina venerandae antiquitatis in foro romano e fornice cloacae maximae, ubi a posterioribus sine ordine collocata erant nuper divulsa'. in exemplo Metelli adscriptum 'PAL.' quod Rossius 'PALATINO' interpretatur. — haec pertinere ad titulos *A* ante a. 1543 eruderatos ex Marliani et Fabricii verbis Rossius conclusit. ille Top. p. 42: '(arcus) cuius reliquias proximis annis effodi vidimus', hic Rom. c. 14 'arcus Fabii in via sacra cuius fundamenta cum in urbe essemus effodi dicebantur PROPE S. LAVRENTIVM IN MIRANDA. in eo scuta et signa victoriae fuere sculpta'.

De inscriptionibus *B*: 'in foro romano effossum anno 46 PROPTER ANTONINI ET FAVSTINAE porticum saxo tiburtino littera correctissima' Waelscapp. (unde Smetius: 'littera correctissima in saxis tiburtinis e fornice cloacae maximae extractis in foro rom. e regione porticus Antonini et Faustinae'); 'in saxis tiburtinis quadratis ad cloacam maximam IN COMITIO erutis posteaque in Capitolium translatis' Manutius. haec omnia debentur Rossio Ann. dell' inst. 1859, 307 ss.

De inscriptione *C*: 'fragmentum marmoreum' (ita Smetius, 'marmoris Parii' Panvinius); 'ad forum boarium in hortis Maximorum' Smetius: Maximos autem lapidem cum aliis e foro sustulisse Ligorii testimonio nuper confirmavit Lancianius Bull. dell' inst. 1871, 262 ss. cf. Comm. I. ad a. 1547.

A) | Q · FABIVS *q.* | *f.* MAXSV*mus* | *aed.* CVR · REST*ituit* |

| Q · FABIV | S · Q · F · MAXSVMVS · | AED CVR R*estituit*

B) *q.* | FABIVS·Q·F·MAXSVMVS·L·AEM *il* | IVS·L·F·PAVLLVS P·CORNELIVS·PAVLLI·F·SCIPIO
AED·CVR· CO *s.ii* | CENS · AVGVR AFRICANVS · COS · II · CENS
TR *iu* | MPHAVIT TER AVGVR·TRIVMPHA VIT·II·

C) | Q · FABIO · ALLOBROGICINO
MAXIMO

ceterum v. Comm. p. 263 s.

93—107 = 2131—2145. — Ante a. 1497. 1549. 1868. Bases statuarum virginum Vestalium quindecim — 'Octo haec subiecta epigrammata' (nunc n. 2131—2133. 2136—2138. 2141. 2142) 'reperta sunt in ruinis templi Vestae, quod erat ante templum S. Cosmae et Damiani sola via mediante in quodam arundineto'. Iucundus recensione tertia: secundam aa. 1497/9 constat esse factam (v. Momms. C. I. L. 3 p. XXVII). item Pomponius Laetus epistula ad Sabellicum cui subscriptum *Romae nonis Maiis* (Opp. a. 1516 f. LXIII): *mitto epigrammata quaedam reperta in pronao templi Vestae sub Palatio contra forum romanum* (quod testimonium in C. I. L. omissum est): Laetus mortuus est a. 1499; eodem anno Romanae historiae compendium eiusdem primum impressum; cuius cum eadem illa epistula meminerit, scripserit eam a. 1499 oportet. quam rem Mommsenus a me rogatus me docuit. — non discrepat quod de duobus (2134. 2139) Pighius testatur; 'in comitio ad viam sacram sub radice Palatini montis e regione SS. Cosmae et Damiani me praesente a. 49 extractae e terra'. — de n. 2140 in C. I. L. adnotatum 'basis marmorea a. 1868, in fossionibus iussu Pii IX institutis in ruderibus Palatii Caesarum in vinea quadam Collegii Brittannici ubi adhuc servatur', hoc est in parte ea stadii Palatini (quod a. 1871 eruderatum est) quae spectat circum. ubi cum infimae aetatis aedificationes compareant, basim illam eo a rege Theoderico inter aliam materiam asportatam esse Lancianius Viscontiusque (Guida del Pal. p. 92) non inepte coniecerunt. — cur Henzenus erroris arguat codicis Ambrosiani scriptorem, qui n. 2135 'ad circum maximum' extare dicit (ceteri testes de loco silent) nescio. — denique dubito an Faunus l. 2, 9 et Aldroandus mem. 3 cum dicunt 'duodecim' bases ad S. Mariam liberatricem inventas esse, de numero vera tradant: de loco non discrepant a Iucundo et Pighio.

Non adscribam titulos integros. pertinent ad annos 240 p. C. n. 2131 242. n. 2133. 247. n. 2134. 254? 257? n. 2135. 300. n. 2141. 301. n. 2143. ceteri temporum nota carent.

III (108—172). In area fori ab arcu Severi usque ad aedem divi Iulii.

108 = 1033. In arcu Severi sub Capitolio.

imp. caes. lucio septimio m. fil. seuero pio pertinaci aug. patri patriae parthico arabico et | parthico adiabenico pontific. maximo. tribunic. potest. xi imp. xi cos. iii procos. et | imp. caes. m. aurelio l. fil. antonino aug. pio felici tribunic. potest. ui cos. procos ⟨p. p. | optimis fortissimisque principibus⟩ | ob rem publicam restitutam imperiumque populi romani propagatum | insignibus uirtutibus eorum domi forisque s. p. q. r.

A. 203. — quae seclusi ⟨ ⟩ in litura reposita sunt.

109 = 1204 cum Add. — Ante a. 1495 (quo anno Sabinus syllogen confecisse videtur). 'In lapide apud ecclesiam S. Adriani sub arcu Antonini Pii' Sabinus; 'sub Capitolio' Mazochius; 'effossa prope arcum Septimii Severi' Cittadinus et Gruterus. arcum 'Antonini' esse arcum Severi probavi Henzeno, Add. — periit.

augustorum | *uicennalia* | *feliciter*

---

110 = 1205. — A. 1509. 'Non longe a quibus' (columnis templi Vespasiani) hoc anno multa marmora effossa fuere cum ingenti base marmorea in qua erat haec inscriptio forma circulari incisa . . ab alia parte visebantur sacerdotes sculpti taurum sacrificantes' Albertinius ms.; 'sub Capitolio' Mazochius. 'effossa prope arcum Septimii Severi' Cittadinus, Gruterus. — periit.

uicennalia | *imperatorum*

---

111 = 1730. — A. 1539. Basis marmorea; saxum 'erutum nobis praesentibus a. 1539 m. Augusto ad latus arcus Septimii ante aedem Sergii et Bacchi; statuam vero superpositam fuisse et fossulae indicant quibus pedes eius insisterentur' Accursius; nunc extat in palatio Capranicorum ubi descr. Bormann de loco v. Commentarium p. 254.

[*fl. stilichoni u. c.*] | *flavio stilichoni inlustrissimo uiro* | *magistro equitum peditumque* | *comiti domesticorum tribuno praetoriano* | *et ab ineunte aetate per gradus claris*|*simae militiae ad columen gloriae* | *sempiternae et regiae adfinitatis euecto* | *progenero diui theodosi comiti diui* | *theodosi augusti in omnibus bellis* | *adque uictoriis et ab eo in adfinitatem* | *regiam cooptato itemque socero dn.* | *honori augusti africa consiliis eius* | *et prouisione liberata ex sc.*

A. 398—400. — desunt nunc quae seclusi v. 1 et litterae pauculae quas non indicavi.

111*a* = 1731. tempore Metelli extabat in aedibus Vallensibus undo in hortos Medicaeorum Pincianos translata est, ubi nunc extat. — apud Accursium post n. 111 collocata est: posse igitur utramque eodem loco inventam esse monent editores C. I. L.: non monuere certum esse hanc ipsam basin stetisse in rostris.

[*flavio stilichoni inlustrissimo*] | *uiro bis consuli ordinario* | *magistro utriusque militiae* | *comiti domesticorum* | *et stabuli sacri adque* | *ab ineunte aetate* | *per gradus clarissimae* | *militiae ad columen regiae* | *adfinitatis euecto socio* | *bellorum omnium* | *et uictoriarum adfini* | *etiam diui theodosi augusti* | *itemque socero* | ⟨*domni nostri honori augusti* | *populus romanus* | *pro singulari eius* | *circa se amore* | *adque prouidentia* | *statuam ex aere argentoque* | *in rostris ad memoriam* | *gloriae sempiternae* | *conlocandam decreuit*⟩ | *exequente fl. pisidio romulo uc.* | *praef. urb.*

A. 406. — nunc deest v. 1. — quae seclusi 〈 〉 ea loco non indicato seorsum transcripta solus exhibet Cittadinius in codice Marciano (nisi quod *domini* habet, non *domni*): hoc est tituli supra scripti partem posteriorem omissa clausula; quae a Bormanno Eph. ep. 1, 122 (quem Henzenus secutus est C. I. L. n. 1195) pro titulo aliunde ignoto Honorii habita sunt.

---

112 = 1515. — Anno incerto. 'In SS. Sergii et Bacchi' habet solus Suaresius. ita:

traditur:	*restituit Henzen:*
TI SEMPRONIO T FV	TI · SEMPRONIO · T*i* · F · V*ot*
GRACCO COLLINO XVII Q LEGA	GRACCO
SALIO L · CAES · AVGVSI	SALIO · COLLINO · XVI *r. stl. iud.* Q · LEGA*to comiti*
	L · CAES · AVGVSTI · *f.*

Si ipsum lapidem descripsit Suaresius, quod peritis relinquo diiudicandum, sane non potest fuisse ibi ubi n. antec., potest in SS. Sergii et Bacchi *in Calinico* (Martinelli p. 400). — in ecclesia in foro sita Mazochius f. XXIII r et v quinque titulos sepulcrales extare testatur, de quibus expectandae Corporis I. L. copiae.

---

113 = 1203. — A. 1547. 'Basis marmorea effossa a. 1547' (sic solus Waelscapp.) 'ex fundamentis' (vel 'iuxta basim') 'arcus Septimii' sic fere Smetius aliique; nunc extat ante portam hortorum Farnesianorum Palatinorum; lapidi incisam edidit Jahn (Berichte der sächs. G. d. W. 1868 t. IV quem v. de anaglyphis).

caesarum | *decennalia* | *feliciter*

114—118 = 196—200. — A. 1547. Hoc anno 'cum fundamenta arcus Septimii Severi perscrutarentur' repertos esse testatur Metellus titulos 114. 116—118 Smetius ibidem 114—118.

---

114 = 196. 'Basis statuae cuius vestigia iu superficie adhuc extant'; nunc Neapoli ubi descr. Mommsen.

(in fronte:)

fortūnae reduci | *domūs august* | *sacrum* | *trib. suc. corp. foeder* | *m. allius tyrannus c. furinius faustus* | *c. fuluius phoebus aurar. l. uennonius zosimus* | *c. aurelius primus* | *immunes perpetuo d. d.*

(in lateris dextri corona:)

dedicatum iii idus octobr.

reliqua basis latera tecta olim eraht vel aeneis laminis inscriptis vel alia quapiam incrustatione.

115 = 197. — A. 1547 (v. ad 114). 'Ara marmorea grandis undique confracta' Smetius. periit.

(*in parte adversa:*)

fortunae REDVCI · DOMVS · *august.*
SACRVM

('Provincia inter duos milites hastatos supplex procumbit')

TRIB · SVC · CORP
FOEDER

in parte aversa:)

(corona)

M · ALLIVS · TYRANNVS C · FVRINIVs *faustus*
P · FVLVIVS · PHOEBVS L · VENNONIVs *zosimus*
C · AVRELIVS · PRĪMVS
IMMVNES · PERPETVO · D · D

('laurus expansa cum bacis et aviculis duabus')

'in latere sin. patera, in dextro vas'.

116 = 198. — A. 1547 (v. ad 114). Basis marmorea nunc Neapoli, ubi descr. Mommsen.

uictoriae | imp. caesaris uespasiani | augusti | sacrum | trib. suc. corp. iuliani | c. iúlius hermes mensor | bis hon. incurat. functus et nómine | c. iúli regilli filii de suó fécit | cui populus eius corporis immunitatem | sex centuriarum decreuit.

117 = 199. — A. 1547 (v. ad 114). 'In marmore quadrato litteris elegantissimis'; periit.

paci august. | sacrum | l. caesilius tauriscus tarquinies. | c. portumius phoebus ii | l. silius carpus | l. statius patroclus ii | d. nouius priscus | p. suillus celer | ti. claudius hermetis l. helius | p. agrasius p. f. marcellus | curatores trib. suc. iunior. s. p. d. d. | permissu m. arricini clementis.

(in latere d. poculum, in sinistro patera et:)

ponend. cur. | l. faenius euanthes iunior

118 = 200. — A. 1547 (v. ad 114). Basis marmorea, nunc Neapoli ubi descr. Mommsen; contulit Henzen.

in fronte:

paci aeternae | domus | imp. uespasiani | caesaris aug. | liberorumque eius | sacrum | trib. suc. iunior.

(in latere sin.:)

dedic. xu k. dec. | l. annio basso | c. caecina paeto cos.

secuntur nomina 726. — A. p. C. 70.

119 = 1158. — A. 1547. Basis marmorea 'effossa ad arcum Septimii' Smetius; 'ad Capitolii radices a. 1547' Metellus; nunc extat ad portam hortorum Farnesianorum Palatinorum ubi descripsit Hübner.

restitutori urbis romae adque orb[is] | et extinctori pestiferae tyrannidis | d. n. fl. iul. constantio uictori ac triumfatori | semper augusto | neratius cere[a]lis u. c. praefectus urbi | uice sacra iudicans d. n. m. que eius.

A. p. C. 352—353.

---

120 = 1174. — A. 1548. 'Basis alta ped. 4' (Torrig.), effossa 'a. 1548 inter d. Hadriani et arcum Severi' vel 'ad d. Hadriani' Smetius, alii. — periit.

maximo principi | indulgentissimo | domino ualenti tri|umfatori semper aug. | c. ceionius rufius uolusianus | u. c. praef. urbi ∘ iterum iud. | sacrarum cognitionum | serenitati eius dicatus.

A. 365. Cf. Corsini Ser. praef. p. 230 s.

---

121 = 457. — A. 1548. 'Basis marmorea effossa a. 1548 ad aedem d. Hadriani' Smetius, 'ad arcum Septimii' Pighius. nunc Neapoli ubi descr. Mommsen.

imp. caesar diui f. augustus | pontifex maximus | imp. $\overline{xiii}$ cos. $\overline{xi}$ trib. potest. $\overline{xu}$ | ex stipe quam populus romanus | anno nouo apsenti contulit | nerone claudio druso | t. quinctio crispino cos | uolcano.

A. 745.

---

122 = 1187. — A. 1549. 'In marmoribus sex equestribus statuis ut videtur olim suppositis in foro romano ad arcum Septimii effossis' Smetius ms. (annum add. in ed.), similiter Pighius. pars iterum eff. a. 1565 et in Farnesiorum palatium translata: 'apparent vestigia pedum statuarum in coniuncturis trium tabularum supra planum' Cittadinus qui seclusa non vidit. — perierunt.

imperatoribus inui[ctissimis felicissimisque] | $\overline{dd}$. $\overline{nn}$. arcadio et honorio fratribus | senatus populu[sque romanus] | uindicata re[bellione] | et africae res[titutione laetus]

---

123 = 458. — A. 1554. 'Rep. a. 54 ad arcum Septimii' Pighius. — periit.

. . . .
imp. caesar. divi f. augustus
pontifex maximus
imp. xiiii COS XI *trib. potest xii(i?)*
EX · STIPE · QVAM · PO*pulus ramanus*
CALENDIS · IANVAR*is contulit*
C · MARCIO · CENSORINO · C · ASINIO · GALLO · COS

A. 746.

124 = 1132. — A. inc. 'Basis alta p. 5' Torrigius, 'reperta in foro ad arcum Septimii' Pighius. — periit.

piissimo ac fortissimo | fundatori pacis | ac publicae | libertatis | auctori | d. n. flauio ual. constantio | nobilissimo caes. | ual. honoratus u. p. | rat. s. r. dnmq. eius.

---

125 = 1744*g*. — ? 'Basis marmorea ad arcum Septimii Severi'. Buchellius. — periit.

naeratius | cerealis uc. | cons. ord. | conditor | balnearum | censuit.

A. 358 p. C. — est unum de pluribus exemplis quae diversis locis inventa sunt.

---

126 = 1316. — A. 1563. 'Marmor fere altitudinis duorum pedum, latum vero plus trium et crassum fere eiusdem. litterae superioris lineae sunt longae tres uncias, inferioris vero lineae sunt fere etiam trium unciarum . . effossum Romae prope arcum Septimii Severi' Torrigius; 'ex ruinis templi Saturni sub Capitolio prope arcum Septimii Severi' Pighius; 'anno 1563' Statius. — periit.

L · PLANCVS · L · F · COS
IMP · ITER · DE · MANIB

A. a. 712.

---

127 = 1300. — A. 1565. Inscriptio columnae rostratae Duellianae, cuius verba non adscripsi. — rep. 'ad arcum Septimii . . . a. 1565 m. Sextili' Manutius (qui primus edidit a. 1566 Orth.); et ita Achilles Statius (nisi quod 'a 17 di giugno'); 'non procul ab arcu Septimii in foro ipso Romano' Ciacconius a. 1585, cuius verba omissa in C. I. L. e Ritschelii progr. a. 1852 describo; libro ipso careo; 'in Capitolii ruinis' Lipsius a. 1568, qui vidit, item 'saxum in Capitolio cum recens effossum fuisset' vidit Scaliger Em. ad Eus. p. 120, cuius loci meminit Ritschelius P. L. M. p. 84. — mox basis in palatium conservatorum translata. denique a Ciacconio si totus pendet Gauges de Gozze libello a. 1635 edito (v. Ritsch. p. 87), profecto abicienda sunt etiam quae de loco paulo accuratius videtur testari 'fu molti e molti anni sono cavando trovata poco più oltre dell' arco trionfale di Settimio Severo vicino quasi a quella colonna' (Focae), h. e. quod dixit Ciacconius 'in ipso foro romano'. cf. Comm. p. 254.

128 = 1161. — A. 1803. Basis marmorea reperta 1 Sept. 1803 sub silicibus viae stratae per arcum Severi teste Fea in relatione a Nibbyo R. ant. 1, 485 primum evulgata. nunc in mus. Vat. ubi descr. Henzen.

PROPAGATORI IMPERII
ROMANI · D · N · F · L · IVLIO
CONSTANTIO MAXIMO
TOTO ORBE VICTORI
AC · TRIVMF · SEMP · AVG
MEMMIVS · VITRASIVS
ORFITVS · V · C · ITERVM
PRAEF · VRBI IVDEX
SAC · COGN · TERT · D · N · M · Q · E

A. 356/359 p. C.

---

129 = 1162. — A. 1833. 1835. Basis marmorea antecedenti gemina in tres partes confracta: *c*, a. 1833 ad arcum Severi, *a*, a. 1835 inter arcum et columnam Focae, *b*, non traditur ubi inventa sit. — *b* extat in museo Vat., *c* nunc in basilica Iulia (v. infra), *a* ubi sit non traditur.

a P R O P A G A T O*ri imperii*
R O M A*ni d. n. fl. iulio*

b CONSTANTIO · MAXIMO
TOTO · ORBE · VICTORI
AC · TRIVMF · SEMP · AVG
MEMMIVS · VITRASIVS
ORFITVS · V · C · ITERVM

c PRAEF VRB IVDEX
SAC · COGN · TERT · D · N · M · Q · E

ceterum fr. *c* cum 'ad arcum' extare dicit Henzenus nescio an idem significet quod in basilica Iulia nunc descripsi sic comminutum

PRAE VRBI IVD EX
SAC · COGN · TERT · D · N · M · Q · E

---

130 = 1648. — A.? 'Fragmentum marmoreum repertum in foro romano ad arcum Septimii' Sarti. — extat in mus. Cap. ubi descr. Bormann.

*p*ROC · FAMIL
*gladiat. per*ITAL · PROC · MINI
*ciae proc. m*ACELL · MAGNI · ET
*p*OPVLI · PROC
scrib. AEDIL · CVR
*ob insignem erg*ASEAMOREM · COLL · ET
*c*VRANT · CREPERE*i*O
ARK

131 = 1608. — A.. Fragmentum tabulae marmoreae repertum 'nel recinto fatto all' arco di Settimio Severo' Sarti. — extat in mus. Cap. ubi descr. Bormann.

*dom*ITIO · EGLECTO · IVLIANO · P · V
*magi*STRO · A · STVDIS · AVG · G ·
*pro*C · PROV · ASIAE · PROC
SI EIPROC HERED

---

132 = 1784. — A.? 'Fragmentum tabulae marmoreae litteris aevi recentioris repertum prope arcum Septimii Severi'. Sartius, nunc in museo Capitolino.

a N ATAM IPSIVS CORPO
CIA VARIA IN TANTO
R VT PAENE CVM POPVLO
VIDERENTVR DEINDE
MILIBVS AMFORIS DE PRAES
MVS QVIBVS ACCEPTIS SIBIQ
RVNT APVD ACTA SVA

in avers p. litterisa magnis

A P

(nunc muro applicita)

b RIESE NEQVE A POSSESSORE EX
SED INTEGRO ET VT ITA DICAMSV
TOS VT VILLA QVAE · PRAESTAT
IN CANONE NON AMPLIVS IN
LIBRAS ADPENDAT NEC IN T
PETATVR AC NON AEQVO Q
NI II TCTANTVD SED

in aversa p. litteris magnis

IO

---

133 ≐ 1141. — Ante saec. X? 'In basi Constantini', solus an. Einsiedlensis (unde 'in basilica Constantini' male Poggius) hoc est sub statua equestri Constantini quem equum vel cavallum Constantini idem scriptor in itinerario vocat. basin stetisse in media fere area fori ex eis quae Comm. c. II p. 256 s. dicta sunt apparet.

d. n. constantino maximo | pio felici ac triumphatori semper augusto | ob amplificatam toto orbe rem publicam factis consultisq. | s. p. q. r. | dedicante anicio paulino iuniore u. c. cons. ord. praef. urbi.

A. 334. — non constat de versuum distinctione.

134 = 1200. — A. 1813. In basis columnae Focae latere eo quod S. Hadriani templum spectat reperta 23 Mart. 1813. Fea Oss. sull' arena e sul podio dell' anfiteatro Flavio, parte seconda (Romae 1813) p. 62 ss. cf. idem Iscr. di mon. publici p. 4 s. et Ammonizioni critico-antiquarie p. 33 ss. — huius sunt supplementa. — in Comm. c. I p. 239 monui saeculo XIII locum *de foce magina* in foro commemorari. saeculo XVI versiculum primum e terra eminuisse neqne vero hominum animos ad legendum excitasse notum est.

+ *optimo clementiss[imo piissi]moque | principi domino [n. focae imperat]ori | perpetuo a da coronato triumphatori | semper augusto | smaragdus ex praepos. sacri palatii | ac patricius et exarchus italiae | deuotus eius clementiae | pro innumerabilibus pietatis eius | beneficiis et pro quiete | procurata ital. ac conservata libertate | hanc sta[tuam maiesta]tis eius | auri splend[ore fulge]ntem huic | sublimi colu[m]na[e ad] perennem | ipsius gloriam imposuit ac dedicauit | die prima mensis augusti indict. und. | pc. pietatis eius anno quinto.*

A. 608.

---

135 = 106. — A. 1817. Basis marmorea. 'intorno alla colonna dell' imperator Foca si va sempre più scoprendo la magnifica scalinata di marmo che la circondava in quadro . . . cinque iscrizioni sono state ivi trovate in diversi punti, due Greche . . .' Fea, Var. di notizie (27 Sept. 1817) p. 67 nunc in pila basilicae Iuliae. cf. supra n. 45.

ἀϑαναι | ἀποτροπαιαι | *ex óráculo*

---

136 = 106 eod. — Basis marmorea v. n. antec. nunc in pila basilicae Iuliae.

ἀπωζικακοιϛ | ϑεοιϛ | *ex óráculo*

similis est titulus C. I. L. 6, 427 = C. I. G. 5936. ΔΙ/ · ΓΑΤΡΙωΙ | ÉX ÓRACVLÓ ('Romae, in aede S. Valentini ad forum piscarium').

---

137 = 1278 eod. — Cippus lapide tiburtino . . . 'una terza latina in travertino è onoraria' (v. ad n. 135) 'litteris antiquis'; nunc prope col. Focae, ubi descr. Mommsen alii. — mensuram m. 0,50 × 0,25 ex Ritschelii P. L. M. t. LVI. D. supplevi.

m. cispius l. f. | pr.

---

138 eod. — Cippi duo sepulcrales: '(v. ad n. 135) . . . la quarta e quinta sono sepolcrali'. Fea l. c. quo pervenerint nescio.

filio merentissimo . . . . m. . . . . | quod a te mihi fieri | cy[ri]lle | iniqua fortuna invidit | hoc ego tibi feci | mater infelicissima.

139 eod. — Cippus sepulcralis. v. ad n. antec.

d. . . . . | sex. iulius | eufrosinus | fecit proparte | dimidia sibi et | iulie curille | couiugi suae | libertis liber|tabusque pos|terisque eor.

140 = 1133. — A. 1835. 'Fragmentum basis marmoreae a. 1835 in foro ad columnam Focae repertum' (ex Kellermanni ms.) ubi descr. Henzen et De Rossi. nunc est in basilica Iulia.

*co*NS~~TANTIO~~
NOB · CAES
IACITIVS · FELIX · V · P
RAT · S · P · D · N · M · Q · EIVS

v. 1 NS visa a Rossio nunc perierunt.

141 = 1225. — A. 1835? In gradibus columnae vel prope columnam aliquot fragmenta extant quae ab hominibus Romae degentibus perhibentur ante annos 1871 ss. ibi visa esse. ea cum in relationibus Feae a. 1817 taceantur videntur deberi ut n. antec. anni 1835 eruderationi. primum est Fragmentum basis marmoreae litteris pessimis a Rossio ad columnam Focae descriptum. extat ibi ad murum novicium: descripsi (forma lapidis l. c. non indicatur):

m ANIVS ACIL*ius glabrio* (?)
C · CVR · ALVEI · TIBERIS *et cloacar*
SACRAE URBIS D · N *m. q. e*
. . . .

142 = 3793 v. ad n. 141. Fragmentum lapidis tiburtini litteris magnis aetatis infimae; nunc extat in gradibus columnae, ubi descripsi 13 Iun. 1872 (ibi nunc quoque extat).

| L E N T I N

143 = 3792. — Fr. marm. 'vicino alla colonna di Foca' a. 1872 Brizio ms. nunc in mus. Kirch., descr. Henzen.

*uale*N T I N I A N

144 — v. ad. Fragmentum marmoreum in imo gradu columnae versus arcum Severi, litteris magnis aetatis infimae. descripsi.

| V S I V N I V S ∽ |

145 Fragmentum marmoreum in gradibus columnae litteris exiguis saeculi quarti. descripsi.

I
H
PROX
EO

---

146 Fragm. marm. in gradibns columnae litteris exiguis saeculi quarti lectu difficillimis, ut describendo facile erraverim.

NFSTE · ADV
BRIDE CINCTV
I T I//Ↄ R A C E N

---

147 Fragmentum marmoreum litteris pessimis, quod extat sub fornice novicio prope columnam Focae, ubi descripsi. -- supplevi.

V I A I E R I C *en*
du M TANTAEMO *lis opus?*

---

147 — A. 1872? Fragm. quod descr. Brizio, ms. a. 1872 'vicino alla colonna di Foca'. forte ibi repertum. non vidi.

di una parte	*dall' altra*
I R I A L	I V M E O
IVI · ET · PA	SIBI · SVI
D Y M I A N O	O S T E R I S
PIENTISSIM	E O R V M

148—150. — 1872? Fragmenta tria quae descr. Brizio ms. 1872 'presso la colonna di Foca'; forte ibi reperta. non vidi.

L · AV
AP

---

149. — 1872? v. ad n. antec. Brizio:

STVS

---

150. — 1872 v. ad n. a. Brizio:

VS IN PACE

151 = 3696. — A. 1872. Basis marmorea alta 0,89 larga 0,35 litteris aetatis Augustae. 'nel demolire alcune brutte costruzioni medioevali delle fortificazioni de Brutis (?) onde liberare l'area del foro romano presso la colonna di Foca ritrovossi . .' Rapporti 9 Iun. 1872, hoc est ante inventa anaglypha (v. n. sq.): de eisdem ruderibus haec traduntur, 'Relazione' p. 57: 'un capitello d'ordine dorico . . si raccolse nella demolizione di una fabbrica medioevale che sorgeva presso la colonna di Foca e nella quale era stata adibita per materiale da costruzione. imperciocchè in questa località esisteva ancor un gran numero di muri posticci fatti con frammenti di tufi tolti a classici edifizi e poi rizzati li senza verun fondamento come ad uso basso e provisorio. onde e che poggiando essi sulla nuda area del foro e minacciando rovina furono demoliti'. — ed. Mommsen Bull. dell' inst. 1873, 51. — nunc extat ad basin quintam numeranti a meridie ubi descripsi et dimensus sum. cf. Comm. p. 252. 267.

Q V I N Q
TEIB · ROM · QVI
IOV · EPVL · SAC

sequitur laterculus nominum x libertorum.

152. — A. 1872. Fragm. a. 0,80 l. 0,50 cr. 0,24 disiecta 'turri' quae medio aevo pluteis marmoreis immolita fuit (Comm. p. 253) inter rudera ipsius repertum 16 Nov. 1872. Rapporti h. d.

Ɔ	VE
ED	OV
ELI · O	PROTR
	F
ꞁANIS	
NQVO	

153 = 3806. — A. 1872. Fragmentum marmoreum litteris saeculi tertii rep. 'nelle terre su cui giaceva presso il nucleo del suo piedistallo la colonna di pavonazzetto . .' Rapporti 16 Dec. 1882 cf. Comm. p. 260. nunc inter secundam et tertiam basin, ubi descr. Droysen et ego.

AVGG · ET

154 = 3746. — A. 1873. Fragm. marm. altum 0,60 l. 0,30 litteris optimis a. 0,11 rep. 'proseguendosi lo sterro verso il lato orientale del foro AL PIANO DI ESSO'. Rapporti 31 Mai. 1873. extat in mediae areae parte orientali ubi descripsimus Droysen et ego. versuum mensurae sunt Droyseni.

ꞁ · DI	0,130
ꞁ X · M	0,120
ꞁ · TR	0,095

155. — A. 1873. Fragm. marm.; 'proseguendosi lo sterro verso il lato orientale del foro ed incominciandosi a discoprire il piano di esso nella parte meridionale dello scavo sudd. si ritrovarono . . . framm. d'iscr. in marmo alto e largo 0,17 . . .' extat ad quartam basin ubi descripsi.

NPO
LLON

v. 2 ultima aut N aut M fuit.

156 = 3675. — A. 1873. Basis marmorea litteris valde detritis rep. 'nello sterro verso il lato orientale del foro' Rapporti 7 Iun. 1873. — nunc extat sub arcu novicio qui viam a Capitolio descendentem sustinet. ibi descripsere Mommsen et Henzen quorum exemplum hoc est:

pro salute | *ti. caesar*[*is au*]*g*[*u*]*st* | *pontifi*[*cis maxi*]*mi* | *princi*[*p*]*is* [*optimi*] *et* | *ius*[*tissimi*] | [*ex*] *u*[*oto suscep*]*to* | *c. fu*[*f*]*i*[*us*] *g*[*eminu*]*s* | *pro cos.* [*pr. prae*]*f* | *frum. da*[*nd*] *le*[*g. au*]*g. pro pr. t*[*rib.*] *pl*[*ebis*] *q.* | *pro pr. tr. mil. l.* [*ix h*]*isp.* | *concordi*[*ae*] | *auri p. u. arg. p. xxiii*

157 = 3803. — A. 1874. In eruderanda parte ea quae inter columnam Focae et S. Hadrianum est, locis non accuratius indicatis, fragmenta n. 157—162*a* inventa testantur Rapporti 19. 20 Mart. 1874.

Fr. tabulae marmoreae a. 0,31 l. 0,82 litteris bonis, quod nunc extat in area fori septentrionali ubi dimensus sum et descripsi:

VSTO
VBLICAM

158 eod. — Fr. duo sequentia non vidi: habent Rapp. l. c.

CVIXIT
ET SIBI

159 eodem. — Fr. sepulcrale.

F STATIL
CELE
STATILIAE
NA · FILIA
INCOMP

160 = 3791*a*. *b*. eodem. — *a*. Basis marmorea a. 1,52 l. 0,77 (v. ad n. 157): Rapporti 19 Mart. nunc extat in area fori, ubi dimensus sum et descripsi. antea descr. Henzen. — *b*. 'basis grandis ad arcum Severi', ex solo Grutero nota, cui dedit Ursinus descriptam a Gutenstenio. — pertinent ad aa. 390. 391. a. Henzen.

a	b
EXTINCTORI TYRANNORVM	EXTINCTORI TYRANNORVM
AC PVBLICAE SECVRITAT *is*	AC · PVBLICAE · SECVRITATIS
AVCTORI	AVCTORI
DOMINO NOSTRO ARCAD *io*	D̄ · Ñ · VALENTINIANO
PERPETVO AC FELIC *i*	PERPETVO · AC · FELICI
SEMPER AVGVST *o*	SEMPER · AVGVSTO
CEIONIVS RVFIVS ALBI *nus u. c.*	CEIONIVS·RVFIVS·ALBINVS·V·C
PRAE·F VRBI·ITE *rum*	PRAEF · VRBI · ITERVM
VICESACRA IVDICANS D·N·M *q, e.*	VICE · SACRA · IVDICANS
	D · N · MQ · EIVS

vs. ult. ext. D · N · M nunc desunt.

---

161 = 1779*a* eodem. Fragm. basis marmoreae litteris parum bonis rep. ibidem Rapporti 20 Mart. et restituit Henzen.

uettio agorio praet EXTATO
u. c. correctori tusciae et u MBRIAE
consulari lusitaniae proc ONSVLI ACHAIAE
praef. urb. praef. praet. ill ~~YRICIETITALIA~~ *e*

---

162 eodem. Fragmentum, non vidi. habent Rapporti l. c.

PO
SENT
HE
ICLAE

162*a* eodem. Saxum Tiburtinum rep. ibidem. 'fra le pietre rimosse ho letto in un masso di travertino alto m. 1,69 le note numerali . . .' Rapporti 22 Mart. 1874 (non vidi):

IVX
OЯAd

eiusdem generis sunt nn. 201 ss.

163 = 1184*a*. — A. 1872. Epistylium marmoreum longum 3,44 altum 0,40 ad aedificium (quod turris fuisse creditur) medio aevo basi primae annexum: 'stava addossata alla muraglia esterna della suddetta torre' Brizio Bull. dell' ist. 1872, 235 accuratius quam Rapporti 13 Mai. 1872: 'messo in opera' in aedificio s. d. — nunc quoque extat e regione templi divi Iulii, ubi descripsi et dimensus sum.

DOMINIS OMNIVM GRATIANO VALENTINIANO ET THEODOSIO IMPERATORIB AVG
L·VAL·SEPT·BASS|//|V·C·PRAEF·VRB· MAIESTATI · EORVM · DICAV|IT|

A. 379/383 p. C.

164 = 3743. — A. 1872. Fragmentum epistylii marmorei l. 0,68 a. 0,34 litteris perbonis quod a. 1872 n. antec. impositum erat ibique nunc quoque extat, repertum ut videtur ibidem. descripsi.

IMP CAESARI DI

165 = 3805. — A. 1872. Fragmentum ingens marmoreum, altum 1,40, repertum 'nello sgombrare l'area circostante a detta torre' (v. n. 151) 'e suoi ambienti' Brizio Bull. dell' inst. 1872, 234 qui edidit. inter dictum aedificium et basin vicinam descripsi et dimensus tum ultimis Apr. diebus a. 1872 ibique nunc extat.

GVS 0,30

166 = 3747. — A. 1872. Fragmentum tabulae marmoreae altum 1,78 largum 0,95 litteris elegantissimis repertum h. a. 'vicino alle più volte nominate costruzioni' (v. ad n. 151) parum accurate Rapporti 19 Mai. 1872; accuratius Brizio testis locuples 'nello sgombrare uno degli ambienti della torre' (medioevale) 'incontrossi disteso al pavimento una gran lastra di marmo . . .' (Bull. dell' inst.). dein in margine meridionali viae fronti templi Caesaris parallelae positum ibique photographo exemplo exceptum quod libro 'Sulle scoperte archeologiche . . relazione della r. sopraint'. 1872 ad p. 59 (unde transcripsi Jahresberichte 1875 p. 770). ibi nunc quoque extat; descripsi. — ed. phot. ex. l. c. et Bull. l. c. cum supplementis Henzeni.

IMP · C 0,26
AVG 0,24
TRIB 0,24
PLEPS 0,22

putatur esse fragmentum basis Domitiani, qua de re dictum in Commentario p. 257 ss.

167. — A. 1872. Basis magna marmorea reperta 'nella sgombrare la torre' (v. n. 151) Brizio Bull. inst. 1872, 236. in cuius summo fronte scarifata sunt verba i. s. — ed. Brizio. — nunc extat inter basin primam et secundam, ubi descripsi.

INVICTA ROMA
FELIX CARTAGOF

167. — A. 1872. Fragmentum rep. prope aedificium: 'dallo stesso punto (provenne) qualche frammento di nessum rilievo in uno de' quali restano le parole . . .' Rapporti 7 Iun. 1872. non repperi.

ELIVS
SEMPER

168 = 3832. — A. 1874. *a.* Fragmentum rep. 'nello sterro della parte orientale . . non lunghi dai sepolti avvanzi della basilica Emilia' Rapporti 18 Mai. 1874, ad templi Vestae quod putatur substructionem Henzenus nescio unde; in area fori descripserat Droysen, nunc extat cum fr. *b.* in Kircheriano. restituere Mommsenus et Henzenus.

a Q C IVLIO · ADVRIO
pate RNO C V COS · ORD VI*i*
b ~~VIR EP~~VLONVM · CVR · VIAE · APPIAE
PROCOS · PRO *u asiae sort*E F ~~EX~~CVSAT
PRAEF · VR

consulem esse Paternum a. 269 praef. urb. 281 supplendumque v. 4 *sort*]*e f*(*acto*) *excusat*(*o*) docuere M. et H.

169 eod. Fragm. rep. ib.; Rapp. l. c. non inveni.

ET · CENO
/CE · MEO

170 eod. Fragm. rep. ib.; Rapporti l. c. non inveni.

H
L S · A D

171. — A. 1874. Fragmentum marmoreum rep. 'nello sterro del lato orientale . . . non lunghi dal nucleo del tempio di Giulio Caesare'. Rapporti 10 Iun. 1874. extat in areae parte meridionali ubi descripsimus Droysen et ego.

VIR · ITER · QVINQ · SV

172 eod. Fragm. marmoreum litteris pessimis rep. ibidem. Rapp. descripsi in area fori.

IIDVLC
I N T

Rapp. v. s. extr. add. I, vs. 2 legunt / · IVL, perperam.

Fragmenta quae sequuntur minora extant (aut certe extabant) his annis dum forum eruderatur in area ibique reperta esse videntur licet certa nihil compererim. descripsi.

173 = 3820. Ad basin octavam fr. marmoreum magnum in cuius margine scarifatum.

deuotus numin | /// M Q E I V S |

---

174. ad quintam fragmenta marmorea (tertium marmore coloris subrufi).

B A L   E / I M   T I

---

175. ad quartam fragmentum marmoreum litteris medii aevi.

E O D E
R A D I X

---

176. ad tertiam in marmore alto 1,05 litteris pessimis parum alte incisis.

S I N I ·
CI///\MF
R
IIIIII

---

177. inter secundam et tertiam fragmentum marmoreum litteris pessimis altum 0,16. descr. etiam Droysen.

T R I B P O T I
C O N S I I I

---

178. ad secundam fr. marm. in quo scarifatum.

A G

179. Fragmenta marmorea duo Brizio nis. 1872 vidit 'vicino alle basi non vidi.

I\ ERA' — ΓISSIN
ꟼOCONSEC — VE
ELICITE — ///P
· P ·

180. Cippus, visus in occidentali areae parte a Droyseno, a me non repertus:

P Λ K D
XXI

sed cf. n. 202.

181. In area fori (rursus a sept. incipio) fragmentum marmoreum litteris pessimis. descr. etiam Droysen.

I I X I I M
VII · M · UIII

182. ib. sacrifatum in marmore.

O S E V ⅄ †

183. ib. fragm. marmoreum litteris bonis.

P
VS

184. ib. fragmentum marmoreum litteris elegantibus.

C R V M
M V S

185. 186. 187. ib. fragmenta marmorea descripta a Droyseno.

VRB 0,135 — PA 0,13 — II/ / VAE·/ / ADRIA 0,12

Fragmenta quae I. Droysen h. a. 1876 in basilica Iulia et in foro descripsit. loca accuratius non indicata. non vidi.

188.

VMMORTEM
SPES ET ABIT · I
QVOD NOLC
IT MIS///RVN
VNT VICI I N
VLVM QVÆ
I.D · CO

apparet tituli sepulcralis hexametris conscripti reliquias esse.

189.

INFERET
VANI · HS · M · N

190 = 3741 (nunc extat in mus. Kirch.)

RID FEBR
VFIDIO VICTORIN*o cos.*
NO CVR A R*dium sacrarum*

191 = 3366.

adi \ B E *nii*
S
PAR *thic* 0,08
DIVI

192 = 3869 (nunc in mus. Kirch.)

CVRATOR ·
· EIVS ·

193.

Ↄ FECIT

194.

FI
VS · AI 0,073

195.

VS · DD 0,07
DO VA
\II C

196. sacrophagi fragm.

TERTIA
COIVGI
ANN · L

197. AL

198. O
OR 0,06

199. O 0,095

200. SPF
D

Finem faciant quae in foro descripsit mihique misit L. Bruzza (cf. supra n. 163*a*):

201. '.. copiato nel 1871 da un' travertino nel foro'.

PARP

cf. supra n. 180.

202. '.. sopra un framento di marmo bianco.

OX/X
OXYXI

203. '.. graffito che si vedeva già sopra una lastra di marmo bianco vicino al tempio di Castore ... ora non so dove sia'.

PIWB ▷ SINAIVS ◁
L A

Regimontii m. Febr. 1877.

H. JORDAN.

ADDITAMENTA ALTERA
AD CORPORIS VOL. VII.

Quamquam non multa accesserunt titulorum Britannicorum supplementa post anni proximi additamenta (supra p. 133 ss.), visum tamen est haec quae subministravit amicorum officiosa sedulitas statim publici iuris facere.

Ad n. **1**. Invito exciderat memoriae, cum additamenta priora componebam, versiculos operis musivi Framptonensis (VII 2) ita constituisse Guil. Studemundum Hermae vol. IV (1875) p. 503:

I. *Neptúni vertex, régmen*
sortiti mobile ventis,
scultum, cui cerulea es[*t frons*]
delfinis cincta duobus.
II. [*nec mú*]*nus pérficis ullum,*
[*armórum*] *gnáre cupido.*

Adnotat idem v. 6 supplementa incerta esse, nam etiam de *telorum flammarum gnáre*, aut de [*i*]*gnare* vel [*re*]*gnare,* [*pu*]*gnare* et similibus cogitari posse.

Ad n. **137**. Antiquitates Romanas repertas in *Lydney Park*, quas ad dei Nodontis fanum pertinere omnes probabile est, delineandas et lapidibus incidendas curavit praedii dominus reverendus Guil. Hiley Bathurst neque vero ut tabulas plus triginta numero iuris publici faceret adhuc moveri potuit. Interim tituli principalis iam ante multos annos aeri incisi exemplum hoc:

D / · \IT · FLAVIVS SENILIS PR RLL EX STIPIBVS POSSVIT
C IAN TE VICTORINO · INTERᴱ · ᴱ I v TE

Eduardus Lee mecum communicavit.

Apparet exemplum delineatum et incisum cum cura multo accuratius esse quam Guarinii et Ormerodii adhuc nota; certa vero eius restitutio, nisi siquis opus ipsum denuo, ut affirmant, sub terra sepultum inspexerit, vix fieri poterit. Nomen dei num initio positum fuerit incertum, certus *pr(aepositus) rel(iquationis)*; sed nec *curante* v. 2 in. nec eodem exeunte *Interamnate* videtur verum esse. Nam inter *c* (vel *o*) *et . . . . iante* litterae interciderunt quinque minimum, ut possis fortasse supplere *o[peri inst]ante*. Nomen alterum vel officium Victorini non adsequor.

179 (ins. post n. 179).

Inter fragmenta varia lapidum magnorum, quae Lindi prodieruut, videnturque plinthi fuisse basium vel operis alicuius tectonici, unum inscriptum est ita

VIC · HRVPO MERCVRESIVM

Guil. Thompson Watkin misit, qui adnotat titulum quidem integrum esse sed facile initium eius finemque in aliis lapidibus similibus scriptum fuisse; eiusdem generis etiam sibi videri fragmentum diu iam notum C. I. L. VII 179, in quo scriptum est

*a*POLLINES

Legendum fortasse *Vic(toriae) [T]hrupo Mercuresium.* In lapide enim videtur fuisse HRVPO; *Trupo* (id est *Trypho*) nomen habes VII 332. Ut hic Mercurensium, collegii fortasse cultorum Mercurii, ita alii Apollinesium servi videntur fuisse.

Ad eph. III n. **73** (ins. post n. 178).

Charterhouse-on-Mendip non ad *Derbyshire* sed ad *Somersetshire* pertinere monuit Scarth; ceterum editus est titulus in *assoc. journ.* 32, 1876 p. 136, sed minus plene.

Ad p. **62** (ante n. 231).

Tituli Eburacenses duo Graeci inscripti lamellis duabus aereis litteris, quae more in talibus solito punctis tantum compositae sunt, nondum plene lecti erant, utpote aerugine ex parte tecti. Apparet nunc ita eos legendos esse, postquam cura Iacobi Raine lamellae purgatae sunt:

a

ΘΕΟΙC
ΤΟΙCΤΟΥΗΓΕ
ΜΟΝΙΚΟΥΠΡΑΙ
ΤΩΡΙΟΥ CΚΡΙΒ
ΔΗμΗΤΡΙΟC

b

ΩΚΕΑΝΩΙ
ΚΑΙ ΤΗΘΥΙ
ΔΗΜΗΤΡΙ

a Θεοῖς τοῖς τοῦ ἡγεμονικοῦ πραιτωρίου Σκριβ(ώνιος) Δημήτριος

b Ὠκεανῷ καὶ Τηθύι Δημήτρι(ος)

S. S. Lewis *philol. journal* 7, 1876 p. 126 ss. et *memoranda of the Cambridge philological society* 1875—76 p. 11.

Scribonius ille Demetrius (nam de *scribae* titulo cogitari non posse patet), homo Graecus in exercitu fortasse stipendia merens, dis praetorii Romani (Genio Marti Victoriae Romae similibusve puto) itemque dis patriis marinis (ne enim cogites de Δήμητρι deae nomine) donaria quaedam titulis illis ornata videtur dedicasse.

---

180 (ins. post n. 234). Eburaci rep. a. 1877; arula lapidea, servatur ibi in museo.

D · E · O
GENIO
LO ∘ CI
V·S·L·M

Iac. Raine misit ligno incisam. Similes dedicationes eidem Genio loci positae duo indidem iam innotuerunt n. 235 et 265.

---

181 (ins. post n. 240). Eburaci item prodierunt nuper anuli argentei duo inscripti, quos a reliquis eius oppidi titulis seiungere visum non est, hi

a DEO
SVCELO

b TOT

Iac. Raine misit cerae impressos.

Dei Suceli nomen hic primum legitur; num in alterius anuli titulo dei item alicuius nomen lateat, veluti *Tot(atis)* Martis, an voti formula fortasse non integra, veluti *tot* (*annos vivas*) vel similis, ignoro. Una repertus est anulus aureus cum signo ciconiae sive gruis.

---

182 (ins. post n. 240). Eburaci, fragmentum tabellae lapideae rep. iuxta domum Rainii.

CVR
*pr*O·S·P

Iac. Raine misit.

In . . *cur* latere posse decurionem adnotat Raine.

---

183 (ins. post n. 248). Eburaci, sarcophagus pulcher rep. a. 1877 in effossionibus suburbanis, de quibus dixi supra p. 113; litterae dicuntur esse optimae et profunde incisae.

IVL · FORTVNATAE · DOMO
SARDINIA · VEREC · DIO
GENI FIDA CONIVNCA
MARITO

Iac. Raine misit ediditque in ephemeride *Academy* 1877 I p. 392.

M. Verec(undius) Diogenes sevir coloniae Ebor(acensis) .... cives Biturix coniux Iuliae Fortunatae iam innotuit ex sarcophagi titulo rep. a. 1579, qui postea periit. Apparet igitur nomina viri recte excepisse ex lapide vetustum descriptorem, qui Camdeno titulum misit; num idem valeat de *idemq. mort.* et *haec sibi* vocabulis ab eodem solo servatis incertum quidem, sed probabile.

Ad n. **280. 281.** Divisionis provinciae Britanniae in partes duas, inferiorem et superiorem, de qua dixi in praefatione vol. VII p. 4, novum accessit testimonium tituli Africani in Wilmannsii vol. VIII n. 1578, in quo procuratoris alicuius aliusve eius generis magistratus *Britanniae inferio-r(is)* memoria extat aetatis Severi Alexandri.

184 (ins. post n. 539). Rep. a. 1877 p. circiter 500 versus occidentem a Conderco; lapis latus p. 2 dig. 6, altus p. 1 dig. 6.

· D · M ·
P · SERMVL
LIO MARTI
· ALI ·

Bruce mitit. Videtur incertum utrum nomen huic viro fuerit Sermullio an Germullio.

185—198 Procolitiae m. Octobri a. 1876 fons antiquus effossus est cura Ioh. Claytonis, ex quo praeter nummorum milia paene tredecim prodierunt tituli votivi hi duodecim poculaque item inscripta duo. Dixi de felici effossionis eius successu accurate in Hermae vol. XII p. 257 ss.; hic titulos quam brevissime compono.

Tabula alta ped. 2, lata ped. 1 dig. 5; supra anaglyphum Nymphae cubantis est.

DEAE
COVVENTINAE
T · D · COSCONIA
NVS · PR · COH ·
Ī · BAT · L · M

Praefectus cohortis I Batavorum, quam Procolitiae in praesidio fuisse iam notum erat, nomen fortasse habuit T. Domitii.

186 Basis alta dig. 14, lata 6.

DEAE CO
VENTINE
COH I CvBE
RNORVM
AVR CAMP
ESTER
VET

De Cubernorum nomine pro Cugernorum, quos novimus in Britannia tetendisse, a me rogatus Müllenhoffius dixit Hermae l. s. s. p. 272.

187 Basis alta dig. 15, lata 9.

DE COᴎE
V...TREIV
C.........
OPTIO C
GERMAN

Nomina *optionis* (cohortis fortasse Batavorum), *c(ivis) Germani*, legi nequeunt.

---

188 Basis alta dig. 10, lata 6.

DIE COVE
NTINE A
VREŁVS
CROTV///
GERMN

---

189 Basis alta dig. 10, lata 5.

DEAE CO
VET ᴎRCR
OTVS VT ŁB
ES SŁVI PRO·
MSA

Aurelius Crotus Germanus idem in utroque titulo est; voti formula barbare scripta haec videtur fuisse *v(o)t(um) l(i)bes s(o)lvi pro m(ea) sa(lute)*.

---

190 Basis alta dig. 10, lata 5½.

DEΛE NIM
FΛE COVEN
TINE MA·D
VHVS GERM
POSI ꝒOSE E V

Utrum *Ma(nlius) Duhus* legendum an *Maduhus* incertum. Formula est *posi(t) pro se et su(is)*.

---

191 Basis alta dig. 14, lata 8.

DIIAII
CONVENTI
NAE BELLICVS
V·S·L·M·P

192 Basis alta dig. 18, lata 9.

DEAE SANCT
COVONTINE·
VINCENTIVS
PRO SALVTE SVA
V·L·L·M·D

193 Basis alta dig. 9, lata 7. Supra facies mulieris est.

DAII COV:N
VINOMA·TH
VS V·S·L·M

Nomen dedicantis videtur fuisse *V*[*i*]*nomathus*.

194 Basis alta dig. 12, lata 7.

DEAE COVN
TINE /// N
NVS // SOV
ACT ///////
MVC ///// I
–·ANIMO
DED......

Litterae ex parte prorsus evanidae sunt.

195 Basis alta dig. 14, lata 7½.

COVVINTI
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
V S L M

Quae in vv. 2—4 fuerunt legi omnino nequeunt.

196 Basis alta dig. 13, lata 7.

DIE M
INER
VE VE
NICO
PR S
P ◊ S

Formula est *pr*(*o*) *s*(*alute*) *p*[*o*]*s*(*uit*).

197. 198 Accedunt tituli vasorum duorum rudi artificio exarati in singulis poculorum faciebus

a COVE
TINA·A
GVSTA   *b* VOTV
M A N
IĿVSSVS   *c* SATV
RNI
NVS   *d* FECIT
ϚAĿI
NIVS

Covetina Agusta votu manibus sus Saturninus fecit Gabinius

a CV   *b* CƧI   *c* ƧA   *d* TV   *e* R   *f* N
I   *g* CA
ĿIV   *h* IV
Ǝ

C(o)v(entinae) (A)g(u)st(ae) Saturni(nus) Gabiniu(s) f(ecit)

Bruce et Clayton qui ectypa mecum communicaverunt ediderunt in ephemeridibus Aelianensibus (*Newcastle Daily Chronicle* d. 23 Oct. a. 1876 et *Newcastle Daily Journal* d. 7 Dec. a. 1876) et Londiniensibus (*Illustrated London News* d. 25 Nov. a. 1876), ego post illos in Hermae vol. XII (1876) p. 257 ss., ubi de rebus epigraphicis historicis geographicis grammaticis, quae observandae sunt in titulis illis, disputavi.

---

199. 200 (ins. post n. 631). *Black Carts farm*, ad lineam valli, a Procolitia m. p. versus orientem, lapides centuriales a Claytone reperti.

a Ɔ HELLENI

b C/H O X
7 IVLI CON /////
VM///ALI

Bruce misit ectypa; sed *b* vix distinguitur.

---

201 (ins. post n. 631*a*). Procolitiae, fragmenta titulorum sepulcralium duorum rep. a. 1876 per Claytonem.

AVLO VIXIT
ATE /// OIII
ANIS XXXIII Ƨ
VM VIXIT D///
SIIIO EORVM
VIDIIXVANIIHI
M I ΛIΛ H Ł E
Λ A I Ⱶ

Bruce misit ectypa, quorum prius tantum legere potuit.

Ad n. **1147** (cf. Ephem. III p. 138). *St. Hilary*, col. mill. alta supra terram dig. 52, lata 24; longitudo omnis dicitur esse pedum 7.

I MP C A E S
F L A V I V A L
CONSTANTIN
P I O F I N V I C — p. C. 337
C A E S /////
D I V I
CONSTANTI
P I I
A V G
F I L I O

Carolus Barham misit a se ad ectypum depictam accurate.

Ne hoc quidem exemplum, quamquam plenius et accuratius quam quae adhuc innotuerant omnia, usque quaque satis facit.

---

202 (ins. post n. 1269 cf. add. p. 313 et ephem. III p. 130 144 148). *South Shields*, tesserae plumbeae rep. a. 1877 in effossionibus tum institutis

a *in antica* V B A *V(alerii) Ba....*
in postica A S A *a(lae) Sa(binianae)*

b *capita Severi et filiorum*

c *formae irregularis ab altera parte sigillum hoc habet* CVI
ab altera hoc OVA *s.* VΛO

d *aetatis, ut affirmant, Constantinae, ab utroque latere anaglyphum capitis exhibet*

Robertus Blair qui repperit et servat misit; idem edidit in ephemeridibus *Newcastle Daily Journal* d. 3 Maii a. 1877.

In *a* antica satis obscura est, B littera ex L et B composita videtur esse; nomen igitur incertum. Fortasse qui sculpsit voluit dare VA.BA.

---

203 (ins. post n. 1332, 6; ephem. III n. 140). In vasculis repertis in *South Shields* haec praeterea reperta sunt scariphata.

a LINDITI *b* XXVV *c* REMVLI *d* NEPI *e* V *f* PIIM

Robertus Blair misit.

AEM. HÜBNER.

OBSERVATIONES EPIGRAPHICAE.

XXII.

TITVLI OSTIENSES P. LVCILII GAMALAE.

A. Cippus sive columna STAT.; in columna quadrata alta 4 ped. PIGH.; in marmore quadrato HISP. In portu Ostiensi rep. STAT.; ad portum Ostiensem rep. LIGOR. (Vulp.); inventa in foro Portuensi LIGOR. (GVD.). In hortis Carpensibus STAT. LIGOR. PIGH. CITT. HISP. Partem ad D. Silvestri Teatinorum in Quirinali vidit FABRETTI. Frustra quaesiverunt utroque loco FEA *relazione di un viaggio ad Ostia* p. 38 et C. L. VISCONTIVS ann. inst. 1857 p. 372.

(*Textum vide pag. seq.*)

Titulus prodierit necesse est c. a. 1570, cum apud Manutium et aequales non reperiatur, adsit apud eos qui Manutio aetate proximi sunt. Referunt Achilles Statius cod. Vallic. f. 172′ (inde satis accurate Don. de rest. salubr. agri Romani p. 45 et syll. 2, 4, ubi Gorius in erratis locum unum ex coniectura emendavit; ex Donio neglegenter Mur. 135); Cittadinius in cod. Manutiano Vat. 5253 f. 387 (inde quaedam affert Marinius *iscr. Alb.* p. 38 n. 5); Anonymus Hispanus Chisianus f. 1; Ligorius apud Gudium (non ex cod. Taur.) ms. 201, ed. 70, 1 et in cod. Taur. vol. 14 s. v. Porto (inde Vulpi Lat. vet. VI, 154); Pighius cod. Berol. f. 61. Partem (scilicet v. 25—38) Fabrettius 529, 381 refert de visu. Orelli 3882. Recensui in actis soc. Lips. minoribus a. 1849 p. 295, unde repetiverunt C. L. Visconti ann. inst. arch. 1857 p. 323 et Wilmanns 1724.

P · LVCILIO
P · F · P · N · P · PRO
NEP · GAMALAE
AED · SACR · VOLK
*a*EDILI · D · D · ALLECTO
*g*RATIS · DECVRIONI
*p*ONTIFICI · $\overline{II}$VIR · CENSO
RIAE · POT · QVINQVENNAL
IN · COMITIS · FACTO · CVRA
*tor*I · PECVNIAE · PVBLICAE · EXIGEN
*d*AE · ET · ADTRIBVENDAE
*i*N · LVDOS · CVM · ACCEPISSET · PVBLIC
*l*VCAR · REMISIT · ET · DE · SVO · EROGATI
ONEM · FECIT
*it*EM · SVA · PECVNIA · VIAM · SILICE · STRAVIT
*q*VAE · EST · IVNCTA · FORO · AB · ARCV · AD · ARCVM
*it*EM · EPVLVM · TRICHILINIS · CCXVII
COLONIS · DEDIT
*i*TEM · PRANDIVM · SVA · PECVNIA · COLONIS
OSTIESIBVS · BIS · DEDIT
*it*EM · AEDEM · VOLCANI · SVA · PECV
NIA · RESTITVIT
*it*EM · AEDEM · VENERIS · SVA · PECV
NIA · CONSTITVIT
*i*TEM · AED · FORTVNAE · SVA · PECV
NIA · CONSTITVIT
*it*EM · AED · CERERIS · SVA · PECVNIA
CONSTITVIT
*i*TEM · PONDERA · AD · MACELLVM
CVM · M · TVRRANIO · SVA · PECV
NIA · FECIT
item AEDEM · SPEI · SVA · PECVNIA
*cons*TITVIT
*it*EM · TRIBVNAL · IN · FORO · MAR
MOREVM · FECIT
*h*VIC · STATVA · INAVRATA · D · D
P · P · POSITA · EST
*i*TEM · AHENEA · D · D · P · P · POSITA
*p*ROXVME · TRIBVNAL · QVAES
*propt*EREA · QVOD · CVM · RES · PVBLICA
*p*RAEDIA · SVA · VENDERET · OB · POL
*l*ICITATIONEM · BELLI · NAVALIS
HS $\overline{XV}$ CC · REI · PVBLICAE · DONAV*it*
*hu*NC · DECVRIONES · FVNERE · PV
*b*LICO · EFFER*endum* CEN*s*VERVNT

Variam lectionem adscripsi Statii Cittadinii Hispani Ligorii (Gud. Vulp. consentientium; Gudiani solius lectiones attuli nomine adiecto, Vulpianas suppressi) Pighii Fabrettii. — Versuum divisionem retinent omnes. Hiatus nullos (exceptis locis ubi dixi) significant Citt. Hisp. Lig. — 3 GAMELAE Lig. (Gud.) — 4 in. hiatum indicat Stat. — AED] AD Hisp. — 5 .. EDILI Pigh., AEDILI reliqui, .. EADLI Stat. solus — ADLECTO Lig. — 6 GRATIS Lig. — 7 PONTIFICI Citt. Hisp. Lig. — 9 .. IN Stat. Pigh. Citt., ET IN Hisp., ITIO · IN Lig. — COMITIIS Hisp. — 9. 10 CVRA|... I Pigh., CVRA|... C Citt., CVRA|.... Stat., VNA|ET Hisp., CV|RATORI Lig. — 11 .. \E · ET Stat., .. AE · ET Pigh., .. E · ET Citt., DAE · ET Hisp. Lig. — 12 ..N Citt., .. IN Stat., IN Pigh. Hisp. Lig. — PVBLICO Lig. — 13 ..VCAR Stat., .. CVEAR Pigh., CVCAR Citt., EVCAR Lig., LVCOS Hisp. — REMISIT · ET Pigh. Hisp., RIMISITII Citt., RIMIISTITII Stat., REMISIT HS Lig. (Gud., REMISITHAE Vulp.) — 13. 14 EROGAT|O DIEM FECIT Lig. (Gud., EROGAT · FECIT Vulp.) — 15 ..EM Pigh., ..M Stat., IDEM Citt., CVM Lig., ET Hisp. — 16 ..VAE Pigh., QVAE reliqui — AB · ARCI Lig. — 17 ..EM Pigh. Stat., IDEM Citt., ET M Hisp., IN Lig. — EPVLVM] EDVLVM Hisp., EPVLVM CVM Stat. — TRICHILINIS Pigh., TRICHLILLINIS Lig. (Gud.), TRICHLINIS Stat. Citt. Lig. (Vulp.), TRICLINIIS Hisp. — CCXVII] HS CCXVII Lig. (Gud., H CCCXVII Vulp.) — 18 om. Lig. — 19 .. TEM Stat., ITEM Pigh., IDEM Citt., ET Hisp., IN Lig. — COLONI Citt. — 20 OSTIENSIBVS Hisp. Lig., HOSTIENSIBVS Citt. — BIS] ET Hisp. — 21 .. EM Pigh., .. DEM Stat., IDEM Citt. Hisp. Lig. — VOLKANI Lig. — 23—26 om. Lig. — 23 ITEM · AEDEM Pigh., IDEM · AEDEM Citt. Hisp., .. DEM Stat. — 25. 26 om. Hisp. — 25 .. IEM Stat., ITEM Pigh., IDEM Citt., ...M Fabr. hinc incipiens — AED Pigh. Citt., AEL Fabr., AEDEM Stat. Lig. — FORTVNAE · SVA · PECVNIA] · FORTVNATVS | ..NIA · SVA Fabr. — 25 SVA · PECVNIA ad 27 ..EM · AED om. Stat. — CONSTITVET Fabr. — 27 ..EM Fabr., ITEM Pigh., IDEM Citt. Hisp. Lig. — 29 ..TEM Fabr., ITEM Pigh., ..EM Stat., IDEM Citt. Hisp. Lig. — 32 IDEM · AEDEM Hisp. Lig. — SIEI Citt. — 33 ..TITVIT Pigh. Stat., STITVIT Citt. Fabr., CONSTITVIT Hisp., RESTITVIT Lig. — 34 ..EM Stat. Fabr., ..M Pigh., IDEM Citt. Hisp. Lig. — IN · FORO om. Citt. — 36 .. VIC Stat. Pigh., HVIC Citt. Hisp. Lig. Fabr. — INAVRAT ... Fabr. — 38 .. TEM Pigh., .. EM Stat. Fabr., ITEM Citt., IDEM Lig., EIDEM Hisp. — in AHENEA · D .. finit Fabr. — POSITA] POSITA ... Pigh. Citt., POSITA EST Hisp. Lig. — 39 .. ROXVME Pigh. Stat., PROXVME Citt. Hisp. Lig. (Gud.) — QVAES Stat., QVAE Lig., QVE Hisp., QV.. Pigh. Citt. — 40 ..EREA CVOD Stat., ..EREAT CVOD Pigh., CREAT CVOD Citt., MEREAT · SVO · D · Lig. (Gud.), PEREAT QVOD Hisp. — 41 ..RAIDIA Stat. Citt., PRAEDIA Pigh. Hisp. Lig. — VENDERET Pigh. Citt. Hisp., VENDERIT Stat. Lig. — 42 .. ICITATIONEM Stat., LICITATIONEM Pigh. Citt. Hisp. Lig. — 43 HC $\overline{XV}$ CC Stat., HIC · $\overline{HS}$ · $\overline{CC}$ Pigh., C · PO · CC Hisp., HS CCIↃↃ $\overline{CC}$ Lig. (Gud.), HS CCLV CC Lig. (Vulp.), om. Citt. — REI · PVBLICAE (—CE Citt.) DONAV.. (sic Pigh., DONA Stat. Hisp., DONV Citt.) Pigh. Stat. Citt. Hisp., om. Lig. — 44 .. NC Stat. Pigh., HVNC Citt. Lig., HINC Hisp. — DECVRIONES om. Stat. — 44. 45 FVNERE · PV... | LICO EFFER ... ET ... VERVNT Pigh., FVNERE PVBLICO | ... COCFFER CEN... RVNT Stat., FVNERE PV|BLICO EFFER FVERVNT Citt., FVNEREA · ILLI · FIERI · IVSSERVNT Hisp., FVNERE | PVBLICO · EFFER · DECREVERVNT Lig.

B. De origine non constat[1]). Extat Romae in museo Vaticano.

P · LVCILIO P *f.*
P · N · P · PRO · N · GAMALA*e*
AED · SACR · VOLCÁNI ·
EIVSDEM · PR · TERT · DEC ·
AD · LÉCTÓ · D · D · INFANTI
ĪĪVIR · PRAÉFECTÓ · L · CAESAR
AVG · F · CENS · Q · A · PONTIF ·
TABVLÁR · ET · LIBRORVM ·
CVRÁTORI · PRIMÓ · CONSTITV*t*
HIC · LVDÓS · OMNÉS · QVÓS · FÉCIT ·
AMPLIFICÁVIT · IMPENSÁ · SVA
IDEM MVNVS · GLADIATORIVM · DED *sic*
LDEM · ÁEDEM · CASTORIS · ET · POLLVCIS · REST
IDEM · CVRATOR · PECVNIAE · PVBLICAE · EXI
GENDAE · ET · ATTRIBVENDAE · IN · COMI
TIIS · FACTVS · CELLAM · PATRI · TIBERINO
RESTITVIT ·
IDEM · THERMAS · QVAS · DIVVS · PIVS · AEDIF*i*
CAVERAT · VI · IGNIS · CONSVMPTAS · REFECT
PORTICVM · REPARAVIT
IDEM · AEDEM · VENERIS · IMPENSA · SVA
RESTITVIT
IDEM · PONDERA · AD · MACELLVM · ET · MEN
SVRAS · AD · FORVM VINAR · S · P · FECIT
IDEM · NAVALE · A · L · COILIO · AEDIFICATVM
EXTRV*e*NTIBVS · FERE · COLLAPSVM
RESTITVIT
HVIC · STATVA · AENEA · PEQ · PVB · D · D · POSIT
EST
IICHSXV(IV ... IIMII/I

---

[1]) Iam Ligorius hunc titulum novisse videtur, quoniam ipsum quidem non refert, sed commentus est hunc: (syll. Taurin s. v. Ostia; Fabretti p. 680, 55 ex schedis Barberinis): NEPTVNO · CONSER | EQVEST · ORDIN | L · COILIVS · L · F · PAL · PRI|SCVS Ī̄I · VIR · CAPITAL | OSTIENS | NAV. . . | CAVSS . . . | . . . . CVRAVIT; quem fingere non potuit nisi cui nota essent navalia Ostiensia a L. Coilio aedificata. Admonuit tituli Heuzenus. Sane miraculi instar est eum titulum a Ligorio non descriptum, sed lectum deinde per tria saecula plane latuisse. At miraculum tantum abest ut minueretur, si titulus saec. XVI in marmore fictus esset, ut etiam cresceret. Nulli denique in commentis Ligorianis vel modice versato in mentem veniet Ligorium hominem Latini sermonis plane ignarum auctorem esse tituli eius de quo agimus, quem equidem contendo neque a Marinio ullo neque a Borghesio concipi potuisse. Invenient fortasse qui aliquando lapidarium Ostiense elaborabunt, per quem Ligorio eius tituli copia facta sit.

Examinavi ipse archetypum habuique charta pellucida expressam. Descripsit item accuratissime a me rogatus Dresselius. Ed. C. L. Visconti in ann. inst. arch. 29 (1857) p. 325. Inde Wilmanns n. 1724*a*.

Duorum titulorum, quos supra proposui, prior saec. XVI et innotuit et periit; alter ante hos viginti annos primum publice editus adhuc superest. Utrumque ut hic denuo ederem, movit me, quod de prioris aetate quo tempore eum tricennio abhinc recensui graviter erravi eumque errorem etsi explosum altero titulo postea in lucem prolato nihilo minus hodie quoque complures viri docti retinent. Scilicet cum priorem titulum maxime propter bellum navale, cuius ibi mentio fit v. 42, ad aetatem Augusti revocassem, supervenisset deinde alter eiusdem omnino hominis nominans v. 18 divum Pium, qui hunc primus edidit Viscontius adsentientibus Henzeno Rossioque partem eius posteriorem inde a v. 12 spuriam iudicavit; quam sententiam Cavedonius (*Bull. Nap.* N. S. 6, 193) impugnavit, Wilmannsius (l. c. supra) secutus est. Ego quid de ea re censeam cum breviter significarim ad vol. VI n. 1565, iam explicabo.

Priorem titulum cum descriptum habeamus integrum a quinque viris doctis saec. XVI Statio, Pighii auctore, Cittadinio, anonymo Hispano, Ligorio, praeterea partem a Fabrettio, de lectione satis constat, de litteratura vero hodie iudicari non potest. Alterius qui extat parti superiori inscripta antiqua esse extra dubium est; at a v. inde 12 ita declinat, ut sui similis non sit. Apices, qui non solent adesse nisi in titulis cum cura exaratis, multi sunt in parte superiore, cum in inferiore unus solus v. 13 reperiatur. Litterae a v. inde 12 inaequales et magis magisque rudes ad formam quam cursivam dicunt declinant, ut ALS sic fere formentur ALS. Denique haec pars aut tota aut fere tota scripta est in litura, sublata scilicet multo et diutino labore primitiva scriptura cum ipsa lapidis superficie et in spatio depresso et scabro repositis iis quae legimus, quo tempore praeterea fortasse v. 6 fin. addita sunt elementa AR. Scripturae prioris vestigia deprehenduntur in spatiis vacuis vv. 17. 22. (ubi post RESTITVIT adhuc adgnoscitur S). Item v. 12 ex parte antiquus esse videtur, similiterque v. 13 quattuor primae litterae una cum apice qui sequitur a prima manu videntur exaratae esse. V. 15 in GENDAE sub littera C vel G manus posterioris apparet antiqua F vel E. V. 23 M in IDEM olim fuit AR, fueruntque litterae eae duae in primitivo titulo primae duae versus sui, quo versu caput novum non incipiebat. Reliquae quoque litterae cuiusvis capitis primae, scilicet binae ternaeve primae vv. 18. 21. 25. 28. 30, extra lituram sunt, sive remanserunt ex scriptura primitiva, sive, id quod probabilius est, scriptura primitiva cum versus haberet longitudine aequales omnes, haec lapidis margo tum remansit non scripta. Denique v. 26 prima E, fortasse etiam sequens X, superest ex scriptura primitiva. — Duplex haec scriptura in eadem tabula ut sane notabilis est, ita meo iudicio errant, qui propterea de fraude cogitant. Quod tituli pars aliqua a manu diversa rescripta est, suspicionem non movet; immo antiquae liturae factae vel ob errores a quadratario commissos vel ob causam aliam supervenientem passim in lapidibus inveniuntur,

et nuper adeo tabulam aeream ex Hispania habuimus (p. 166) utrimque ita perscriptam, ut alteram scripturam appareret totam reiectam esse propter mendas. Ubi autem eiusmodi emendationes cernuntur, secundaria scriptura fere deterior esse solet, ut hic quoque evenit. Ipsa litteratura partis posterioris ut pessima est, ita minime suspecta; immo scripturae utriusque partis diversitas talis fere est, qualis intercedit in privilegiis veteranorum aevi posterioris inter scripturam partis exterioris vere destinatam lecturis et interiorem scriptam magis ut non abesset quam ut legeretur. Quid quod in ipsa parte superiore eiusdem litteraturae indicia quaedam deprehenduntur, ut e. c. 5 fin., ubi INFANTS Viscontius edidit, extrema littera hanc formam habet INFANTſ, item v. 6 S in CAESAR neglegentius exarata est, ut prope accedat ad eam figuram quae in posterioribus regnat. Tam sermo autem quam orthographia partis inferioris plane conveniunt cum superiore, ut non solum soloece et barbare scripta plane absint, sed etiam in talibus, quale est *extruere* sine *s* littera similibusque, qui haec scripsit optimae aetatis consuetudinem secutus esse inveniatur. Argumentum denique tituli doctum sane infra ex ordine enarrandum omnino supra falsarium est licet eruditum. Itaque mihi quidem constat universum titulum scriptum esse antiquo tempore neque fraudem in eum grassatam esse. Typum autem prae se ferit scriptura aevi non Augusti, sed Antoniniani, id quod Viscontius quoque cum recte intellexisset, priorem partem ea aetate ex aevi Augusti archetypo restitutam esse contendit. Nobis qui totum titulum ipsi saeculo secundo vergenti adiudicamus eiusmodi machinis artificiosis opus non est.

Eum de quo agitur P. Lucilium P. f. P. n. P. pronep. Gamalum ipsa ea maiorum enumeratio hac praesertim aetate satis indicat ex familia oriundum esse domi nobili; id quod confirmant tituli Ostienses alii, primum fastorum fragmentum olim ad exemplum Sartii a me in actis Lipsiensibus una cum hoc titulo publici iuris factum, iam receptum in syllogen Henzenianam n. 6443, ubi a. 19 p. Chr. duovir procedit *P. Lucilius G[amala]*; deinde Orellianus n. 3970, in quo legitur *.... ilius Gamala vir h. a. h. s. p.*[1]*, IIvir locum et d. .....*; denique bases duae saeculi opinor secundi a Cn. Sentio Lucilio Gamala Clodiano dedicatae patribus tam adoptivo Cn. Sentio Felici (Orelli 4109) quam naturali *P. Lucilio Gamalae* (Mur. 1264, 7). Sed Gamala is de quo agimus ab his diversus fuerit necesse est; nam primum temporis rationes excludunt, secundum honores diversi, tertium quod honores nullos gessit, neque enim filius eos in patre naturali tacuisset, cum patris adoptivi honores copiose enarret. Vixisse hunc ab extremis temporibus Traiani ad extrema Marci ex infra dicendis apparebit.

Priorem titulum post mortem Gamalae positum esse cum ex capite extremo certo colligatur, idem de posteriore probabile est; honores enim et sacerdotia prioris tituli in posteriore omnes redeunt accedentibus non pau-

---

[1]) Praecedit *XXvir h. a. h. s. p.*; eae litterae in hoc solo lapide inventae quid significent, adhuc ignoratur.

cis aut brevitatis studio aut sola neglegentia in priore praeteritis. Beneficiorum aut a Gamala in populum aut a populo in Gamalam collatorum parum certa comparatio est, cum posterior titulus in fine mutilus sit quaeque eorum prior solus habet in posteriore quoque fieri possit ut non defuerint; praeterea facile admittemus ex longo illo ordine alio tempore alia selecta esse. Honorarium esse utrumque titulum apparet; sed neque ubi olim steterint nec quinam posuerint ex ipsis intellegitur, nam quae commemorantur statuaê (A 36—43. B 28—30) titulos sine dubio habuerunt ab his diversos. Fortasse Gamalae effigies post obitum publice pluribus locis exposita est subscripto titulo alibi aliter concepto.

Ad dispositionem quod attinet, honores et sacerdotia praecedunt, sequuntur liberalitates et dona a Gamala in rem publicam collata et vice versa. Honores recensentur sine dubio ad ordinem temporis; sacerdotia qua ratione eaque diversa honoribus interponantur, parum liquet. Largitiones magis ex re quam ex tempore dispositae esse videntur maxime in titulo priore; ita ludi incipiunt, quoniam magistratuum, fortasse etiam sacerdotiorum tamquam corollarium sunt, iunguntur epulum et prandia, pondera et mensurae, aedes constitutae restitutaeve, denique statuae a grato populo Gamalae dedicatae. Sed dispositio si qua fuit, certe eam non anxie scriptores retinuerunt; ita in priore aedibus interponuntur pondera, in posteriore aedes separantur, item cura pecuniae publicae non in magistratibus collocatur, sed obiter memoratur propter sacrum aedificium per eam curam a Gamala restitutum. Hoc solum satis certum est largitionum harum temporis ordinem nequaquam recte effici ex ordine quo enumerantur. Nos singula enarrabimus eo ordine, qui rebus aptissimus esse visus est.

I. SACERDOTIA.

1. *aed(ilis) sacr(is) Volcani* (A 4, B 3) ordinem ducit in utroque titulo. Redit praeterea in Ostiensi hoc (Orell. 1381): *deo patrio Cn. Turpilius Cn. f. Turpilianus aedil. et pr. sac(ris) Volk(ani) fac(iendis) sigill(um) Volkani ex voto posuit arg(enti) p(ondo) XV scr(i)p(ulorum) IX.*

2. *Eiusdem* (id est Volkani) *pr(aetor) tert(ius)* additur in solo titulo posteriore (B 4). Idem passim invenitur modo sine numero, modo dictus primus, secundus, tertius; subieci exempla reliqua praeter hoc et quod modo attulimus Turpiliani:

> *C. Silio C. f. Vot. Nervae pr. sacr. Vol. fac., d. d. d. allect., aed., IIvir.* Henzen 7011.
>
> *Cn. Sergio Cn. f. Vot. Prisco ..... praetori sacris Volcani, ex d. d. aedili adlecto.* Grut. 318, 7.
>
> *L. Licinio L. fil. Pal. Herodi .... decurioni, quinquennali, duumviro, sacerdoti Geni col., flam. Rom. et Aug., curat. oper. publ., quaestori aer., aedili, flam. divi Severi, sodali Arulensi, praet. prim. sac. Volk. faciu.* Orelli 2204.

M. Corneli Pal. Valerian. flamini, praetori II sacra Volcani Grut. 318, 6 (vidit Smetius). Similis titulus, quem proponit Grut. 398, 7 (inde Wilmanns 1723) acceptum referens Fulvio Ursino, vide ne sit idem a Gutenstenio interpolatus adhibito altero Orelliano 2204.

3. *Pont(ifex)* utriusque tituli (A 7, B 7) non satis constat utrum solito more accipiendus sit an intellegatur Ostiensi rei publicae proprius *pontifex Volcani et aedium sacrarum,* quem sacerdotem Ostiis eum locum obtinuisse, quem in urbe tenebant curatores operum publicorum et aedium sacrarum, id est in publico dedicare volentibus locum attribuisse complures tituli ostendunt (Marini Arv. p. 357; C. L. Visconti ann. inst. 1868 p. 378. 379). Ceterum huius sacerdotii dignitas inde intellegitur, quod in eo non raro senatores populi Romani inveniuntur (Wilmanns n. 1720; Visconti l. c.).

Ostiis igitur apparet Volcanum eo quodammodo loco fuisse, quo in urbe Iupiter optimus maximus fuit; nam pontificis cum proprium sit non certum aliquem deum colere, sed rei divinae praesidere, Ostiensis quoque pontifex curam agit omnium deorum aediumque eorum omnium, sed praecipue Volcani. Unde item infra in aedibus recensendis Volcano primus locus datur. — Flaminis autem Volcanalis munia cum appareat Ostiis sustinuisse aedilem aedilesve et praetores, quaestio surgit, quomodo factum sit, ut sacerdotibus his magistratuum vocabula inderentur. Non recte compararetur dictator Albanus praetorque Lavinas, ne Etruriae quidem praetor aedilisque; hi enim reliqui sunt ex re publica a Romanis ita sublata, ut magistratus ad sacra tantummodo manerent; at Ostiensium colonia maritima antiquiore aetate magistratus proprios nullos habuit. Nihilo minus similem certe originem etiam Ostienses hi sacerdotes habent sub nomine magistratuum procedentes. Nam coloniae ei cum dubitari non possit sacra propria aut ab ipsis eius initiis aut certe admodum mature concessa esse et multo quidem ante quam ad rei publicae formam eveheretur, item cum secundum consuetudinem Romanam sacra a magistratibus potissimum facta sint, admodum probabile est una cum sacrorum Vulcani Ostiensium constitutione Ostiensibus colonis aediles praetoresque ita concessos esse, ut in sacris Volcani tantum modo officio fungerentur; qui magistratus vel vere sacerdotes deinde remanserunt, cum coloniis civium omnibus ad rei publicae formam promotis veri magistratus concederentur. — Ita id quoque ferri potest, quod recte ex titulo Herodis supra relato Marinius (*iscr. Alb.* p. 58) effecit, at si de veris magistratibus ageretur plane tolerari non posset, praetores distingui primum secundum tertium. Nam ut ea ordinatio a magistratu abhorret, ita in sacris comparari poterunt ipse pontifex maximus et alia quaedam, ut *sacerdos secundo loco* titulorum tauroboliacorum Beneventanorum (I. R. N. 1399. 1401). — Denique si quaeritur, uter honoratior fuerit, aedilis praetorve, hi tituli videntur secundum aedilem vindicias dare, certe ubi is componitur cum praetore tertio; aliter enim cur in altero titulo solus aedilis ponatur, nullo modo explicari potest.

II. HONORES.

1. *Dec(urio) adlectus d(ecurionum) d(ecreto) infans* (B 5) sive *aedilis d(ecurionum) decreto allectus gratis decurio* (A 5) eodem redit. Scilicet adlegendi vocabulum cum proprium sit de senatore decurioneve, de magistratu autem non recte usurpetur, apud Ostienses usus vel potius abusus obtinuit, ut qui inter decuriones ita adlegeretur, ut simul referretur in ordinem aediliciorum, adlegi diceretur aedilis testibus titulis item Ostiensibus Henzeni 7011 (*d. decreto aedili allecto*) et Gruteri 318, 7 (vide supra p. 325). Quid intellegatur, ostendit tituli Cn. Sentii Felicis (Orell. 4109) curiosius scripti *dec(urionum) decr(eto) aedilicius adl(ectus), d(ecurionum) d(ecreto) d(ecurio) adl(ectus)*, unde item apparet bis de ea re ordinem decrevisse, ut primum referret inter decuriones, deinde novo decurioni locum honorationem conferret. Propter eam ipsam causam in posteriore titulo aedilitas praeterita est; neque enim Gamala ea functus est, sed statim loco aedilicio in ordinem venit. Quod infans vel, ut sollemni vocabulo utamur, praetextatus decurio factus est, eo confirmantur quae supra exposuimus de generis nobilitate.

2. *IIvir praefectus L. Caesaris Aug(usti) f(ilii)* legitur in solo titulo posteriore (B 6); prior id officium utpote extraordinarium omisit. Ambigi potest, utrum duo officia hic significentur duoviri et praefecti an unum solum; nam etiam eum qui plerumque praefectus nude dicitur recte dici IIvirum praefectum notum est (v. e. c. I. R. N. 4195). Hoc ut sequar, facit quod in altero titulo legitur *IIvir censoriae potestatis quinquennalis*; Gamala enim si bis duoviratu functus esset altero vulgari, altero quinquennali, ibi iterationis nota adicienda fuisset. — *L. Caesar Augusti f.* accipi potest et de filio secundo imp. Caesaris Augusti et de L. Aelio Hadriani f.; nam divum Verum excludit, quod antequam Augustus factus est Caesaris nomine caruit. Sed quominus ad Hadriani filium haec referamus, recte Cavedonius (*Bull. Nap.* N. S. 6, 194) monuit plane nihil obstare; similiter appellatur in titulo n. 1262 Wilmannsii (*L. Caesari fuit a cubiculo et divi Veri imp. nutritor*) nec, si exempla deessent, iis opus esset ad demonstrandum L. Aelium Caesarem item recte dici L. Caesarem. Recte item L. Caesar non divi filius appellatur, sed Augusti, quamquam titulus scriptus est post Hadrianum mortuum et consecratum; nam in honoribus enuntiandis modo id tempus respicitur, quo titulus scribitur, modo id quo gerebantur; quo tempore autem Gamala L. Aelii praefectus fuit, Hadrianus supererat, et superstes adeo fuit filio, ut divi filii appellatio omnino huic parum apta sit. — Caesaris loco cum L. Aelius non fuerit nisi per biennium a. 137 et 138, altero utro eorum Gamala ea praefectura functus sit necesse est. Functus autem ea videtur esse adulescens; nam primum locum in ordine honorum praefectura obtinet neque a veri specie abhorret eiusmodi honorem in municipiis adulescentibus potissimum splendide natis et gratiosis attributum esse.

3. *IIvir censoriae pot(estatis) quinquennalis* (A 7) sive *cens(or)* (B 7) summus honor est coloniae Ostiensis. Illam appellationem legitimam fuisse

intellegitur ex fastis Ostiensibus (Henzen 6446), ubi est *IIvir c. p. q.* Alibi invenitur *qq. c. p.* (Henzen 6029), *IIvir quinquennalis* (Henzen 6709), *quinquennalis* (Orelli 2204 supra p. 325).

4. *q(uaestor) a(erarii)*, quod non legitur nisi in B (7), redit in aliis titulis duobus Ostiensibus, quorum alterum L. Licinii Herodis haec vocabula perscripta habentem antea (p. 325) attulimus, alter item supra p. 327 citatus Cn. Sentii Felicis in ordine honorum enumerat *q. a. Ostiens.* (compendium non admodum usitatum redit vol. V n. 6428), deinde post verba supra relata ita pergit: *hic primus omnium, quo anno dec(urio) adl(ectus) est* (scilicet inter aedilicios), *et q(uaestor) a(erarii) fact(us) est et in proxim(um) annum IIvir designat(us) est.* Unde item intellegitur quaesturam apud Ostienses muneris loco fuisse gradum certum nullum obtinentis, cum aedilicio quoque conferatur neque intervallum ullum requiratur inter eam et duoviratum. Itaque neque mirabimur Gamalam eo munere functum esse post censuram neque quaeremus, cur in altero titulo quaestura praetereatur; nam honores ordinarii tantum modo in titulis necessario requiruntur, extraordinarii autem itemque munera recte omittuntur. — Ceterum quaestores aerarii qui dicuntur sine dubio omnes Traiano posteriores sunt; nam ante constitutam quaesturam alteram alimentariam causa nulla fuit, cur non nudo quaestoris nomine solo uterentur.

5. *tabular(um) et librorum curator primus constitutus* adest in solo titulo posteriore (B 8). Curae eius in municipiis alterum exemplum nullum novi; expressa est ad *curatores tabularum publicarum* urbanos numero tres, qui primum imperante Tiberio constituti sunt ad tabulas tabularii publici instaurandas vel supplendas (*röm. Staatsrecht* 2^2, 545).

6. *curator pecuniae publicae exigendae et attribuendae in comitiis factus* (B 14 loco parum apto) sive *in comitis factus curator pecuniae publicae exigendae et adtribuendae* (A 9) ut item in municipiis praeterea sine exemplo est, ita non minus recte componetur cum tribus viris quos Claudius creavit *πράκτορας τῶν τῷ δημοσίῳ ὀφειλομένων* (Dio 60, 10; *Staatsrecht* 2^2, 545). Quod adicitur *in comitis factus*, id cum solum priorem titulum habebamus, proclive erat referre ad censuram quae praecedit; quamquam cum censores in comitiis omnes creentur id additamentum ei magistratui parum convenit. Iam prolato titulo posteriore sponte apparet ad curam id trahendum esse, quae curae cum maxime aetate imperatoria plerumque ab ordine darentur, non sine idonea causa adici potuit hunc curatorem populi suffragiis lectum esse. — Ceterum quo ordine hic honor et proxime praecedens se exceperint, ambiguum est.

III. LIBERALITATES GAMALAE IN R. P. OSTIENSEM.

1. *In ludos cum accepisset public(e) lucar, remisit et de suo erogationem fecit* (A 12) sive *ludos omnes quos fecit amplificavit impensa sua* (B 10). Tituli duo diversa enuntiant neque tamen contraria, scilicet alter Gamalam rei p. lucar remisisse (cf. *Staatsrecht* 2^2, 59. 63), alter eum plus in ludos impendisse quam oporteret.

2. *idem munus gladiatorium ded(it)* est in sola tabula posteriore (B 12), cum prior paullo neglegentius gladiatores sub communi nomine ludorum comprehendere videatur.

3. *epulum trichilinis CCXVII colonis dedit* (A 17). Numerus tricliniorum vix alibi in titulis invenitur; Caesarem post triumphum populo epulum dedisse tricliniorum milibus viginti duobus Plutarchus (Caes. 55) scribit.

4. *prandium sua pecunia colonis Ostiesibus bis dedit* (A 19). Aliud exemplum cum ex titulis nullum suppetat, suppeditat Suetonius Caes. 38: *adiecit epulum ac viscerationem et post Hispaniensem victoriam duo prandia* et Tib. 20: *prandium populo mille mensis dedit.*

5. *sua pecunia viam silice stravit quae est iuncta foro ab arcu ad arcum* (A 15).

6. aedes constitutae restitutaeve enumerantur septem:

a. *aedem Volcani sua pecunia restituit* (A 21). Dixi supra p. 326 de Volcani cultu Ostiensi.

b. *aedem Veneris sua pecunia constituit* (A 23) sive *aedem Veneris impensa sua restituit* (B 21). De Venere Syriaca sive Maiuma Ostiis culta videatur Preller in actis soc. Lips. minoribus a. 1849 p. 24. Gamala cognomen Lucilii cum item sit nomen oppidi Palaestinae, poterunt qui volent haec componere; nos talia animosioribus relinquemus.

c. *aedem Castoris et Pollucis rest(ituit)* (B 13). De Castoribus diis marinis Ostiae vel praecipue cultis omnia nota sunt. V. vol. I p. 385 ad diem Ian. 27.

d. *aedem Fortunae sua pecunia constituit* (A 25). Hoc numen eaque quae sequuntur ut optime condicioni rei publicae Ostiensis conveniunt, ita quod sciam alibi non memorantur.

e. *aed(em) Cereris sua pecunia constituit* (A 27).

f. *aedem Spei sua pecunia [cons]tituit* vel *[res]tituit* (A 32).

g. *cellam patri Tiberino restituit* (B 16). Fecit eam quo tempore curator pecuniae publicae fuit.

7. *pondera ad macellum cum M. Turranio sua pecunia fecit* (A 29; paullo brevius B 23). Hoc eum fecisse in magistratu aliquo adiectum collegae nomen ostendit, neque tamen fecit in aedilitate, quam non gessit. Cum collega videtur honorem communicavisse, impensam solus sustinuisse.

8. *mensuras ad forum vinar(ium) s(ua) p(ecunia) fecit* (B 23). *Quadrigae fori vinari* mentio fit in titulo Ostiensi Orell. 4109.

9. *thermas, quas divus Pius aedificaverat, vi ignis consumptas refecit, porticum reparavit* (B 18). Non solum biographus (c. 8) inter opera a Pio facta recenset *lavacrum Ostiense*, sed superest eius ipse titulus (Visconti ann. inst. 1857 p. 319): *imp. Caesar divi Hadriani fil., divi Traiani Parthici nep., divi N[ervae] pronepos T. Aelius Hadrianus Antoninus Aug. Pius pontif. max. trib. potes[t.* II *cos.* II] *thermas, in quarum extructionem divos pater suus* HS |XX| *pollic[itus erat], adiecta pecunia, quanta amplius desiderabatur, item marmoribus ad omnem o[rnatum perfecit].* Anni nota excidit;

sed cum tegulae annorum 138 et 139 magno numero neque posteriores ullae ex thermarum ruinis prodierint (Visconti l. c.), item *imp.* II, quo honore ab a. 143 Pius usus est, in titulo hoc non adfuisse spatii rationes declarent, ut ne *p. p.* quidem appellatio propter easdem rationes commode admitti possit, qua appellatione uti coepit medio anno 139, thermas dedicatas esse inter a. 139 et 143 certum est, ipso a. 139 probabile; ad quam normam supra titulum explevi. — Incendii, quo thermae illae postea absumptae sunt, praeterea memoria non extat.

10. *navale a L. Coilio aedificatum extru[en]tibus fere collapsum restituit* (B 25). Hiatum exiguum, quem priores quomodo explerent frustra quaesiverunt, puto recte ita resartum esse; navale enim cum duplicem significationem habeat νεωσοίκου et ναυπηγίου certe usu vulgari (cf. Servius ad Aen. 11, 326: *loca in quibus naves fiunt Graece ναυπήγια, Latine textrina dicuntur . . . navalia enim non esse ναυπήγια, sed νεώρια*), commode distinguuntur *navale extruentibus factum* et factum subducentibus. Eiusmodi textrinum, ut loquamur cum doctis, publice factum Ostiis fuisse ex hoc titulo discimus.

11. *tribunal in foro marmoreum fecit* (A 34). Idem videtur esse ad quod mox (A 39) scribitur Gamalae statuam positam esse, *tribunal quaes(itoris)*; ita enim puto vocabulum non perscriptum explendum esse, quamquam non tacendum est tam *quaes* vocabulum quam ea quae sequuntur parum certa ratione tradita esse. Cogitavi olim de quaestore populi Romani eo, quem Ostiis sedem habuisse auctores tradunt; at eum sustulit Claudius (*Staatsrecht* 2², 558). Praeterea et hunc et quaestorem coloniae Ostiensis excludit tam compendiaria ratio, quae in fine syllabae ut subsistatur non admittit, quam tribunal quaestori nequaquam conveniens. Contra cum iudicia publica, qualia sunt inter sicarios et de vi, etiam in coloniis municipiisque reddita esse mihi quidem constet (*Staatsrecht* 2², 1026), is autem qui eiusmodi quaestioni praesidet quocumque loco fuit recte quaesitor appelletur, item quaesitoris tribunal ibidem fuerit necesse est.

12. *cum res publica praedia sua venderet ob pollicitationem belli navalis HS $\overline{XV}$ CC rei publicae donavit* (A 40); eodem pertinent in altero titulo vestigia lineae extremae *hic HS XV* Γ (non fuit C) I . . . . Propter hunc locum cum ego olim cogitavissem de bello Siculo contra Sex. Pompeium idque plerique comprobavissent, eam opinionem iam dixi invento titulo altero defendi amplius non posse. Quare nuper Cavedonius (l. c. p. 196) aut corrupta esse verba statuit aut intellegenda de naumachia Ostiensibus promissa. At etsi admitti posset, quod non potest, ludicrum navale belli navalis nomine recte appellari, quis umquam credet eiusmodi spectacula ab ipsa re publica ita curata esse, ut deficiente pecunia praedia sua ludorum causa venderet? De menda autem apographis quinque consentientibus non magis cogitare licet. Sed verum est non exiguam difficultatem in iis verbis inesse. Leviusculum est, quod *pollicitatio belli navalis* paullo durius dicitur ea quae fit ob bellum navale; talia enim si non laudanda, tamen ferenda sunt. Neque in eo haerebimus quod pollicitationes municipiis factae passim inveniuntur, rarae admodum sunt factae a municipiis populo Romano. Nam

exemplum adest id ipsum quod olim attuli; scilicet classe Romana proeliis ventisque deleta a. u. c. 716 *οἵ τε φίλοι* Appianus ait (b. c. 5, 92), *καὶ τῶν πόλεών τινες ἀυτῷ* (C. Caesari) *ναῦς ὑπισχνοῦντο καὶ ἐποίουν* (cf. Dio 48, 49; Drumann 4, 576). Addo alterum desumptum ex Valerio Maximo 9, 3, 8 (cf. Plutarchus Sull. 37) post incendium Capitolii bello Sullano pecuniam a decurionibus Puteolanis promissam ad refectionem eius. Gravius est, quod aetate imperatoria vix belli navalis mentio fit; quamquam ne haec quidem omnino deficit, cum Vespasiani victoria navalis in ipsis nummis celebretur (Eckhel 6, 330), ubi constat intellegi proelium cum Iudaeis in lacu Genezareth commissum. Cuius belli navalis cum casu memoria ad nos pervenerit, item in altero bello Iudaeico Hadriani, cuius exigua notitia superest, simile quiddam accidere potuit, et vere in lacero fragmento eius aetatis vol. VI n. 1565 belli Iudaeici mentio fit una cum Liburnicis et classis ornatu. Denique classes Germanica et Pannonica et aliae multae quin in Rheno et in Danuvio et alibi cum hostibus pugnaverint, quis propterea in dubitationem vocabit, quod de eiusmodi pugnis auctores tacuerunt? Sed ut hoc concedas bella navalia etiam aetate imperatoria multa geri potuisse adeoque gesta esse videri, hic agitur de bello gravissimo et cum summis aerarii angustiis coniuncto; nam sane propter proelium illud Genezerathense similiaque reliqua Ostienses praedia sua non vendiderunt. Equidem hoc saeculo unum solum bellum novi, ad quod talia recte referri possint, scilicet quod Marcus gessit cum Marcomanis. Nam quo tempore ipse imperator, cum aerarium exhaustum videret, civibus autem molestus esse nollet, per duos menses Romae in foro divi Traiani auctionem ornamentorum imperialium fecit (vita 17. 21; Eutropius 8, 13), ei tempori recte convenit colonos Ostienses ut pecuniam sponte sua ad bellum promissam exolverent praedia sua vendere voluisse. Nec dubitari potest inter sumptus eius belli naves quoque fuisse ad classem Pannonicam et Moesiacam augendam. Denique Gamala, quem a. 138 adulescentem fuisse vidimus, ad a. c. 170 advivere potuit. Quam ob rem mihi satis constare videtur agi hoc loco de pollicitatione facta ab Ostiensibus tempore belli Marcomanici.

IV. TESTIMONIA POPVLI DE MERITIS GAMALAE.

1. *huic statua aenea peq(unia) pub(lica) d(ecurionum) d(ecreto) posit(a) est* (B 28); similiter A 38: *item ahenea* (statua) *d. d. p. p. posita (est) proxume tribunal quaes(itoris)*.

2. *huic statua inaurata d(ecreto) d(ecurionum) p(ecunia) p(ublica) posita est* (A 36).

3. *hunc decuriones funere publico efferendum censuerunt* (A 44). Simili formula utitur titulus alter Ostiensis Henzeni n. 7011.

Orthographia titulorum sollemnis est, in adiaphoris autem solitae ambiguitatis; ita reperiuntur *allectus* A 5, *attribuendae* B 15, *collapsum* B 26 et *adtribuendae* A 11, *adlectus* B 5 — *comitiis* B 15 et *comitis* A 9 — *aenea* B 28 et *ahenea* A 38 — *Volcanus* A 21 B 3 et *Volkanus* A 4. Magis memorabile est, quod archaica quaedam offenduntur, scilicet *proxume* legitur A 39, item cum passim scribatur *pecunia,* semel est *peq.* B 28, quae forma post Augustum rarescit neque tamen plane evanescit. Nam praeter titulos aetatis Flaviae (vol. II n. 2041; I. R. N. 2020. 2541) eandem scripturam habent secundi saeculi duo Puteolani alter anni p. Chr. 161 (Henzen 7421γ), alter (I. R. N. 2517) anni p. Chr. 187. Vitia sermonis duo reperiuntur *Ostiesibus* A 20 et *trichilinium* A 17; quamquam haec orthographia Latine fortasse defendi potest, certe redit tam in titulo Henzeniano n. 7372 quam in altero inedito, quem ante multos annos descripsi Romae in columbario Campanae: *Batus C. Ceioni disp. ad trichilinium.*

TH. MOMMSEN.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

In tabula legis Ursonensis adiecta paginae huius ephemeridis 90 [Tab. V, ed IV] scribe

Col. III v. 33 SOLVATVRQ (pro SOLVATVRQVE)

In altera tabula [Tab. VI, ed. V] scribe

Col. II v. 4 in fine VRITO · NEVE (pro HEVE)

Col. III v. 9 in fine NEGOTIVM · DATVM · ERIT (pro NEGOTIVM · ERIT)

AEM. HÜBNER.

Ad p. 236. Vaticinii Sibyllae quod ibi edidi monuit Dessau praescriptionem quoque in libro Vaticano snperesse loco suo motam. Scilicet post vaticinium f. 2′ sequi titulum Dumontii 72*d,* deinde haec: *Apud Perinthum Thraciae olim metropolim, quam hodie Heracleam dicunt vetustam in Propontico civitatem fatale et Sibyllinum hoc epigramma comperimus ad ipsam metropolitanam beatae virginis aedem ad dextram arae partem in marmore Graecis litteris et eximiis consculptam ad prid. idus Aug. Eugenii pont. max. anno XIIII.* Post eam inscriptionem vacare versus sex, deinde sequi titulum Dumontii 72*a.* Liquido apparet in spatio illo vacuo oraculum perscriben dum fuisse, recte igitur de eo iudicavisse Wilamovitzium.

TH. MOMMSEN.

INDICES*).

I. NOMINA.

I. IMPERATORES ET DOMVS EORVM.

---

*) *L.* significat legem coloniae Genetivae p. 91 sq.
H. significat hemerologiorum Caeretani (p. 5 sq.), urbani viae Amadei (p. 10), Allifani (p. 85 sq.) fragmenta.
V. significat legem metalli Vipascensis (p. 165 sq.)

II. NOMINA PRIVATORVM.

III. COGNOMINA.

II. NOTABILIA.

APPARITORES ET OFFICIALES

BELLA

CARMINA

COLLEGIA

COLLYRIA

DIES

DIES FESTI


HONORES MVNICIPALES

OFFICIA PRIVATA

III. INDEX COMMENTATIONVM.

Prodiit d. 26. Septembris 1877.

Formis Academicis (G. Vogt).



Th. Delius sculp. Berlin.